This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 2044 009 648 585

Digitized by Google

C 720.17



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. E. Thompson
Feb. 1870.

2.00

SANCTORUM

MACARIORUM

UNIUS ÆGYPTII ET ALTERIUS ALEXANDRINI

ET

S. PHILASTRII,

BRIXIENSIS EPISCOPI,

OPERA.

EDITIO NOVA

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

Nonnullisque Cleri Gallicani Presbyteris.

PARISIIS,

APUD PAUL MELLIER, BIBLIOPOLAM,

PLACE SAINT-ANDRÉ DES ARTS, 11.

1842.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. E. Thompson
Feb. 1870.

2.00

SANCTORUM

MACARIORUM

UNIUS ÆGYPTII ET ALTERIUS ALEXANDRINI

ET

S. PHILASTRII,

BRIXIENSIS EPISCOPI,

OPERA.

EDITIO NOVA

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

Nonnullisque Cleri Gallicani Presbyteris.

PARISIIS,

APUD PAUL MELLIER, BIBLIOPOLAM,

PLACE SAINT-ANDRÉ DES ARTS, 11.

1842.

Digitized by Google

Robert Ellis Thompson, A. M.



Digitized by Google

PATRES QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.

—

SS. MACARII

ET

S. PHILASTRIUS.

Digitized by Google

S.-CLODOALDI, E TYPOGRAPHEO BELIN-MANDAR.

Digitized by Google

SANCTORUM
MACARIORUM

UNIUS ÆGYPTII ET ALTERIUS ALEXANDRINI

ET

SANCTI PHILASTRII,

BRIXIENSIS EPISCOPI,

OPERA.

EDITIO NOVA,

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS.

PARISIIS,

APUD PAUL MELLIER, BIBLIOPOLAM,

PLACE SAINT-ANDRÉ DES ARTS, 11.

1842.

Digitized by Google

C 720.17

E. H. Hall fund

25-106

Digitized by Google

S. P. N.

MACARII ÆGYTII

L. HOMILIÆ.

VII OPUSCULA.

APOPHTEGMATA.

B. MACARII ALEXANDRINI

REGULA AD MONACHOS.

EPISTOLA AD MONACHOS.

SERMO DE EXCESSU JUSTORUM ET PECCATORUM.

Accedunt :

III REGULÆ AD MONACHOS.

REGULA ORIENTALIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTI MACARII

ÆGYPTIUS ET ALEXANDRINUS

GRÆCI

(AN. 594 ET 595.)

Magna inter doctos de sancti Macarii scriptis disputatio. Quatuor enim a variis criticis sive referuntur, sive excogitantur Macarii, quorum primus ordine temporum Macarius Pispirensis, quem antea ignotum subito in medium protulit Petrus Possinus, Amathæque socium et sancti Antonii discipulum fuisse asseruit. Huic auctori quinquaginta Homilias et septem Opuscula, quæ sub Macarii nomine circumferuntur, tribuere non veretur.

Secundum tenet locum S. Macarius senior, genere Ægyptius, et Magni cognomento insignitus (Pallad. Hist. Laus. cap. xx.) Hic juvenis adhuc e pecorum custodia ad vitam monasticam Deo vocante transmissus, parvam in cellulam se recepit, ubi orationi, pœnitentiæ, laborique assiduo incumbebat. Cum a prava quædam puella fornicationis accusatus

1.

Digitized by Google

fuisset, non solum ignominiam criminis sibi falso impositi viriliter toleravit, sed et indignæ mulieris fœtum noctu diuque manibus operando sustentare procuravit. Cum autem agnita ejus innocentia tremendam magis gloriæ et laudum pondus immineret, in Sceti desertum, nesciri amans, aufugit circa annum 331. Sed tanta virtus diu latere non potuit; unde confluentibus ad eum undique discipulis, ut ejus doctrina et exemplis sanctitatem addiscerent, presbyter consecratus est ad majus crescentis in dies piæ hujus societatis commodum; mox autem tanta evasit deserti incolarum multitudo, ut quatuor ecclesias, addicto singulis earum sacerdote, qui sacra offerret mysteria, erigere necessarium videretur.

Juxta Socratem « Illustris fuit tum propter absti» nentiam, tum ob mores et conversationes, tum ob » miracula, quæ per ejus manus perpetrabantur... » Tot sanavit ægrotos, tot obsessos a dæmonibus li» beravit, ut quæ per gratiam Dei gessit separatum » opus desiderarent. Erat porro reverendus pariter et » severus erga illos qui ipsum adibant. (Socrat. lib. IV. » cap. 23.) » Sozomenus autem : « Macarius Ægyp» tius mortuum ad vitam revocasse dicitur, ut cuidam » hæretico persuaderet futuram esse mortuorum re» surrectionem. Vixit hic annos circiter nonaginta, » ex quibus sexaginta degit in solitudine : qui simul » atque philosophari cœpisset, adhuc in juvenili

Digitized by Google

» ætate constitutus ita enituit, ut παιδαριωγέρων, id est, » *puer-senex*, vulgo a monachis vocaretur. (Sozom. » Hist. Eccl. lib. III. cap. 14.) »

Præcipuus inter eos, qui sancto Macario adhæserunt, emicuit Evagrius Ponticus, qui illum « Vas » electionis » appellat, (Socr. lib. IV. cap. 23,) pluraque refert sapientissima ejus Apophtegmata. Nulla autem illi magis arridebat, quam hæc brevior simul et perfecta precatio : « Domine, sicut scis et vis, » miserere mei. »

Fidei catholicæ apprime tenax, hæreticorum odia persecutionesque una cum invictis suis monachis incurrit, et agente Lucio, Ariano Alexandriæ patriarcha, qui missis militibus deserti tranquilla disturbavit otia, in angustam insulam relegatus est, cujus incolas adjuvantibus alio Macario, Isidoro et Pambo simul exulantibus, ad Evangelii lumen baptismique gratiam perduxit. Cum autem populus Alexandrinus injuriam Sanctis illatam ferre non posset, clamoribus et seditionis metu perterritus Lucius sanctos confessores ad eorum cellas remeare permisit, ubi postquam Nitriæ fratres invisisset, spiritualibusque refecisset doctrinis, ex hac vita migravit circa annum 391, plenus dierum et dignus Hieronymi encomiis dicentis : « Quid ego narrem » Macarios, Arsenios, Serapianos et reliqua colum» narum Christi nomina. (Epist. CVIII alias XXVII ad

Digitized by Google

» Eustochium n. XIV.) » Ejus memoria in Ecclesiæ latinæ fastis die XV januarii recolitur.

Tertius est S. Macarius junior, sive Alexandrinus, cum Macario Ægyptio ætate conjunctus, sed illi superstes, sancti Antonii discipulus, presbyter et abbas Nitriensis, qui circa annum 395 juxta quosdam, 404 autem juxta alios, fere centenarius obiit. De quo Socrates inquit : « Macarius Alexandrinus, cum us-» quequaque similis esset Ægyptio, in hoc discrepa-» bat, quod hilaris esset erga eos qui ad ipsum acces-» serant, et urbanitate quadam juniores ad disciplinam » monasticam alliceret. (Lib. IV. cap. 23.) » Sozomenus vero : « Omnibus fere arctioris exercitationi-» bus est perfunctus, quarum alias ipse excogitave-» rat ; quasdam ab aliis acceptas tanto studio » excoluerat, ut ex himia cutis ariditate pili barbæ ei » non succreverint. (Lib. III. cap. 14.) » Eumdem porro Macarium *Urbicum* fuisse appellatum prodit inter veteres plurimos scriptores Sozomenus (ibid.), eo quod, ut videtur, eremum non semper incoleret, sed *in urbe*, videlicet Alexandrina, vitam aliquando ageret, ubi catecheseôn doctor fuisse asseritur. (Philip. Sidet. apud Dodwel.) Præclara ejus gesta fuse describit Palladius, qui præterea testatur ipsum in ils, quæ sunt monachorum præcipua primas partes egisse. (Hist. Laus. cap. XIX.) Ejus dies festus in Ecclesia quidem latina die secunda januarii, apud

Digitized by Google

Græcos vero die ejusdem mensis decima nona peragitur. (Menol. græc. part. II.)

Quartus denique et ultimus Macarius, ille est, si unquam fuit, quem suppositum potius quam inventum apud D. Ceillier et Petit-Didier reperimus; qui quidem S. Macarii operum antiquitatem in dubium revocare cupidi, (quam autem ob causam non nostri est, sed Dei judicare,) recensiorem excogitaverunt Macarium, quem post Pelagii tempora scribentem, ejus errores prædicasse contendunt. De illo autem Macario nulla apud veteres extat memoria.

His positis, notandum est:

I. Sub S. Macarii nomine circumferri tum *quinquaginta Homilias*, tum *septem Opuscula ascetica*, tum *Regulam et epistolam* ad monachos, tum *Sermonem de excessu justorum et peccatorum*, tum denique aliam *monachorum Regulam*, cui præfiguntur utriusque Macarii nomina.

II. Quinquaginta *homilias* et septem *opuscula* uni eidemque auctori esse tribuenda; unum enim auctorem produnt et res ipsæ quæ utrobique disseruntur, et manuscripti ipsius fides, quo usus est Possinus. (Possin. proleg. ad Thess. Ascet. § IV.)

III. *Opuscula* et *homilias* genuinum esse sancti Macarii Ægyptii, et non alienum fœtum. Eorum enim auctorem Macarium Ægyptium agnoscunt manuscripti complures, quos laudat Montfauconius (Bibl.

Digitized by Google

bibl. n. 1. pag. 61), et Fabricius (Bibl. græc. tom. VIII. pag. 492). Hæc autem opera ad Macarium Pispirensem non pertinere pluribus evincunt Caveus (Hist. litt. tom. I. pag. 253.), Pritius (Præf. ad Mac. opusc. § VIII et seqq.) et maxime Tillemontius, (Mem. eccl. tom. VIII. pag. 619 et 810). Inde pariter explo-ditur Oudini sententia, qui illa ad Marcum Ascetam, Macarii junioris discipulum, referenda arbitratur, quia una ex Macarianis, nempe XXXVII, proœmio ad opuscula hujus scriptoris aut de industria aut casu inserta est. Hinc denique evanescit vanum D. Ceillier figmentum, alium ab Ægyptio Macarium excogitantis, cum opus in cunctis codicibus certo auctori attributum pro uniuscujusque libitu ad alterum transferre non liceat, nisi illud gravissimæ exigant rationes. Tales vero non sunt allatæ a doctissimo critico difficultates, quæ sine multo labore solvuntur. Si enim de gratia clarius loqui videatur Macarius, non inde subito concludendum est illum post hæresim exortam scripsisse; forte enim jam inter deserti incolas prima hujus erroris sparsa fuerant semina, in aliud tempus emersura, sicut ignis aliquando diutius latet, prius quam in incendium prorumpat. Veteres Patres ante pelagiana tempora de gratia et libero hominis arbitrio minus accurate locutos fuisse, quis est qui nesciat? Adde quod et a Pelagianis videntur corruptæ quædam S. Macarii sententiæ, ut intelligi

Digitized by Google

datur ex Joannis Mariæ Brasichellani expurgatorio Indice, ubi ita legitur : « Illud opportune observa- » mus quædam illis homiliis inesse obscura, ambigua » et a proprio exactoque more loquendi theologorum » quadantenus aliena, proindeque cum judicio et cir- » cumspecte legenda; et subest suspicio ne ab aliquo » Pelagiano sint alicubi interpolatæ. » Vide Labbæum (Dissert. hist. de script. eccles. tom. VII. pag. 41). Homiliis autem illis et Opusculis, quæ juxta vim tituli, imo et juxta rei veritatem, « Permagna utilitate refertæ » sunt et spiritualis succi plenæ, » subjunguntur in Editis non dedignanda S. Macarii Apophtegmata, nonnullaque ejusdem fragmenta sive ex Vitis Patrum, sive ex Cassiano excerpta.

IV. *Regulam ad monachos* non sancto Macario Ægyptio, sed sancto Macario Alexandrino esse referendam. Licet enim Palladius illam Macario Magno tribuere videatur, (de Viris illustr. cap. x.) et duo scriptores anonymi, ævo posteriore, hujus regulæ meminerint cum solo Macarii nomine, nulla distinctione facta Senioris vel Junioris, probabilius crediderim cum doctis criticis illam sancto Macario Alexandrino vindicandam, cum, quando agitur de Macario Ægyptio, semper Magni nomen adjungatur, quod in anonymis non legitur, et præsertim apud sanctum Benedictum Ananiensem abbatem ipsissimis verbis dicatur : « Sancti Macarii » Alexandrini, abbatis Nitriensis, regula ad mona-

Digitized by Google

» chos. (Holsten. Cod. reg. pag. 43-50.) » Quod autem ad Palladii testimonium attinet, hujus auctoritatem pluribus, et quidem merito, elevare curavit Tillemontius. (Mem. eccles. tom. VIII. pag. 618 et 809.)

V. Idem dicendum esse propter easdem rationes de illa, quæ inscribitur *ad monachos Epistola*, et quæ sancto Macario Alexandrino jure asseritur.

VI. Sermonem *de excessu justorum et peccatorum* non esse sancti Macarii Alexandrini partum, sed cujusdam ejusdem discipuli, ita tamen ut visionis narratio relata fuerit a beato Anachoreta, sed ab uno e suis sequacibus conscripta, quod ex ipsius contextus lectione evidenter colligitur. Unde in uno sensu dici potest opus S. Macarii referentis, in alio autem opus discipuli rescribentis; hinc codicum discrimen, quorum duo habent sancti Macarii nomen, tertius autem inscribitur : « Sancti Macarii Alexandrini discipulus » ita narrat. » Cæterum de visione hic relata sinistrum editoris judicium satis corripit atque emendat similis magni Antonii narratio, ut videre est apud Palladium, (Hist. Laus. cap. XXVII) et opportune advertit Fabricius, (Bibl. græc. tom. VII. pag. 495;) nec deesse complura huic affinia in Vitis et Apophtegmatis Patrum jam norunt eruditi.

VII. Superest etiam alia *Regula ad monachos*, cujus talis est titulus : « Sanctorum patrum Sera-

Digitized by Google

» pionis, Macarii, Paphnutii et alterius Macarii ab» batum Regula, » quam ad complendam nostram hanc de Macariis editionem præcedentibus adjungere operæ-pretium duximus, necnon et « Regulam » orientalem ex Patrum orientalium regulis collectam » a Vigilio diacono, » ut uno eodemque intuitu videri possint quæ ad monasticam hujus temporis disciplinam pertinent.

1° Quoad opera S. Macarii Ægyptii, *quinquaginta homiliæ* primum evulgatæ fuerunt græce et latine a Joanne Pico in senatu Parisiensi classium inquisitoriarum præside, Parisiis an. 1559, 1562, et 1622, unde Bibliothecis Patrum Coloniensi, Parisiensi et Lugdunensi fuerunt insertæ. Novam autem versionem confecit Paltbenius, quæ cum græco textu stampata est, an. 1594 et 1625 in-8°. Denique Joannes Pritius correctam Joannis Pici versionem iterum edidit Lipsiæ, an. 1698 et 1714 in-8°, cui subjunxit septem Opuscula, quæ etiam una cum Homiliis reperiuntur in Thesauro ascetico Petri Possini, Parisiis 1684 in-4°. Potior, quanquam non omnino perfecta, Pritii editio, quam iterum Bibliothecæ Patrum Gallandii insertam in hac nostra editione secuti sumus.

2° Quod autem ad opera sancti Macarii Alexandrini spectat, *Regulam monasticam* triginta capitulis comprehensam ediderunt Henricus Cuiqius Antuerpiæ, an. 1578 in-8°; Petrus Roverus e societate Jesu in historia monasterii Reomasensis an. 1637, in-4°; Lucas Holstenius in codice Regularum, Romæ in-4°, et Gallandius in sua Bibliotheca Patrum, unde illam desumpsimus cum *Epistola ad monachos*.— Sermonem *de excessu justorum et peccatorum* vulgarunt Guilielmus Caveus cum interpretatione Henrici Warthonis in Historia litteraria scriptorum ecclesiasticorum, Lond. an. 1688, in-fol., quæ quidem editio rursus in lumen emissa est an. 1694 et 1741, Genev. et Basil. in-fol. Reperitur etiam velut ineditus in Insignibus itineris italici, vertente et evulgante Jacobo Tollio, cujus versionem altera exactiorem nobis sicut et Gallandio repræsentare satius visum est. Reliqua ab Holstenio desumpta pariter et Gallandio in lucem proferimus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ex Poireti Catalogo Auctorum qui de Rebus Mysticis aut Spiritualibus scripserunt.

Non inutile forte fuerit hic animadvertere sanctum hunc Auctorum unum esse inter antiquos (quod de Rusbrochio inter recentiores vere etiam dixeris,) quem ut verae Theologiae Mysticae instauratorem fontemque aliquem vivum, merito consideraveris, licet vulgo haec partes Dionysio Areopagitico attribuant, cujus tamen Opera, quae Dicuntur, nec apparet ejus Auctoris esse cujus nomen ferunt; sed scriptoris Macario nostro vel tempore inferioris; et praeterea continent pauca de Theologia Mysticâ, quam pro summo contemplationis gradu sumit, plerisque ad Symbolicam vel Hierarchiam spectantibus, nisi si hic et illic quaedam in libro de Divinis Nominibus, et in Epistolas excipias cum brevissimo libello de Theologia Mystica..... Porro Dionysius, sive is qui sub hoc latet nomine, in modo rei tractandae, sive in methodo, in phraseologiâ, et in quibusdam etiam argumentis non immerito aliquid ad Platonicorum Characterem accedens habere dicitur, quod tamen non culpandum in homine qui potuit ante ipsa Philosophiae addictus fuisse..... At Macarius nullam affectans Philosophiam vel methodum, vel speciem (in qua ignarus erat) nullamque istiusmodi accurationem, aut subtilitatem, totus est in simplicitate, in modis, in verbis in elemento et spiritu Scripturarum, et in charactare hominem Apostolicum, et scriptorem plane sacrum sapiente; respicit ad omnia quae in toto homine, tum destruenda, tum adstruenda et restituenda sunt ut Deo fruatur; Totusque adeo externe practicus et vivificus, incipientibus, progredientibus, uno verbo omnibus accommodatus, sine deceptionis periculo.

Digitized by Google

L'éditeur libello Poiretus lingua patria dicit :

Le grand et le divin S. Macaire d'Egypte, contemporain d'Ephraem le Syrien, solitaire, et disciple de S. Antoine, fut un homme quoique sans étude, puissant neanmoins en miracles, en vertus, et en paroles. Les cinquante Homelies que nous avons de lui sont a mon avis, la plus divine et la plus excellente pièce qu'on ait de toute l'Antiquite. C'est un ouvrage du S. Esprit qu'on ne saurait se lasser de lire non plus que ses opuscles, qui sont dans le même charactere. On sent bien que c'est l'Esprit de Dieu qui y decouvre la grandeur de la misere de l'homme et de sa captivité sous le peche et sous le Demon; les moyens d'en sortir par Jesus Christ et de revivre a son Esprit, qui apres cela gouverne desormais les ames victorieuses, et produit dans elles des operations des graces que le monde ne connait pas. On n'a pas besoin d'avertir ceux qui ont des yeux pour voir, qu'ils y trouveront la substance de toute la Theologie Mystique, jusqu'aux termes memes qui surprennent le plus etrangement ceux a qui cette divine Theologie deplait, d'autant plus que plus ils y sont indisposes par les tenebres de leur raison corrompue et par le trouble de leurs passions.

V.

Dantis Paradise XXII. 49.

Digitized by Google

SANCTI PATRIS NOSTRI

MACARII ÆGYPTII

HOMILIÆ SPIRITUALES, PERMAGNA UTILITATE REFERTÆ,

De integritate, quæ decet Christianos, cuique operam dare debent.

HOMILIA I.

Allegorica interpretatio visionis apud Ezechielem descriptæ.

I. Quam Ezechiel propheta divinam illustremque visionem viderat[1], eam litterarum monumentis mandavit ac descripsit, mysteriis humanæ menti imperviis refertam. Vidit enim in campo currum Cherubim, quatuor animalia spiritualia. Quorum singulis erant quatuor facies, uni quidem leonis, alteri aquilæ, tertio vituli, quarto hominis facies erat. Singulis quoque faciebus erant alæ, ut neque anteriora, neque posteriora cognosci potuerint. Terga illorum oculis plena: et pectora similiter oculis abundabant, nec ullus erat locus, qui oculis non fuerit plenissimus. Et rotæ secundum quamque faciem tres, in modum rotæ: et in rotis inerat spiritus. Et vidit tanquam similitudinem hominis, et quæ subtus pedes ejus erant, erant tanquam opus sapphiri. Et ferebat currus Cherubim, animalia vero insidentem Dominum. Quocumque progredi volebant, in faciem erat. Et vidit subtus Cherubim veluti manum hominis, gestantem et fulcientem.

[1] Ezech. 1, 1, et seqq.; 2, 2, et seqq.

Digitized by Google

II. Et hoc, quod vidit Propheta in extasi seu stupore constitutus, verum ac certum erat. Significabatur enim ac adumbrabatur alia quædam, non minus arcana, quam divina res, mysterium scilicet a generationibus revera absconditum, manifestatum tamen ultimis temporibus in apparitione Christi. Videbat enim mysterium animæ, quæ dominum suum amplexura, et thronus gloriæ futura erat. Anima siquidem, quæ de Spiritus sancti, præparantis illam sibi in sedem et habitationem, participare lumine digna judicata, et pulchritudine inenarrabilis gloriæ ejus illustrata est, tota fit lumen, tota facies et tota oculus : nec ulla est ejus pars, quæ oculis spiritualibus luminis plena non sit : hoc est nulla ejus pars tenebris offusa, sed tota lumen et Spiritus effecta, et tota oculata, nec anteriorem, nec posteriorem partem ullam habet, sed undique in facie est, descendente super illam, et in ea insidente ineffabili pulchritudine gloriæ luminis Christi. Et quemadmodum sol undiquaque sui similis, nullam partem posteram aut imperfectam habet, sed totus omnino lumine coruscat, et totus lumen est, ex similibus partibus conflatus : aut quemadmodum ignis, ipsum scilicet lumen ignis, totus sibi similis est, nec anterius, aut posterius, aut majus, aut minus quid in se habet : sic et anima, ineffabili pulchritudine gloriæ luminis faciei Christi perfecte illustrata, et Spiritus sancti perfecte particeps facta, et quæ fieret habitatio et sedes Dei, digna judicata, tota oculus, tota lumen, tota facies, tota gloria et tota spiritus fit, ita præparante eam Christo, ferente, agente, portante, gestante, sicque exornante ac decorante illam pulchritudine spirituali : inquit enim : « Manus hominis erat subtus Cherubim. » Quia ipse est, qui in ea vehitur, et qui viam ei commonstrat.

III. Quatuor autem illa animalia currum ferentia, ty-

Digitized by Google

pum præ se ferebant præcipuarum animæ rationalis partium. Quemadmodum enim aquila cæteris avibus dominatur, et leo agrestibus feris, ac taurus mansuetis animalibus, et homo creaturis præstat : sic et animæ sunt potentiæ, aliæ aliis excellentiores. Dico autem, voluntatem, conscientiam, mentem et diligendi vim. Per illas enim currus animæ gubernatur, et in his requiescit Deus. Aliter vero et ad cœlestem sanctorum Ecclesiam transferri hoc potest. Et quemadmodum illuc dicit : « Quod animalia erant valde » sublimia, plena oculis, nec cuiquam licebat comprehendere numerum oculorum, aut sublimitatem, » quia horum cognitio data non est : et quemadmodum sidera in cœlo contemplari et admirari datum est omnibus hominibus : numerum vero eorum cognoscere in nullius viribus est : eodem modo in cœlestem sanctorum Ecclesiam ingredi quidem et refocillari omnibus certamen inituris licet : cognoscere vero et comprehendere numerum, soli Deo ascribitur, illique soli tribuitur. Fertur igitur et vehitur insidens ille a curru et throno oculatorum animalium, aut a qualibet anima, quæ ipsi thronus et sedes facta est, et quæ oculus et lumen existit, cum ascenderit super illam, habenis Spiritus eam regens, et prout novit dux viæ ei existens. Quemadmodum enim animalia spiritualia, non quocumque volebant progrediebantur, sed eo, quo scibat et volebat ille, qui insidebat et dirigebat : sic quoque hic ipse habenas tenet ac moderatur, et viam monstrans ducit in Spiritu suo : sic quoque progrediuntur non pro suo lubitu, quo volunt, in cœlo. Et abjecto corpore ducit et regit in cœlis animam sapientia : et rursus quando libet, venit in corpus et cogitationes; quando autem libet in fines terræ, et revelationes mysteriorum ostendit illi. O bonum et utilem et solum verum agitatorem! Eodem autem et corpora in resurrectione

Digitized by Google

digna judicabuntur honore, quem nunc anima, quæ Spiritui permixta est, prius percipit.

IV. Quod autem in cœleste lumen evadant animæ justorum, ipse Dominus Apostolis dicit: « Vos estis lux » mundi[1]. » Ipse enim, qui effecit eos lucem, per illos illuminari mundum jussit ac præcepit. « Non accendunt » lucernam, inquit, et ponunt illam subter modium, sed » super candelabrum, et lucet omnibus, qui sunt in domo; » sic luceat lux vestra coram hominibus[2], » hoc est, ne occultetis donum, quod accepistis a me, sed date omnibus volentibus. Et rursus : « Lucerna corporis est oculus. » Cum igitur oculus tuus fuerit lucidus, totum quoque » corpus tuum lucidum erit. Quod si malus erit, totum » quoque corpus tuum tenebrosum erit[3]. Si igitur lumen, » quod in te est, tenebræ sunt, tenebræ quantæ fu» turæ[4] ? » Quemadmodum enim oculi corporis lumen sunt, et quando oculi incolumes ac sani sunt, totum corpus illuminatur; si vero quid incidat, ut tenebris offundantur, totum corpus tenebrosum redditur : sic Apostoli, oculi et lumen totius mundi constituti ac ordinati sunt : dixit igitur iis præcipiens Dominus : « Si vos, qui » estis lux mundi, perseveraveritis, nec deflectatis, ecce » totum corpus mundi illustratum est : si vero vos, qui » estis lux, caligine obducti fueritis, quantæ futuræ tene» bræ, quæ sunt mundus[5] ? » Lux igitur cum essent facti Apostoli, lucem præbuerunt credentibus, illuminantes illorum præcordia cœlesti Spiritus lumine, quo et ipsi illuminati erant.

V. Et sal cum essent ipsi, condiebant et saliebant omnem animam credentem, sale Spiritus sancti. Dixit enim iis Dominus, « Vos estis sal terræ[6], » terram vocans animas

[1] Matth. v, 14. — [2] Ibid. 15, 16. — [3] Id. vi, 22, 23. — [4] Luc. xi, 34. — [5] Matth. vi, 22. — [6] Id. v, 13.

Digitized by Google

proborum hominum; subministrabant enim animis hominum sal Spiritus cœleste, condientes illos, et a putredine ac noxa ex multo fœtore vindicantes. Quemadmodum enim caro, si sale non sit conspersa, putrescit, et multo fœtore repletur, adeo ut omnes avertantur ob gravem odorem: et vermes irrepunt in carnem putridam, illicque pascuntur, comedunt et in cavernulis delitescunt: si vero supervenerit sal, interficiuntur et pereunt illic depascentes vermes, et gravis odor fœtoris cessat: natura siquidem salis est, ut interimat vermes, et fœtorem tollat: eodem quoque modo omnis anima, non condita Spiritu sancto, cœlestisque salis, hoc est, potentiæ Dei particeps non facta, putredine vitiatur, ac fœtore pravarum cogitationum copioso repletur, adeo ut avertatur facies Dei a gravi fœtore vanarum ac tenebrosarum cogitationum, et affectionum eidem animæ inhærentium. Et noxii atque improbi vermes, qui sunt Spiritus malitiæ, et potestates tenebrarum in ea inambulant, illic pascuntur, delitescunt et repunt, atque eam devorant et corrumpunt: « Fœtorem » enim præbuerunt, et putruerunt vibices mei[1]. » Si vero ad Deum confugiat, credat et petat salem vitæ, bonum ac humanum Spiritum, tum veniens sal cœleste interimit tetros illos vermes, et sublato pessimo fœtore, extinguit graveolentiam virtute potentiæ salis: et sic illa incolumis et illæsa effecta per verum sal, in usum et ministerium cœlestis Domini ordinatur. Propterea etiam in lege, exemplo utens Deus, jussit omnes victimas sale saliri[2].

VI. Oportet igitur primum victimam mactari a sacerdote, et mori, et tunc dissectam sale condiri, deinde sic igni imponi. Nisi enim prius mactet et occidat ovem sacerdos, non salitur, neque ad holocaustum Domino adducitur: sic et nostram animam accedentem, vero Pontifici

[1] Psal. xxxvii, 6. — [2] Levit. ii, 2, 13.

Digitized by Google

Christo, oportet mactari ab eo, et cogitationibus ac pessimæ vitæ, cui vivebat, hoc est, peccato mori, et tanquam vitam oportet ex ea egredi pravas affectiones. Quemadmodum enim corpus, postquam evolavit anima, mortuum est, nec amplius vivit vita, qua vivebat, neque audit, neque ambulat: sic postquam mactavit et gratia virtutis suæ interemit mundo vitam nostram cœlestis pontifex Christus, moritur illa vitæ perversæ, secundum quam vivebat, et amplius neque audit, neque loquitur, neque versatur in tenebris peccati; quia per gratiam discedunt, velut anima ejus, malæ affectiones. Et Apostolus exclamat, dicens: « Mihi » mundus crucifixus est, et ego mundo[1]. » Anima enim, quæ in mundo et tenebris peccatorum adhuc vivit, ab eoque non est mortificata: sed adhuc animam malitiæ, hoc est, potentiam tenebrosarum peccati affectionum in se habet, et ab illa nutritur, non est de corpore Christi, nec est de corpore lucis, sed est corpus tenebrarum, et ex portione tenebrarum adhuc est. Quemadmodum e converso, qui habent animam lucis, hoc est, virtutem Spiritus sancti, ex portione lucis sunt.

VII. Sed dicat aliquis, quo pacto animam dicis corpus tenebrarum, cum non sit ab illis genita? Huic adhibens mentem bene attendito, quemadmodum vestem aut indumentum, quod gestas, alius confecit, et tu eo indueris: similiter et domum alius ædificavit et extruxit, et tu nihilominus inhabitas illam: eodem modo Adam transgressus mandatum Dei, et obtemperans malitioso serpenti, vendidit se ipsum diabolo, induitque tum animam ille malitiosus: elegantissimam scilicet creaturam, quam condiderat Deus, ad sui imaginem, ut et Apostolus dicit: « Ex » polians principatus et potestates, triumphavit de illis in » cruce[2]. » Propterea enim et adventus Domini contigit,

[1] Galat. VI, 14. — [2] Coloss. II, 15.

Digitized by Google

ut ejiceret ipsos, et reciperet propriam domum et templum, hominem scilicet. Quocirca dicitur anima corpus tenebrarum malitiæ, quandiu in illa sunt tenebræ peccati: quia illic vivit in sæculo tenebrarum perverso, et illic capta tenetur: quemadmodum et Paulus corpus peccati et corpus mortis appellat, dicens: « Ut destruatur corpus pec» cati [1]. » Et rursus, « Quis me liberabit ex corpore mortis » hujus [2]? » Similiter et e converso anima Deo credens, et a peccati sordibus soluta, ac per mortem sublata ex vita tenebrarum, postquam lumen Spiritus sancti tanquam vitam acceperit, illic vivens reliquum vitæ terit, quia illic capta tenetur a lumine divino. Neque enim naturæ divinæ est anima, neque naturæ tenebrarum malitiæ, sed est quid creatum, intellectuale, pulchrum, insigne, et admirandum, atque elegans similitudo et imago Dei, in quam propter transgressionem invasit malitia affectionum, quæ sunt tenebrarum.

VIII. Reliquum, cum quo commiscetur anima, cujusque tenetur dominio, cum eo quoque voluntatibus conjuncta est. Sive igitur lucem Dei in se habeat, et in illa vivat omnem virtutum orbem complexa, luce acquiescentiæ abundat: sive tenebris peccati obvoluta sit, condemnationis particeps est. Animam igitur, quæ vult vivere apud Deum in requie et luce æterna, accedere oportet, ut dictum est, ad verum pontificem Christum, mactari, et mori mundo ac priori vitæ tenebrarum et malitiarum, atque transponi in alteram vitam et educationem divinam. Quemadmodum, si quis moritur in civitate, neque voces illorum, qui ibi degunt, neque sermonem, neque sonum illum exaudit, sed prorsus mortuus est, et transponitur in alium locum, ubi nullæ sunt voces, nulli clamores illius civitatis: sic et anima, postquam mactata et mortua fuerit civitati

[1] Rom. VI, 6. — [2] Id. VII, 24.

malarum affectionum, in qua degebat ac vivebat prius, non amplius exaudit in se ipsa vocem cogitationum tenebrarum. Non amplius auditur sermo et clamor frivolarum disputationum, et turbæ spirituum tenebrarum : sed transfertur in civitatem bonitatis et pacis plenam, in civitatem divinæ lucis, illic vivit et audit, illic conversatur, loquitur et ratiocinatur illic, operatur opera spiritualia et Deo digna.

IX. Oremus igitur et nos, ut per virtutem ejus mactemur, et moriamur sæculo malitiæ tenebrarum, inque nobis extinguatur Spiritus peccati, induamurque et accipiamus animam Spiritus cœlestis, ac transferamur ex malitia tenebrarum in lumen Christi, ad requiescendum in vita per omnia sæcula. Veluti enim in cursu stadiorum currus antevertens impedit, reprimit, atque prohibet alterum, ne progrediatur et palmam præripiat : sic et cogitationes animæ et peccati currunt in homine. Si ergo contingat, cogitationem peccati præcedere, id impedit, avertit, et prohibet animam, ne appropinquet Deo, et victoriam adversus peccatum reportet; ubi vero Dominus ipse inscendat et gubernet animam, semper illa victoriam consequitur, regens et ducens scienter currum animæ per omnia ad cœlestes ac divinas contemplationes. Non enim bellum gerit contra malitiam, sed cum pro arbitrio et auctoritate sua quidvis agendi potestatem habeat, victoriam ipse parat. Aguntur igitur Cherubim, non quo progredi volunt; sed qua sessor et dirigens ducit, quoque libuerit illi, eo progrediuntur, et illos bajulat. « Manus enim, inquit, erat » sub illis [1]. » Ducuntur animæ sanctæ, et reguntur a Spiritu Christi, qui dirigit illas quo vult, et interdum pro voluntate sua per cœlestes cogitationes, interdum per corpus : ubi libuerit, illic ei ministrant. Quemadmodum enim pedes volucrum sunt alæ : sic cœleste lumen Spiritus

[1] Ezech. x, 21.

Digitized by Google

accipit alas cogitationum dignarum animæ, eamque diligit ac ducit, prout ipse novit.

X. Tu igitur, quando auditu hæc percipis, respice te ipsum, an possideas hæc reipsa et revera in anima tua: non enim sunt verba simpliciter ac nude prolata, sed opus vere in anima efficitur. Et si non possideas, ac tantorum spiritualium bonorum egenus sis, tristitiam, mœrorem, ac luctum perpetuum habeto, velut adhuc mortuus a regno, et velut sauciatus, continuo clama ad Dominum, et pete confidenter, ut te quoque vera hac vita dignetur. Quemadmodum enim Deus, qui hoc corpus condidit, non ex sua ipsius natura, neque ex corpore dedit ei habere vitam, cibum, potum, indumenta et calceamenta: sed, cum corpus creasset per se nudum, et tale quidem, quod absque illis, quæ extra corpus sunt, hoc est, absque cibo, potu et vestimentis, vivere non posset, omnem sustentationem vitæ extrinsecus concessit: quod si in sua ipsius natura solum constiterit, nullo exteriori assumpto, corrumpitur ac interit: eodem modo et anima, divino lumine destituta, condita vero secundum imaginem Dei (sic enim Deo ex dispensatione placuit, eam habere vitam æternam) non ex propria natura, sed ex ipsius Dei Divinitate, ex peculiari Spiritu, ac peculiari lumine, habet cibum ac potum spiritualem, et vestimenta cœlestia, quæ sunt vera vita animæ.

XI. Quemadmodum igitur corpus, ut supra dictum, vitam non ex se, sed aliunde habet, hoc est a terra, et absque iis, quæ extra sunt, impossibile est ei vitam ducere: ita et anima, nisi ab hoc tempore regeneretur in illam viventium terram, et illic spiritualiter alatur, et spiritualiter Domino proficiens crescat, et arcanis vestimentis cœlestis pulchritudinis ex Divinitate desumptis induatur, absque illo cibo in gaudio et quiete ex se ipsa vivere plane non potest. Habet enim etiam divina natura panem vitæ, qui

Digitized by Google

dicit : « Ego sum panis vitæ [1]. » Et, « Aquam viventem [2], » et, « Vinum lætificans cor hominis, et, oleum exultatio- » nis [3], » et multiplicem cœlestis Spiritus cibum, et vestimenta luminis cœlestia, a Deo profecta. In his consistit æterna animæ vita. Væ corpori, si in sua ipsius natura constiterit, quia corrumpitur et moritur. Væ etiam animæ, si in sua ipsius natura consistat, et suis operibus solum fidat, non habens participationem Spiritus divini, quia moritur, nec vitæ æternæ ac divinæ idonea putatur. Quemadmodum enim infirmis accidit, ut, si corpus amplius cibum capere nequeat, omnem de eorum vita spem abjiciant, omnesque veri amici, cognati atque familiares plorent : sic deplorat Deus et sancti Angeli animas, non vescentes cœlesti cibo Spiritus, nec in incorruptione viventes. Hæc vero rursus dico, non sunt verba nuda et simpliciter prolata, sed opus vitæ spiritualis, opus verum, quod efficitur in anima digna et fideli.

XII. Si igitur thronus Dei effectus es, et insederit in te cœlestis auriga, et anima tua tota oculus spiritualis, et tota lumen effecta est : si quoque cœlesti illo Spiritus cibo enutritus es, et ex aqua vitæ bibisti, atque vestimenta arcani luminis induisti : si denique tuus interior homo hæc omnia expertus ac in fidei abundantia constitutus est, ecce vivis vitam revera æternam, requiescente anima tua ab hoc momento cum Domino. En adeptus es et accepisti hæc a Domino in veritate, ut vitam veram vivas. Si vero nihil horum tibi conscius es, plora, contristare ac geme, quod æternarum ac spiritualium divitiarum particeps factus nondum es, et veram vitam nondum accepisti. Sollicitus ergo esto de inopia tua, supplicans Domino noctes et dies, eo quod in gravi paupertate peccati es constitutus. Utinam vero sit aliquis qui de penuria sua anxius sit ! et non velut

[1] Joh. VI, 35. — [2] Id. IV, 10. — [3] Psal. CIV, 15, et XLV, 8.

Digitized by Google

saturati in securitate vivamus ! quia qui laborem ejusmodi sustinet, quærit et indesinenter Dominum obsecrat, non consequetur redemptionem ac cœlestes divitias, quemadmodum Dominus dixit, de injusto judice et vidua sermonem habens : « Quanto magis Deus vindictam faciet cla- » mantium ad se nocte et die? certe dico vobis, quia cito » faciet vindictam illorum [1]. » Cui gloria et potentia in sæcula. Amen.

HOMILIA II.

De regno tenebrarum, hoc est, peccato : Et Deum solum posse a nobis peccatum auferre, ac nos liberare e jugo servitutis principis nequissimi.

I. Regnum tenebrarum, malitiosus nimirum ille princeps, homine ab initio captivo reddito, sic circumdedit et induit animam tanquam hominem, potestate tenebrarum : « Et creent eum regem, et induant eum vestibus regali- » bus, et a capite ad ungues regalia ferat vestimenta. » Ita animam, ac totam ejus substantiam peccato induit nequam ille princeps, totam inquinavit, et totam captivam in regnum suum abduxit, nec reliquit ullum ejus membrum a se liberum, non cogitationes, non mentem, non corpus, sed amicivit eam purpura tenebrarum. Quemadmodum enim corporis non una pars, aut unum membrum patitur, sed totum omnino passioni obnoxium est : sic et tota anima affectionibus malitiæ et peccati. Induit igitur totam animam præcipuum hominis membrum ac partem improbus

[1] Luc. xviii, 7.

Digitized by Google

ille malitia sua, hoc est, peccato : et sic corpus passioni ac corruptioni subjectum est.

II. Cum enim Apostolus dicit : « Exuite veterem homi- » nem, » integrum dicit, habentem oculos suis oculis adjectos, caput capiti, aures auribus, manus manibus, pedes pedibus. Totum enim hominem, animam et corpus, improbus ille polluit et distraxit, subiitque hominem, veterem hominem, pollutum, impurum atque Dei hostem, non subjectum legi Dei, hoc est, ipsum peccatum, ita ut amplius non videat homo pro lubitu suo, sed ut perperam videat, perperam audiat, et pedes habeat ad perpetrandum facinus accelerantes, ac manus iniquitatem operantes, et cor cogitans mala[1]. Obsecremus igitur et nos Deum, ut exuat nos homine veteri, quia ipse solus a nobis auferre potest peccatum : quia fortiores sunt, qui nos captivos abduxerunt, et in regno suo detinent. Ipse vero promisit se liberaturum nos ex servitute hac. Quemadmodum enim sol cum lucet, et ventus spirat, sol quidem proprium corpus, et propriam naturam habet, item et ventus propriam naturam, et proprium corpus habet, et nemo potest separare ventum a sole, nisi solus Deus ventum, ne amplius spiret, sedaverit : sic et peccatum animæ commixtum est, utroque nihilominus propriam naturam habente.

III. Impossibile igitur est, separare animam a peccato, nisi Deus sedet et sistat malitiosum hunc ventum, habitantem in anima et corpore. Et rursum, quemadmodum, si quis cernit avem volantem, vult et ipse volare, alis vero destitutus volare nequit : sic quoque homini adest voluntas, purum, irreprehensibilem et impollutum esse, nihil malitiæ in se ipso habere, sed semper cum Deo conversari, facultatem vero non habet. Volare quidem in aërem divinum atque libertatem Spiritus sancti cupit, sed, nisi

[1] Psal. xvii, 3.

Digitized by Google

acceptis alis, non potest. Precemur igitur Deum, ut concedat nobis alas columbæ sancti Spiritus, ut volemus ad eum et requiescamus[1], ut etiam segreget et tollat ab anima et corpore nostro improbum ventum, ipsum scilicet peccatum in membris animæ et corporis nostri habitans. Ipsi enim hoc facere solum est possibile. « Ecce, ait enim, Ag» nus Dei, qui tollit peccata mundi[2]. » Ipse solus misericordiam hanc, quod a peccato redimat, exhibuit hominibus in se credentibus, et hanc inenarrabilem salutem confert semper expectantibus, et assidue quærentibus eum, in eoque spem suam ponentibus.

IV. Quemadmodum in nocte caliginosa et obscura vehemens quidam ventus spirat, et omnes plantas ac semina sub concutit, commovet, et agitat : sic quoque homo lapsus potestatem noctis tenebrarum diaboli, et in nocte tenebrisque degens, gravi vento peccati flante commovetur, concutitur et quassatur, qui omnem naturam, animam scilicet, cogitationes et mentem perscrutatur : omnia denique concutiuntur corporis membra, neque ullum membrum animæ aut corporis immune, nec ullum ab affectionibus peccati, in nobis habitantis, liberum est. Similis itaque dies luci, et ventus divinus Spiritui sancto, perspirans et refocillans animas, quæ in die lucis divinæ vivunt, et pertransiens omnem naturam animæ et cogitationes, ac omnem substantiam et omnia membra corporis recreans et refocillans divina et inenarrabili requie. Id quod dixit Apostolus : « Nos non sumus filii noctis, neque tenebrarum. Omnes » enim vos filii lucis estis et filii diei[3]. » Et quemadmodum illic, in via erronea, hominem integrum ac perfectum exuit homo vetus, et gestat indumentum regni tenebrarum, vestimentum blasphemiæ, diffidentiæ, audaciæ, inanis gloriæ, superbiæ, avaritiæ, et concupiscentiæ, et alia simi-

[1] Psal. LV, 7. — [2] Joan. I, 29. — [3] 1 Thess. V, 5.

Digitized by Google

lia regni tenebrarum gestamina pannosa, impura et contaminata: sic e converso quicumque exuerunt veterem et terrestrem hominem, et quoscumque exuit Jesus vestimentis regni tenebrarum, induerunt illi novum et cœlestem hominem Jesum Christum, ut rursus oculi oculis, aures auribus, caput capiti conjungantur, ut totus purus sit, gestans imaginem cœlestem.

V. Et induit ipsos Dominus indumentis regni lucis arcanæ, indumentis fidei, spei, dilectionis, gaudii, pacis, bonitatis, humanitatis, et omnibus cæteris indumentis lucis, vitæ, divinis, viventibus, requiei inenarrabilis: ut perinde ac Deus dilectio est, et gaudium, et pax, et benignitas, et bonitas, talis et novus homo fiat per gratiam. Et quemadmodum regnum tenebrarum et peccatum in anima usque ad diem resurrectionis absconditum est, quando ipsum corpus peccatorum cum tenebris nunc in anima occultatis revelabitur: sic et regnum lucis, et cœlestis imago, Jesus Christus, mystice nunc animam illuminat, et dominatur animis Sanctorum. Absconditus vero ab oculis hominum Christus, solis oculis animæ vere conspicitur usque ad diem resurrectionis, quando et ipsum corpus revelabitur, et glorificatur luce Domini, quæ nunc est in anima hominis, ut et ipsum corpus regnet cum anima, quæ nunc regnum Christi consecuta, requiescit et luce divina illuminatur. Gloria sit commiserationi et misericordiæ ejus, quia miseratur servorum suorum, illuminat, et liberat eos ex regno tenebrarum, ac donat eos lumine et regno suo, cui gloria et potentia in sæcula. Amen.

Digitized by Google

HOMILIA III.

Quod fratres in sinceritate, simplicitate, dilectione ac pace inter se conversari, ac in cogitationibus internis bellum gerere debeant.

I. Fratres in summa dilectione invicem conversari debent, sive preces faciant, sive legant Scripturas, sive operis quid faciant, ut fundamentum charitatis mutuum habeant; et ita approbari poterunt illorum instituta seu studia, et qui precibus operam dant, et qui legunt, et qui operantur, omnes possunt in sinceritate et simplicitate degentes a se invicem adjuvari. Cur enim scriptum est: « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra, ut quomodo Angeli in cœlis inter se congrediuntur in unanimitate summa, in pace et dilectione degentes, nec est ullus illic fastus aut invidia; sed in dilectione et sinceritate mutua conversantur: eodem modo fratres inter se sint. Contingit quosdam ad triginta in unum convenire, totum diem ac noctem una persevare non possunt; sed quidam eorum dant operam precibus sex horas, et volunt legere: quidam vero prompte ac benevole ministrant, cæteri ex ipsis operis quid faciunt.

II. Debent igitur fratres, si quis operis faciunt, in charitate et lætitia inter se conversari; et qui operatur, de eo, qui preces facit, sic dicat: « Thesaurum quem frater » meus possidet, quoniam communis est, et ego habeo: » Et qui precatur, de eo, qui legit, sic dicat: « Quod ille

[1] Matth. VI, 10.

Digitized by Google

» percipit commodum ex lectione, in meum cedit lucrum : » Et qui operatur, rursus sic dicat, « Ministerium quod præ- » sto, in communem cedit utilitatem. » Quemadmodum enim membra corporis multa cum sint, unum corpus sunt, et se mutuo adjuvant, et unumquodque suo fungitur officio, velut oculus pro toto corpore videt, et manus pro omnibus membris laborat, et pes ambulat omnia membra sustinens, et aliud membrum compatitur : sic et fratres inter se sint. Itaque qui preces facit, non judicet laborantem, quod non precetur : neque qui laborat, condemnet precantem, quod ille quiescat, ipse vero laboret : neque qui ministrat, alterum damnet. Sed unusquisque, si quid facit, in Dei gloriam faciat. Qui legit, amore et gaudio prosequatur precantem, sic secum colligens, quia pro me orat. Et qui orat, de laborante hoc statuat, quia quod operatur, ad communem utilitatem facit.

III. Et sic summa concordia et pax, animarumque consensus in vinculo pacis eos inter se continere potis erit, ut conversentur in sinceritate et simplicitate et benevolentia Dei. Maximum autem omnium est, videlicet opportuna precum continuatio. Præterea unum requiritur, ut quis habeat thesaurum in anima, et vitam, quæ est dominus in animo : sive laboret, sive precetur, sive legat, ut habeat illam possessionem non perituram, quæ est Spiritus sanctus. Non desunt, qui dicant Dominum manifestos solos fructus requirere ab hominibus : interiora vero Deum corrigere. Non autem res sic se habet : sed quemadmodum adversus exteriorem hominem se munit, sic et adversus cogitationes bellum inire et gerere debet. Exigit enim a te Dominus, ut tibi ipse irascaris, et pugnam committas cum mente tua, neque assentiaris aut delecteris cogitationibus pravis.

IV. Quod superest, peccatum illique adhærens malum

Digitized by Google

radicitus evellere, hoc divina solum virtute emendari potest. Non licet enim, neque possibile est homini propriis viribus extirpare peccatum. Reluctari quidem, repugnare, cædere, vulnerari in tuis viribus est; eradicare vero solius Dei est. Si etenim hoc præstare in tua potestate fuisset, quid opus fuisset adventus Domini? Perinde enim, ut non licet oculum absque luce videre, aut loqui absque lingua, aut audire absque auribus, aut incedere absque pedibus, aut labores perferre absque manibus : sic nec absque Jesu salvari, aut regnum cœlorum ingredi potes. Quod si dicas, Manifesto stupro aut adulterio me non polluo, nec avaritiæ crimen incurro, consequens est, ut justus sim : toto cœlo hic aberras, putans te omnia perfecisse. Non sunt solum tres species peccati, adversus quas quis se muniat oportet, sed infinitæ. Arrogantia, temeritas, diffidentia, odium, invidia, fraus, hypocrisis unde sunt? Nonne tibi adversus hæc certamen et pugna in secretis tuis cogitationibus ineunda est? Quemadmodum si latro domum tuam invaserit, jam te molestia magna afficit, nec te vacuum esse curis sinit; incipis vero et tu repugnare illi, cædis atque cæderis : ita et anima debet referire, repugnare et retundere.

V. Demum vero voluntas repugnans, molestia atque afflictione obruta, incipit superior fieri, cadit, erigitur. Denuo peccatum conjicit animam in decem aut viginti congressus; vincit animam atque prosternit : et anima quidem temporis intervallo decretoria pugna superat peccatum. Rursum si perstiterit anima, nec languidior in parte, aliqua fuerit, incipit superior evadere, et discernere, et reportare palmas adversus peccatum. Sed in his, si recte res suis ponderibus librata examinetur, tandiu peccatum hominem subvertit, donec evadat « In virum

Digitized by Google

» perfectum, in mensuram ætatis[1], » et omnino superet mortem. Scriptum enim est: « Novissimus hostis aboletur » mors[2]. » Et sic superiores evadunt et dictores diaboli. Si vero, ut jam diximus, dicat quis : Nec scortor, nec adulterio me polluo, nec avarus sum, hoc sufficit mihi; dimicavit is quidem hoc modo adversus tres peccati species, contra reliquas vero viginti, quas peccatum adversus animam habet, non pugnavit, sed victus est. Pugnandum igitur et dimicandum est illi adversus omnes peccati species. Mens enim, ut sæpius diximus, adversaria est, et æquas habet vires adversus peccatum, ut contradicat et resistat cogitationibus.

VI. Quod si dicas potentiores esse adversas vires, et malitiam omnino homini dominari, injustum facis Deum, qui condemnet humanam naturam, eo quod Satanæ obedierit, quandoquidem fortior est, et vi cogente hominem sibi subjicit : majorem et fortiorem eum enim anima constituis. Sed tandem me audies. Quemadmodum si juvenis sit, qui luctam ineat cum puello, et si puellus, si succubuerit, condemnetur, quod inferior evaserit, multum hoc habet iniquitatis : perinde dicimus et nos mentem adversariam esse, et æquis viribus præditam. Et hujusmodi anima, opem et auxilium, si serio quærat, id consequitur, et digna censetur redemptione. Certamen enim et pugna in æqualitate virium consistit. Glorificemus Patrem et Filium et Spiritum sanctum in sæcula. Amen.

[1] Ephes. IV, 9. — [2] 1 Cor. XV, 26.

Digitized by Google

HOMILIA IV.

Cursum stadii hujus mundi attente et accurate absolvere oportet Christianos, ut cæleste præconium a Deo et Angelis consequantur.

I. Qui vitam christianam studio accurato transigere intendunt, eos præ cæteris facultatis intelligendi et discernendi, quæ in anima est, summam curam habere oportet, ut, cum exactam boni malique dijudicationem nacti ea, quæ præter naturam puræ naturæ undiquaque invehantur, distinxerimus, recte et absque offendiculo conversemur; ut velut discernendi facultate oculo utentes, id consequamur, ut idonei non simus, qui cum pravitate et malitia fœdus percutere possimus; sicque divino munere ornati digni Domino fiamus. Exemplum capiamus ab iis, quæ visui subjecta sunt. Similitudinem enim quamdam habet corpus cum anima, et ea, quæ sunt corporis cum iis, quæ ad animam spectant, et quæ videntur, cum iis, quæ sub aspectum non cadunt.

II. Quemadmodum enim corpus oculum habet ducem, et ipse oculus videns totum corpus in rectam id viam deducit. Statuas mihi, transire quemdam per loca sylvestria, spinosa et lutosa, ubi et ignis erumpat, et gladii affixi, et præcipitia sint, et multæ aquæ. Jam ergo agilis ille, sedulus et immotus, habens oculum ducem, omnino attente transit loca illa difficilia, continens undiquaque manibus et pedibus tunicam suam, ne a fruticibus et spinis discerpatur, aut lute commaculetur, aut a gladio diffindatur. Et

Digitized by Google

oculus totum corpus dirigit, lumen ipsius existens, ne per præcipitia disrumpatur, aut aquis immergatur, aut casu difficili lædatur: sic ergo alacris ille et cautus transgrediens coarctata veste sua, summa animi sobrietate, ab oculo recta deductus, non se ipsum solum illæsum, sed et tunicam suam incombustam et indivisam conservat. Si vero quispiam minus alacer, tardus, segnis, socors, lentus et ignavus hæc loca transgrediatur, tunica ejus hinc inde diffluens, fruticibus et spinis discerpitur, aut igni comburitur, eo quod eam non strenue contineat; aut ab affixis gladiis diffinditur, aut cœno polluitur, et, ut breviter dicam, citius perdit elegantem ac novam illam vestem, propter negligentiam, oscitantiam et ignaviam suam. Quinimo, si minus diligenter et alacriter oculo attendat, aut incidet in foveam, aut aquis demergetur.

III. Eodem modo et anima, quæ tunicam corporis gestat, veluti præclaram vestem, pollens facultate discernendi, quæ dirigit totam cum corpore animam, transeuntem per nemora et spinas vitæ, et per cœnum, et ignem, et præcipitia, hoc est, cupiditates et voluptates, et reliquas hujus sæculi absurditates, ubique debet sobrie, fortiter, diligenter et attente continere et observare se ipsam, et tunicam corporis, ne dilaceretur inter frutices et spinas hujus mundi, ut sunt sollicitudines, negotia et curæ terrestres; aut ab igne concupiscentiæ comburatur: ea velut induta oculum avertit, ne videat malitiam: similiter et aures, ne audiant detrectationes: linguam, ne loquatur vana: manus et pedes ab actionibus et studiis inhonestis. Habet enim anima voluntatem avertendi, et avocandi membra corporis ab inhonestis spectaculis, ab auscultatione ejus, quod malum et turpe est, a sermone minus decenti, et officiis mundanis ac perversis.

IV. Avertit etiam se ipsam anima ab occupationibus

Digitized by Google

mentis minus piis, observans cor, ne cogitationes ejus per mundum hinc inde circumagantur : et sic non absque pugna et labore, ex omni parte diligenter et attente continens membra corporis a malitia, ab omni laceratione, combustione, et inquinatione, præclaram corporis tunicam, immunem conservat. Illa ipsa denique per suam voluntatem, quæ cognoscendi, intelligendi et discernendi vi prædita est, ac omnino ut dicam, per Domini virtutem conservabitur, quæ et se ipsam pro viribus suis cohibet et ab omni concupiscentia mundana subducit : atque sic auxilium a Domino nanciscitur, ut revera custodiatur a malis, quæ antea enumeravimus. Si quando enim Dominus quempiam viderit, qui gnaviter ab hujus mundi voluptatibus, distractionibus et curis crassis ac terrenis vinculis atque vanarum cogitationum occupationibus se avocet, præstat illi peculiare gratiæ auxilium, illæsamque animam illam, quæ fortiter præsens hoc sæculum perversum pertransit, conservat. Et sic anima cœleste præconium a Deo et Angelis ejus consequitur, quod vestem corporis sui et se ipsam accurate conservarit, et quod, quantum in se fuit, ab omni concupiscentia mundana aversa et remota, auxilioque divino potita, cursum stadii hujus vitæ feliciter absolverit.

V. Si quis autem pigritia et segnitie diffluens, caute in hac vita non ambulet, et ex sua ipsius voluntate omnem concupiscentiam mundanam non aversetur, nec Dominum solum in omni desiderio requirat, in spinas et nemora hujus mundi conjicitur, et ab igni concupiscentiæ vestis corporis comburitur, et cœno voluptatum inquinatur : et sic timida, ac sine fiducia in die judicii anima deprehenditur, eo quod, cum suam vestem immaculatam conservare non potuerit, eam fallaciis hujus sæculi corruperit : et propterea regno extruditur. Quid enim facturus Deus est

Digitized by Google

illi, qui sponte se ipsum mundo tradiderit, voluptatibusque deceptus ac terrenis occupationibus seductus, oberrat? Illi quidem auxilium præstat, qui sordidas voluptates, et priores mores aversatus, omni vi ac impetu cogitationes suas semper ad Dominum dirigit, et se ipsum abnegat, solumque Dominum ardenter quærit. Hunc conservat, qui se custodit a laqueis ac restibus sylvæ hujus mundi, qui etiam « Cum timore et terrore suam ipsius salutem » operatur [1], » omnique intentione per laqueos, restes et concupiscentias hujus sæculi transit, Dominique auxilium requirit, ac per gratiam misericordiæ ejus salvari sperat.

VI. Ecce enim quinque prudentes ac sobriæ virgines, alacriter accersentes hospitem naturæ suæ, accepto in vasibus cordis sui oleo, hoc est, superna gratia Spiritus, potuerunt ingredi una cum sponso in cœlestem thalamum. Reliquæ vero fatuæ in sua ipsius natura permanentes, non vigilarunt, nec operam dederunt, ut oleum exultationis acciperent in vasis suis [2], sed velut in carne adhuc essent, per negligentiam, segnitiem, socordiam, ignorantiam, aut etiam opinionem justitiæ, obdormiverunt. Propterea etiam thalamo regni exclusæ sunt, cum placere non possent cœlesti Sponso. Vinculo enim mundi, et terreno quodam amore detentæ omnem dilectionem et amorem suum cœlesti Sponso non obtulerunt, neque oleum secum sumpserunt. Quæ enim animæ naturæ suæ hospitem, sanctificationem scilicet Spiritus, quærunt, tota sua dilectione Domino devinciuntur, illic ambulant, illic precantur, illicque cogitationes suas defigunt, cæteris omnibus spretis. Propterea etiam dignæ habentur, quæ accipiant oleum divinæ gratiæ : et sic absque ulla offensione vitam transigere possunt, valde spirituali Sponso acceptæ et gratæ. Animæ vero in sua natura permanentes cogitationibus

[1] Philip. II, 12. — [2] Psal. XLV, 18.

Digitized by Google

humi repunt, humana cogitant, humi illarum mens domicilium habet: et quidem opinione sua persuasæ, se ad sponsum spectare, atque justificationibus carnis exornatas se esse putant; desuper vero ex spiritu natæ non sunt, cum oleum exultationis non acceperint.

VII. Quinque enim animæ rationalis sensus, accepta superna gratia et sanctificatione Spiritus revera sunt prudentes virgines, quippe quæ acceperint superne sapientiam gratiæ. Si vero in sola natura sua persistant, fatuæ deprehenduntur, et filiæ mundi esse demonstrantur: non enim exuerunt spiritum mundi, quamvis exteriore sermone, opinione ac forma motæ, se esse sponsi ponsas, falso sibi persuadeant. Quemadmodum enim animæ, quæ totæ omnino Domino devinctæ sunt, illic cogitationes suas, atque illic preces suas exercent, illic ambulant, et illic desiderio dilectionis Dei tenentur: sic e converso animæ, quæ dilectioni mundi deditæ sunt, et in terra domicilium habere volunt, illic ambulant, illic cogitant, illic earum mens habitat. Propterea etiam ad bonam Spiritus prudentiam, quæ est hospes naturæ nostræ, consequendam converti nequeunt, cœlestem, inquam, gratiam, quam nostræ conjungi et agglutinari naturæ oportet, ut possimus in cœlestem thalamum regni una cum Domino ingredi, et æternam salutem consequi.

VIII. Loco enim hospitis naturæ nostræ, malitiam affectionum per inobedientiam primi hominis in nos recepimus, quam in nobis veluti quamdam naturam consuetudine et longo usu confirmatam, per hospitem nostræ naturæ, cœleste scilicet donum Spiritus rursum expelli et pristinæ puritati restitui convenit. Et nisi nunc ardenti petitione, et rogatione, et fide, ac oratione atque aversatione mundi, cœlestem dilectionem Spiritus acceperimus, et natura nostra juncta fuerit dilectioni, quæ est Domi-

Digitized by Google

nus, et a malitia, qua est inquinata, per illam dilectionem Spiritus sanctificata fuerit, et nisi ad finem usque, absque labe et offendiculo, in omnibus mandatis ejus diligenter versati perseveraverimus, cœleste regnum consequi non poterimus.

IX. Atqui subtilius et profundius pro concessa mihi facultate disseram. Quapropter attente audite. Infinitus, inaccessus et increatus Deus, corpus assumpsit, propter immensam et ineffabilem bonitatem suam, et, ut ita loquar, velut imminuit se ipsum ab inaccessa gloria, ut uniri posset visibilibus suis creaturis, veluti animis Sanctorum et Angelorum, ut possint vitæ divinæ participes fieri. Unumquodque enim horum, secundum naturam suam corpus est (1), Angelus scilicet, anima et dæmon: quamvis enim subtilia sint, tamen in substantia, forma et et figura secundum tenuitatem naturæ eorum, corpora sunt tenuia: quemadmodum, et hoc corpus in substantia sua crassum et solidum est. Sic et anima subtilis cum sit, comprehendit in se oculum, per quem videt; aurem, per quam audit: similiter et linguam, per quam sermonem profert: manus, et in summa totum corpus, et membra ejus complectens anima, commiscetur cum eo, per quod omnes hujus actiones seu opera edit et exercet.

X. Eodem modo Deus, qui fines et intellectum nostrum longe transcendit, per bonitatem suam, se ipsum exinanivit, et induit membra corporis hujus, et retraxit se ipsum ab inaccessa gloria: ac per benevolentiam et humanitatem suam, transmutata forma, assumpsit corpus, et commiscetur, atque assumit animas sanctas sibi quam acceptas et fideles, et fit cum eis « Unus Spiritus, » secundum dictum Pauli: anima, ut ita loquar, evadit in animam, et substantia in substantiam, ut possit anima in novitate vivere, et immortalem vitam sentire, ac æternæ

Digitized by Google

gloriæ particeps fieri, ea, inquam, anima, quæ eo, Deo scilicet, digna est, eique perplacet. Si enim Deus ex iis, quæ non erant, ut essent, condidit hanc visibilem creaturam [1], magna cum differentia et varietate, quæ antequam fieret, non erat; voluit etiam, et nullo cum labore condidit ex iis, quæ non erant, substantias solidas et duras, velut terram, montes, arbores, (quæ durities naturæ sit vides,) et rursus medias aquas, et ex iis volucres nasci mandavit: et denuo tenuiora, ignem ac ventos, et cætera, quæ propter subtilitatem aciem oculi corporei effugiunt.

XI. Quo pacto infinita et ineffabilis multiplicis sapientiæ divinæ scientia condidit ex iis, quæ non erant, et crassiora, et subtiliora, et simpliciora corpora, quæ subsisterent voluntate sua: quanto magis ipse, qui est ut vult, et quod vult, per inenarrabilem clementiam et incomprehensibilem bonitatem se ipse transmutat et humiliat, seque assimilat, assumpto quoad capax fuit, corpore, sanctis, dignis ac fidelibus animabus; ut conspiciatur ab iis is qui sub aspectum non cadit, et contrectetur secundum naturam tenuitatis animæ, is qui tactum omnem effugit: et sic degustent ipsi ejus suavitatem, et benignitate luminis ineffabilis voluptatis ipso experimento fruantur. Quandocumque vult fit ignis, omnem improbam et ultro accersitam affectionem adurens. « Deus enim noster ignis » consumens est [2], » inquit; quando vult fit ineffabilis et arcana requies, ut requiescat anima in requie divina: quando vult, fit gaudium et pax, fovens et protegens animam.

XII. Si vero Deus velit uni creaturam similem se reddere, propter exultationem et lætitiam intelligibilium creaturarum, velut est aut civitas lucis Jerusalem, aut mons Sion cœlestis, potest pro voluntate omnia, quemadmo

[1] Rom. IV, 17. — [2] Deut. IV, 24. Hebr. XII, 29.

Digitized by Google

dum dictum est : « Vos autem accessistis ad montem Sion, » et civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem[1]; » omnia ei sunt facilia et proclivia, qui se in quam vult speciem transmutat, in gratiam eo dignarum et fidelium animarum : modo quis intendat ei gratus et acceptus fieri : et quidem ipso facto et sensu videbit bona cœlestia, et delicias ineffabiles, atque immensas vere divitias Divinitatis; « Quæ certe omnia oculus non vidit, nec auris audivit, » nec quæ in cor hominis ascenderunt[2]. » Fitque Spiritus Domini, ad requiem animarum dignarum, et exultationem, et delicias et vitam æternam. Se ipsum enim transformat Dominus in cibum et potum, sicut scriptum est in Evangelio : » Qui manducat panem hunc, vivet in æternum[3] : » ut recreet modo ineffabili, et lætitia spirituali repleat animam. Inquit enim : « Ego sum panis vitæ[4]. » Similiter transformat se in potum cœlestis scaturiginis, sicut ait : « Quisquis biberit ex aqua, quam ego ei dabo, » fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam[5]. » Et « omnes, ait, eumdem potum bibimus[6]. »

XIII. Singulis sanctis patribus apparuit, prout volebat et in rem videbatur, aliter Abrahæ, aliter Isaac, aliter Jacob, aliter Noë, Daniel, David, Salomon, Esaïæ, et unicuique sanctorum Prophetarum. Aliter Eliæ, et aliter Moysi. Et certe quidem ego statuo Mosen, eo tempore, quo erat in monte, in jejunio quadraginta dierum, spirituali mensæ accessisse, ac multis deliciis oblectatum fuisse. Unicuique igitur Sanctorum, ut voluit, apparuit, ut refocillaret ac servaret eos, et in cognitionem Dei deduceret. Omnia enim facilia ei sunt, quæ modo vult, et quando ei placet, se ipsum imminuens corporeum reddit ac transformat, et conspicuus fit diligentibus eum, in inaccessa

[1] Hebr. XII, 22, 23. — [2] 1 Cor. II, 8. — [3] Joan. VI, 35. — [4] Ibid. 38. — [5] Id. IV, 14. — [6] 1 Cor. X, 4.

Digitized by Google

gloria luminis; et apparet ex immensa et ineffabili dilectione iis, qui digni sunt secundum potentiam suam. Anima enim, quæ digna fuit habita in summo desiderio, et expectatione, et fide, et dilectione, ut recipiat illam e sublimi virtutem, cœlestem Spiritus dilectionem, et quæ cœlestem ignem æternæ vitæ fuit consecuta, omni dilectione mundana exolvitur, et ab omni vinculo malitiæ liberatur.

XIV. Quemadmodum enim ferrum aut plumbum, aut aurum, aut argentum in ignem conjecta, a duritie naturæ suæ solvuntur, *in mollitiem mutata* : et quanto diutius in igni fuerint, tanto magis resolvitur et alteratur eorum naturalis durities, propter calidam ignis virtutem : eodem modo et anima, quæ abnegans mundum solius Domini desiderio tenetur in magna animi pervestigatione, contentione ac labore ; atque indesinenter in spe et fide eum expectat ; quæque cœlestem illum ignem Divinitatis et dilectionis Spiritus consecuta est : tum revera omni dilectione mundi exolvitur, et ab omni mala affectione liberatur, et omnia longe a se projicit, atque naturali suo habitu ac duritie peccati mutatis, cætera omnia superflua ducit, in solo cœlesti Sponso, quem recepit, requiescens in ferventi et ineffabili ejus dilectione.

XV. Dico autem tibi, quod hos Deo dilectos fratres, quos ante oculos habet, si subducant se ab illa dilectione, ut ita dicam, rejiciat. « Illa enim animæ vita est et requies, » mystica nempe et ineffabilis regni cœlestis participatio. » Si enim carnalis communionis dilectio separat a patre, fratre, matribus, et omnia extranea fiunt animo, et si quid diligit, ad modum externorum diligit : omnem vero affectionem erga conjugem suam retinet : « Propterea enim, » inquit, relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit

Digitized by Google

» uxori suæ, et erunt hi duo in carnem unam[1]. » Si igitur dilectio carnis sic ab omni amore solvit, quanto magis ii, qui digni habiti sunt vera participatione Spiritus illius sancti, cœlestis ac dilecti, ab omni amore mundi expedientur, et omnia ipsis superflua videbuntur; eo quod cœlesti desiderio victi et lapsui ejus uniti sunt. Illic enim desideria, illic cogitationes suas deponunt, illic vivunt, illic cogitationes eorum circumvagantur, atque illic mens assidue degit, divino ac cœlesti amore et desiderio spirituali superata.

XVI. Tandem dilecti fratres, cum tanta nobis sint oblata bona, et tantæ promissiones factæ, agite, omnia impedimenta a nobis rejiciamus, omnem amorem mundi aversemur, atque huic soli bono pervestigatione et desiderio nos dedamus, ut possimus participes fieri arcanæ illius dilectionis Spiritus, ad quam divus Paulus nos adhortatus est, ut accceleremus : « Sectamini, inquiens, dilec» tionem[2], » ut digni haberi possimus, quorum mutetur durities per dextram Altissimi, et ut perveniamus ad suavitatem et requiem spiritualem, amore divini Spiritus sauciati. Dominus enim multa in homines fertur benignitate, et intima misericordia tangitur, si quando toti prorsus ad eum convertamur, ab omnibus, quæ contraria sunt, nos eripientes. Quamvis enim nos per summam ignorantiam, infantiam, ac anticipatam de malitia opinionem aversemur veram vitam, ac impedimenta multa nobis ipsi ponamus, revera resipiscere nolentes : ipse tamen multum miseretur nostri, longanimiter expectans, quando conversi accedamus ad eum, et quoad internum nostrum hominem illuminemur, ne confundantur facies nostræ in die judicii.

XVII. Quod si difficile ac molestum nobis id videtur,

[1] Matth. xix, 5. Ephes. v, 31. — [2] 1 Cor. xiv, 1.

Digitized by Google

propter duram virtutis exercitationem, magis vero propter suggestionem ac consilium adversarii ; nihilominus ipse summa commiseratione motus leni et patienti animo est, expectans nostram conversionem, atque peccantes nos tolerat, ac nostram pœnitentiam desiderat, et lapsos nos recipere non erubescit, ut dixit Propheta : « Numquid qui » cadit, non resurgit, aut qui aversus est, non revertitur[1] ? » modo nos bono corde præditi, in sobrietate vivamus, et statim ac vere implorato ejus auxilio convertamur : promptissimus vero est ipse ad nostram salutem. Excipit enim benevole ferventem voluntatis nostræ ad illum, quantum in nostris viribus est, impetum, et bonam fidem ac promptitudinem ex voluntate nostra manantem : correctionem vero omnem ipse in nobis operatur. Industriam igitur adhibeamus, o dilecti, tanquam filii Dei, ut omnem occupationem, negligentiam ac pigritiam exuentes, alacres ac prompti fiamus ad eum sequendum ; ne de die in diem rem differamus, ac a malitia præveniamur. Nescimus enim qua hora exitus e carne sit futurus. Magnæ enim sunt et ineffabiles Christianis factæ promissiones, in tantum quidem, ut cum unius animæ fide ac divitiis nullam omnino proportionem habeat omnis gloria et pulchritudo cœli et terræ et reliquus ornatus et varietas, et divitiæ, et decor ac deliciæ spectabilium.

XVIII. Qui fit ergo, quod tantis exhortationibus, et promissionibus impulsi, toti omnino eum adire, et nos totos ei dedere abnegatis secundum Evangelium cum omnibus et anima nostra, eumque solum amore prosequi et nihil aliud cum eo, renuamus ? Sed ecce hæc omnia et quanta præterea gloria data est ? quot dispositiones a Patrum et Prophetarum temporibus factæ sunt ? quot promissiones ? et quot exhortationes ? quanta misericordia Domini in nos

[1] Jerem. VIII, 4.

Digitized by Google

ab initio fuit? tandem vero et suo ipsius adventu ineffabilem erga nos benignitatem per crucifixionem ostendit, ut nos conversos in vitam transferat[1]: nos tamen a voluntate nostra, dilectione mundi, anticipationibus et consuetudinibus pravis non secedimus. Quare nos aut exigua, aut nulla omnino fide præditos esse hinc apparet. Et præter hæc omnia, benignum se exhibet nobis, protegit ac fovet nos invisibiliter, nec nos, secundum peccata nostra, malitiæ et mundi deceptionibus in perpetuum traditos, sinit perire propter summam clementiam et longanimitatem suam, ab alto dispiciens, quando ad eum convertamur.

XIX. Atqui vereor, ne dictum Pauli in nobis, qui animo ad omnia contemnenda proclivi vivimus, et anteceptis opinionibus abripimur, implcatur, quod ait: « An divitias » bonitatis illius, ac tolerantiæ lenitatisque contemnis, » ignorans quod bonitas Dei ad pœnitentiam te invitat[2]? » Quod si longanimitate, bonitate et tolerantia ejus abusi, plura addiderimus peccata, et graviora judicia, negligentia et contemptu nostro nobis ipsis accersiverimus, implebitur illud dictum: « Sed secundum duritiam tuam, et cor » pœnitere nesciens, colligis tibi ipsi iram in die iræ et » revelationis justi judicii Dei[3]. » Deus enim summa et inenarrabili bonitate ac lenitate ineffabili erga genus humanum utitur, si modo resipiscere velimus, et penitus ad eum converti studeamus, ut salutis participes fieri valeamus.

XX. Quod si cognoscere desideres Dei longanimitatem et summam bonitatem, id e sacro-sanctis codicibus discamus, respice Israëlitas, ex quibus sunt patres, quibus promissiones factæ sunt, ex quibus Christus secundum carnem[1], quibus cultus et testamentum erat, quanta peccaverunt? quoties aversi sunt? Ipse tamen Deus non reli-

[1] Rom. II, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Id. IX, 4, 5.

Digitized by Google

quit eos in perpetuum, sed ad certum tempus ad ipsorum commodum eos castigationibus subjecit : duritiemque cordis eorum per afflictionem emollire cupiens, convertebat, admonebat, Prophetas mittebat. Insuper, quandiu longanimus erat erga peccatores et offendentes se, et nihilominus conversos cum gaudio recipiebat, et cum denuo sese averterent, eos ipse non destituit, sed per Prophetas ad conversionem revocavit : atque sæpissime a se aversos, et postmodum conversos benevole toleravit, atque humaniter recepit, donec tandem in magno peccato deprehensi sunt manus injicientes proprio Domino, quem expectabant secundum traditiones Patrum ac Prophetarum sanctorum redemptorem, salvatorem, regem et Prophetam. Venientem enim non amplexi sunt, sed e contrario magna cum ignominia et infamia notatum, tandem crucis supplicio affecerunt. Et in hac tam grandi offensa et ingenti lapsu, peccata illorum, quæ ad summum adaucta erant, completa sunt, et ita tandem perpetuo deserti sunt, Spiritu sancto ab iis recedente, quando velum templi discissum est. Et sic illorum templum gentibus traditum, subversum et desolatum est, secundum Domini dictum : « Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruetur [1]. » Et sic in perpetuum traditi sunt gentibus, et dispersi in omnem terram a regibus, eos tunc in captivitatem abducentibus, adeo ut in propria loca amplius reverti omnino iis prohibitum sit.

XXI. Sic igitur et nunc Deus bonus et benignus longanimum se præstat erga unumquemque nostrum, videns quantum quisque impingat; et quiescit expectans, quando resipiscat, et avertatur a committendis peccatis, recipiens eum a peccato conversum cum magna dilectione et gaudio. Sic enim inquit : « Gaudium fit super uno peccatore

[1] Matth. XXIV, 2.

Digitized by Google

» resipiscente [1] : » et rursum : « Non enim est voluntas » Patris mei, ut pereat unus ex parvulis istis minimis [2]. » Si vero quis ingenti erga se bonitate ac lenitate Dei, qui in vindictam singulorum peccatorum, tam occultorum quam manifestorum, non procedit, sed spectat, tacet, ac tanquam pœnitentiam præstolatur, abusus eo contumaciæ procedat, ut peccata peccatis apponat, et socordiam socordiæ annectat, et offensam offensæ superædificet, ille omnes fines peccati implet, et in tantam iniquitatem incidit, ex qua emergere non possit, sed conteritur, et malo in perpetuum traditus, perit.

XXII. Sic Sodomitis contigit. Multa enim cum peccassent, nec conversi fuissent, eo criminis, ob pessimum in Angelos consilium, masculinum coïtum cum illis exercituri, prolapsi sunt, ut nec amplius pœnitentia ducerentur, sed in perpetuum reprobarentur. Impleverunt enim terminos peccati, quinimo transgressi sunt. Quare igni ex divino judicio consumpti sunt. Ita et temporibus Noë contigit, multa cum scelera perpetrassent, nec resipuissent, in tanta peccata inciderunt, ut tandem universa terra periret. Sic in Ægyptios multum offendentes et in Dei populum peccantes clementia Deus usus est, non tantis pœnis illos afficiens, ut omnino perirent : sed ad castigationem, conversionem et pœnitentiam inflixit ipsis exiguas has flagellorum plagas, patienti animo expectans eorum resipiscentiam. Verum hi, cum multis modis in populum Dei peccassent, et ad Deum conversos postmodum conversionis pœniteret, et in inveterata pravæ voluntatis diffidentia ipsi constituerentur, populumque Dei molestiis fere opprimerent, tandem, cum per ingentia miracula Deus populum suum ex Ægypto per Mosen educeret, graviter peccarunt, persequentes a tergo populum Dei. Quapropter demum

[1] Luc. xv, 10. — [2] Matth. xviii, 14.

Digitized by Google

judicium divinum illos penitus consumpsit et delevit, et aquis obrutos ne hac quidem vita dignatus est.

XXIII. Eodem modo populus Israël, ut prædictum est, cum multis iniquitatibus et peccatis se pollueret, interficiens Prophetas Dei, et alia facinora infinita perpetrans, quia Deus quiescens, et illorum pœnitentiam expectans, lenitate multa utebatur, tandem ita peccarunt, ut contriti non resurrexerint; siquidem in dominicam majestatem manus injecerant. Quocirca in perpetuum deserti ac rejecti sunt, et ablata ab illis est prophetia, sacerdotium, et cultus Dei, et data sunt ea gentibus credentibus, sicut ait Dominus: « Auferetur a vobis regnum, et dabitur genti » fructus ejus facienti [1]. » Hactenus enim sustinuerat illos Deus, nec destituerat illos ex intimis visceribus eorum misertus. Quoniam autem impleverunt terminum peccati, imo manibus dominicæ majestati injectis transgressi sunt, in perpetuum a Deo sunt deserti.

XXIV. Cæterum, dilecti, hæc copiosius disseruimus, ex sacris Litteris astruentes, oportere nos converti celerius, et festinare ad Dominum, qui clementer expectat nos, et ab omni pravitate et præoccupatione mala penitus recedentes magno cum gaudio recipit, ne exaugeatur in nobis contemptus de die in diem, et peccata cumulata in nos redundent, et ob id iram divinam nobis ipsis accersamus. Demus igitur operam, ut conversi cum vero corde ad eum accedamus, non desperantes de salute (quod malitiæ et pravitatis proprium est) per recordationem prævenientium peccatorum, quæ hominem ad desperationem, ad socordiam, ad negligentiam, et ad segnitiem adigunt, ne conversus ad Dominum accedat, et salutis particeps fiat, cum tamen summa benignitas generi humano a Deo proposita sit.

[1] Matth. xxi, 41.

Digitized by Google

XXV. Quod si vero velut difficile et impossibile nobis videatur, nos a magna peccatorum mole velut præoccupatos converti, quod, ut prædiximus, indicium malitiæ, et impedimentum salutis nostræ est, recordemur et perpendamus, quomodo Dominus in mundo dum esset, cæcis visum restituerit, paralyticos curaverit, omnem morbum sanaverit, mortuos jam ferre corruptos, et in oblivione constitutos, resuscitaverit, surdos audire fecerit, legionem diabolorum ex homine ejecerit, et tanta insania laborantem mentis integritati restituerit? Quanto magis igitur animam ad eum conversam, et misericordiam ab eo requirentem, et ejus ope indigentem, convertet, et in lætam affectionum vacuitatem, et statum omnis virtutis ac mentis renovationem restituet; atque sanitate et aspectu mentis et tranquillitate cogitationum redditis, a cæcitate, surditate, morte infidelitatis, et ignorantia atque temeritate ad sapientiam virtutis, et puritatem cordis eam traducet? Qui enim condidit corpus, idem ipse condidit quoque animam. Et quemadmodum in terris dum versaretur, accedentibus ad se, et ab eo petentibus, auxilium et sanitatem liberaliter et benigne præstitit et exhibuit, velut bonus et solus medicus; eodem modo in spiritualibus.

XXVI. Si enim erga corpora, quæ dissolvuntur et morte pereunt, tanta commotus est misericordia, et unicuique quod quærebat prompte et benevole præstiterit; quanto magis animæ immortali, indissolubili et incorruptibili, oppressæ morbo ignorantiæ, malitiæ, infidelitatis, temeritatis et reliquarum peccati affectionum; accedenti ad Dominum, et ab eo auxilium requirenti, ac in misericordia ejus intuenti, necnon gratiam Spiritus ab eo recipere desideranti ad redemptionem et salutem suam, et ab omni malitia et affectu liberationem; concedet quam celerrime et promptissime, velut medicam liberationem,

Digitized by Google

secundum idem dictum : « Quanto magis Pater cœlestis » faciet vindictam clamantium ad se die ac nocte. » Et subdit, dicens, « Certo dico vobis, cito faciet vindictam illo» rum[1]. » Et rursum alibi adhortatur : « Petite et dabitur » vobis. Omnis enim qui petit, accipit, et qui quærit, in» venit, et pulsanti aperietur[2]. » Et paulum progressus subjicit : « Quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum » sanctum poscentibus eum. Amen dico vobis, etsi non » dabit illi, eo quod amicus sit, propter impudentiam ta» men ejus surget, et dabit quantum opus habet[3]. »

XXVII. Absque pudore igitur, indesinenter et indefense ut petamus ab eo donum gratiæ, hisce omnibus exhortatus est. Propter peccatores enim venit, ut converterent se ad illum, et curaret credentes ipsi. Modo nos ipsi a malis præoccupationibus abstineamus, quantum in viribus nostris est, et odio prosequamur opera mala, et mundi technas atque improbos ac vanos sermones abhorreamus, et per omnia ei, quantum fieri potest, agglutinemur. Ipse quidem paratus est exhibere nobis suum auxilium. Propterea enim misericors est, vivificans et sanans affectiones incurabiles, et redemptionem faciens iis, qui invocant eum, et qui ad eum conversi, ab omni dilectione mundi, quantum fieri potest, sponte et voluntarie recedunt, quique mentem a terrenis abstractam ad eum voto et desiderio suspendunt. Ejusmodi anima ejus auxilio digna habetur, quæ omnia pro superfluis existimat, et in nulla re mundana acquiescit; sed expectat in requie benignitatis requiescere et gaudere : et sic per hujusmodi fidem cœleste donum consecuta, omne suum desiderium in plena fide per gratiam collocat, et denique congrue et convenienter Spiritui sancto ministrat, quotidie bonitate proficit, inque via justitiæ perseverans in perpetuum, ad malitiæ genera non

[1] Luc. xviii, 7, 8. — [2] Matth. vii, 7, 8. — [3] Luc. xi, 9, 10.

Digitized by Google

flectitur, nec ad vitia ullo modo declinat, atque gratiam in nulla re tristitia afficit, et æterna salute cum omnibus Sanctis digna censetur, velut iis socia et comes imitatione eorum, in mundo conversata. Amen.

HOMILIA V.

Magna differentia inter Christianos et homines hujus sæculi. Hi enim spiritu mundi prædíti animotenus ac corde terrestribus vinculis vincti sunt: illi vero dilectione cœlestis Patris detenti, eum solum ob oculos in omni desiderio habent.

I. Alius est Christianorum mundus, aliud vitæ institutum, alia mens, alius sermo atque alia opera: et aliud est vitæ institutum hominum hujus mundi, alia mens, alius sermo, atque alia opera: aliud sunt illi, et aliud sunt hi: et magna differentia est inter hos et illos. Habitatores enim terræ, et filii hujus sæculi similes sunt frumento in cribrum hujus terræ conjecto, quippe qui commoventur fluxis hujus mundi cogitationibus, et jactationibus perpetuis terrenarum rerum, desideriorum ac variarum cogitationum crassarum; jactante animas Satana, et cribrante cribro, hoc est, rebus terrenis, omne genus humanum, peccato obnoxium a tempore lapsus Adæ, qui transgressus mandatum, in principis malitiæ potestatem venit. Qua ille accepta, perpetuis fraudum et perturbationum cogitationibus cribrat, et collidit cribro terræ omnes filios hujus sæculi.

II. Quemadmodum enim in cribro triticum a cribrante

Digitized by Google

alliditur, et in eo agitatum continue convertitur : sic princeps malitiæ terrenis rebus detinet homines, iisque eos agitat, conturbat ac commovet; et ut allidantur cogitationibus vanis, cupiditatibus turpibus ac vinculis terrenis et mundanis, efficit, absque ulla intermissione captivans, perturbans, et inescans omne genus Adæ peccato obnoxium : quemadmodum Dominus Apostolis futuram principis nequitiæ adversus eos insurrectionem prædixit : « Expetivit Satanas vos ad cribrandum sicut criticum : sed » ego rogavi Patrem meum, ne deficiat fides vestra[1]. » Verbum enim illud, quod a Creatore Caïno dictum est, et sententia illa palam prolata, videlicet, « Gemens ac tremens » super terram agitaberis[2], » typus et imago occulta omnium peccatorum est. Sic enim genus Adæ, cum neglecto Dei præcepto, peccato obnoxium factum esset, illam imaginem latenter in se possidere cœpit, agitatum postea continuis cogitationibus metus et timoris, atque omnis perturbationis, variis cupiditatibus et voluptatibus, principe hujus mundi, omnem animam ex Deo non renatam, huc illuc impellente, et velut triticum in cribro agitatum assidue hominum cogitationes conturbante, atque seductionibus hujus mundi, et voluptatibus, et timoribus ac perturbationibus omnes agitante atque inescante.

III. Itaque Dominus ostendens eos, qui illecebras et voluntatem principis nequam sequuntur, imaginem Caïni malitiæ gestare, et reprehendens eosdem dixit : « Vos, ait, » desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab » initio, et in veritate non stetit[3]. » Itaque universum genus Adæ peccato obnoxium, condemnationem illam latentem in se habet, videlicet « Gementes ac trementes eritis, » atque agitabimini in cribro terræ a Satana cribrante[4]. » Sicut enim ab uno Adam genus hominum super terra mul-

[1] Luc. XXII, 31, 32. — [2] Gen. IV, 12. — [3] Joan. VIII, 44. — [4] Ibid.

Digitized by Google

tiplicatum est; ita una pravitas affectionum universum genus hominum invasit, illosque omnes princeps malitiæ continuis, crassis, vanis, ac tumultuosis cogitationibus potest cribrare. Nam sicut unus ventus omnes plantas ac semina potest agitare et commovere; aut veluti unæ tenebræ noctis per universam terram multiplicantur : ita princeps malitiæ, qui est velut tenebræ rationales malitiæ et mortis, ac velut ventus occultus et agrestis, omne genus humanum, quod est super terram, conturbat ac circumagit continuis cogitationibus: et voluptatibus mundi inescat corda hominum, ac tenebrarum ignorantia, cæcitate et oblivione, replet omnem animam desuper non renatam, atque mente et animo in sæculum aliud non translatam, ut dictum est: « Nostra conversatio in cœlis est [1]. »

IV. In hoc enim differunt veri Christiani ab omni genere hominum, et magna differentia inter utrosque, ut prædixi, versatur in eo, quod animus et intellectus Christianorum semper circa cœlestes cogitationes versetur, et cœlestia bona intueatur propter participationem Spiritus sancti; quod desuper ex Deo nati, et ut fiant filii Dei in veritate et potentia, digni existimati sint, atque ad statum et stabilitatem, et tranquillitatem ac requiem per magnos labores ac sudores multa post tempora devenerint, nullo amplius cribro agitati, neque fluctuantes in caducis ac vanis cogitationibus. In quo majores ac meliores sunt mundo, eo quod intellectus eorum, et cogitatio animæ in Christi pace, atque in dilectione Spiritus versetur, sicut Dominus de hisce sermonem habens, dixit : « Eos transiisse » ex morte in vitam [2]. » Non igitur in figuris aut formis exterioribus diversitas Christianorum consistit, quemadmodum in hoc existimant multi consistere diversitatem ac differentiam inter eos, in superficie ac figuris. Quippe

[1] Philip. III, 20. — [2] Joan. V, 15.

Digitized by Google

quod tales mente atque cogitatione similes sunt mundo, ac commotione et instabilitate cogitationum, incredulitate, confusione, et perturbatione ac metu, ut cæteri omnes homines, laborent. Et hi quidem superficie tenus ac opinione et externo quodam recte facto, a mundo differunt: sed corde atque animo terrenis laqueis impediti sunt, requiem divinam et cœlestem pacem Spiritus in corde non possidentes, eo quod non petierint a Deo, nec iis se crediderint dignos reputatum iri.

V. Per mentis enim renovationem, et cogitationum tranquillitatem, et dilectionem Domini, et amorem cœlestem, omnis nova creatura Christianorum ab hominibus hujus mundi discrepat. Propterea enim adventus Domini contigit, ut hisce spiritualibus bonis dignaretur vere in se credentes. Gloria enim Christianorum et pulchritudo, et divitiæ cœlestes ineffabiles sunt, et magno labore ac sudore tentationibus et certaminibus multis acquisitæ. Quod totum gratiæ divinæ ascribendum. Si enim terreni regis aspectus ab omnibus hominibus desideratur, et omnis, qui in urbe regis diversatur, desiderat ad minimum pulchritudinem ejus videre, aut elegantiam vestimentorum, aut purpuræ splendorem, variarum margaritarum nitorem, diadematis decorem, atque præstantiam eorum, quæ ad majestatem ejus pertinent; nisi quod spirituales isthæc contemnant, quia aliam gloriam cœlestem incorpoream experti, alia ineffabili pulchritudine sauciati, aliarumque divitiarum participes sunt facti, et secundum internum hominem, alium Spiritum consecuti sunt. Quoniam igitur hujus mundi homines, qui spiritum mundi possident, magno desiderio tenentur terreni regis contemplandi, saltem cum omni ornatu et gloria ejus: quanto enim in iis quæ videntur, conditio ejus major est, quam omnium hominum, tanto gloriosius, tanto optabilius ab omnibus habetur, vel tantum

Digitized by Google

vidisse : et unusquisque apud se dicit : « Utinam quis » mihi illam gloriam, decorem ac splendorem concedat ! » prædicans eum beatum, similem alioqui sui, terrenum, iisdemque affectionibus obnoxium atque mortalem, propter momentaneum vero ornatum et gloriam desiderabilem.

VI. Si igitur, inquam, carnales homines desiderant tantopere gloriam terreni regis, quanto magis hi, in quos instillavit gutta Spiritus vitæ, qui est Divinitatis; et quorum vulneravit amore divino erga cœlestem regem Christum, devincti sunt pulchritudine illa et gloria ineffabili, et decore incorruptibili et incomprehensibilibus divitiis veri et æterni regis Christi, cujus voto et desiderio capti tenentur, toti omnino ad eum conversi, atque desiderant consequi inenarrabilia illa bona, quæ per Spiritum intuentur; quorum gratia omnia, quæ sunt super terram pulchra, et ornatum, et gloriam, et honorem, et divitias regum ac principum nihili ducunt. Divina enim pulchritudine sauciati sunt, et vita immortalitatis cœlestis in illorum animis instillavit. Quocirca illam dilectionem cœlestis regis exoptant, illumque solum ob oculos in omnibus desideriis habentes, se ipsos omni mundana dilectione per eum exolvunt, et recedunt ab omni vinculo terreno, ut possint illud desiderium solum semper in cordibus suis possidere. Et, quid possidere oporteat, dicit : « Scimus enim, quod » si terrenum nostrum domicilium hujus tabernaculi des» tructum fuerit, ædificationem ex Deo habemus, domici» lium non manufactum, æternum in cœlis [1]. »

VII. Contendendum igitur et laborandum omnibus per omnes virtutes, atque credendum, ut deinceps possideant illam domum. Si enim solvatur domus corporis nostri, non habemus aliam domum, ad quam divertat anima. « Si tamen, » inquit, induti, non nudi reperiemur [2], » hoc est, nudi a

[1] 2 Cor. v, 1. — [2] Ibid. 3.

Digitized by Google

communione et participatione Spiritus sancti, in qua fidelis anima solum requiescere potest. Propterea enim, qui revera et virtute Christiani sunt, bono sunt animo, et gaudent migrantes e corpore, quia habent domum illam manibus non extructam, quæ domus est virtus Spiritus sancti in illis habitans. Si igitur destructum fuerit corporis domicilium, non timent : habent enim cœleste Spiritus domicilium, et gloriam illam immarcessibilem, quæ gloria in die resurrectionis ædificabit et glorificabit domum corporis, ut inquit Apostolus : « Is, qui excitavit Christum ex mor» tuis, vivificabit et mortalia corpora nostra propter ipsius » Spiritum inhabitantem in nobis [1]. » Et rursum, « Ut et » vita Jesu manifestetur in mortali carne nostra [2]. Et ut, » inquit, absorbeatur mortale, quod in nobis est, a vita [3]. »

VIII. Certemus igitur per fidem et conversationem in omni virtute, post hac comparare nobis indumentum illud, ne corpore induti, nudi deprehendamur, nec sit quod glorificet in illa die nostram carnem. Quantum enim unusquisque per fidem ac studium Spiritus sancti accipere dignus habitus est, tantum in illa die glorificabitur quoque ejus corpus. Quos enim nunc thesauros collegit intus anima, tunc revelabuntur et apparebunt externe in corpore. Quemadmodum arbores, præterita hyeme, fovente illas potentia invisibili, quæ a sole et ventis est, extra projiciunt et emittunt, tanquam indumenta, folia et flores et fructus similiter et graminum flores illo tempore ab intimo sinu terræ progrediuntur, et ita tegitur atque decoratur terra, et gramen veluti lilia, de quibus Dominus dixit : « Quod neque Salomon in universa gloria sua sic amictus » fuerit, ut unum ex his [4]. » Omnia enim hujusmodi exempla sunt, typi ac imagines Christianorum in resurrectione.

IX. Propterea omnibus animis Deum diligentibus, hæc

[1] Rom. VIII, 11. — [2] Cor. IV, 10. — [3] Id. V, 4. — [4] Matth. VI, 29.

est, veris Christianis, primus mensis est Xanthicus, qui dicitur Aprilis, qui quidem est dies resurrectionis, in quo per virtutem Solis justitiæ intus exurgit gloria Spiritus sancti, protegens ac fovens corpora sanctorum : quam gloriam intus habebant absconditam in animis. Quod enim nunc habent, illud emergit tunc extra corpus. Hic, inquam, mensis primus est inter menses anni : hic gaudium affert omni creaturæ, hic vestit nudas arbores, terram aperiens : hic omnibus animalibus gaudium parit, hic omnibus hilaritatem affert, hic est Christianorum primus mensis Xanthicus, qui est tempus resurrectionis, in quo glorificabuntur corpora illorum per lumen, quod ab hoc tempore in illis est arcanum, hoc est, virtutem Spiritus, qui ipsis tunc erit indumentum, cibus, potus, exultatio, lætitia, pax, ornamentum, et vita æterna. Spiritus enim Divinitatis, quem ab hoc momento consequi digni habiti sunt, fit tunc in illis omnis pulchritudo splendoris et decoris cœlestis.

X. Quomodo igitur unusquisque nostrum debet credere, et contendere, et in omni virtutis conversatione operam navare, et perseverare in spe ac tolerantia multa, ut nunc dignus censeatur consequi virtutem cœlestem, et gloriam Spiritus sancti in interiore anima, ut tum dissolutis corporibus habeamus, quod tegat et vivificet nos? « Si tamen, » inquit, induti, non nudi reperiemur [1]. » Et, « Resuscitabit corpora nostra mortalia per inhabitantem Spiritum » ejus in nobis [2]. » Beatus enim Moses subindicavit, nobis typo quodam, per gloriam scilicet Spiritus in facie ejus hærentem, quam nemo defixis oculis contemplari poterat, quomodo in resurrectione justorum glorificabuntur corpora sanctorum, quam quidem gloriam nunc in interiore homine animæ sanctorum et fidelium dignæ putantur ha-

[1] 2 Cor. v, 3. — [2] Rom. VIII, 11.

Digitized by Google

bere. « Nos enim, inquit, omnes retecta facie, hoc est, » interiori homine, gloriam Domini in speculo contempla- » mur, ad eamdem imaginem transformati de gloria in » gloriam [1]. » Itidem Moses quadraginta diebus ac quadraginta noctibus, ut scriptum est, panem non comedit, nec aquam bibit [2]. Fieri autem non potest, ut corporea natura absque pane tantum temporis vitam transigat, nisi alius sibi spiritualis particeps fiat : quem cibum nunc temporis sanctorum animæ invisibiliter virtute Spiritus sancti consequuntur.

XI. Duobus igitur typis beatus Moses ostendit, quam in resurrectione habituri sint gloriam veri Christiani ; gloriam scilicet luminis et delicias intellectuales Spiritus, quibus etiam occulte nunc digni reputantur. Propterea tunc in corpore illorum hæc apparebunt. Quam enim nunc in suis animis gloriam sancti habent, ut prædictum est, illa tum teget et operiet nuda corpora, et ad cœlos rapiet, et tandem corpore et anima in regno cum Domino requiescemus in sæcula. Cum enim Adamum Deus conderet, non præparavit ei corporeas alas, ut volatilibus, quippe Spiritus sancti alas ei apparans, hoc est, quas largiturus ei esset in resurrectione, ut ipsum elevarent et abriperent, quorsum Spiritui placeret : quas alas jam nunc animæ sanctorum habere dignæ habentur, quæ mente ad cœlestes cogitationes subvolant. Christianorum enim mundus alius est, et alia mensa, et alia indumenta, et alia fruitio, alia communicatio, et alius intellectus. Quapropter et præstantiores sunt omnibus hominibus. Hanc autem virtutem intus in animis nunc digni putantur accipere per Spiritum sanctum. Propterea quoque in resurrectione corpora æternis illis Spiritus sancti bonis habebuntur digna, et

[1] 2 Cor. III, 18. — [2] Exod. XXXIV, 30.

Digitized by Google

gloriæ illi permiscebuntur, cujus in hac vita animæ illorum experimentum sumpserunt.

XII. Debet igitur unusquisque nostrum contendere, elaborare et in omni virtutum genere operam adhibere, et credere et requirere a Domino, ut illius gloriæ ab hoc tempore particeps fiat interior homo, et in sanctitate illa de Spiritu participet anima, ut expurgatis sordibus malitiæ, habeamus quoque in resurrectione quod nuda corpora nostra resurgentia operiat, deformitatem tegat, vivificet, et in æternum in regno cœlorum refocillet. Descensurus enim est de cœlis Christus et omnes generationes Adæ suscitaturus, quæ ab initio sæculi obdormiverunt, ut sacra Scriptura testatur. Et in duas partes statuet omnes: et qui peculiare signum, id est, signum Spiritus habuerint, hos velut suos compellabit, et a dextris statuet. « Meæ enim, » inquit, oves meam vocem audiunt. Et ego cognosco meas, » et cognoscor a meis. » Et tum eorum corpora gloria divina circumdabuntur ex bonis operibus, et illi ipsi gloria Spiritus replebuntur, quam in vita hac in anima habebant. Et ita lumine divino illustrati, et in cœlum « Abrepti in » occursum Domini, in æternum, ut scriptum est, cum » Domino erimus [1], » una cum eo regnantes in infinita sæculorum sæcula. Amen.

[1] Joan. x, 14 et 27. — [2] 1 Thess. iv, 16, 17.

Digitized by Google

HOMILIA VI.

Qui Deo placere cupiunt, preces suas in pace, tranquillitate, mansuetudine ac sapientia facere debent, ne clamoribus usi, omnibus scandalum pariant. Continet vero homilia duas quæstiones, utrum throni et coronæ creaturæ sunt? et de duodecim thronis Israël.

I. Qui accedunt ad Dominum, debent preces suas in quiete, pace et tranquillitate multa fundere, non ineptis aut confusis clamoribus uti, sed intentione cordis et cogitationibus sobriis attendere Domino. Veluti, dum quis morbo oppressus, si cauterio inuratur et chirurgica manu tractetur, quam fortiter et patienter dolorem illatum tolerat, absque tumultu et perturbatione se ipsum continens. Nec desunt alii qui eodem dolore affecti, dum cauteria adhibentur, aut a chirurgis ipsi tractantur, indecentibus clamoribus utuntur: et par tamen est dolor clamantis et non clamantis, tumultuantis et non tumultuantis. Sunt quidam, qui dum eumdem dolorem et molestiam sustinent, tranquillo animo ferunt, et absque perturbatione suæ mentis cogitationes sustinent. Sunt et alii eadem afflictione oppressi, qui impatienti animo dum illam ferunt, cum tumultu et perturbatione preces fundunt, ut qui audiunt, scandalum inde contrahant. Sunt et alii, qui, quamvis nullum dolorem sentiant, ad ostentationem tamen, aut ex peculiari more, importunis clamoribus utuntur, ac si his possint placere Deo.

II. Non autem decet servum Dei in hoc tam incomposito statu vivere, sed in omni tranquillitate ac sapientia,

Digitized by Google

ut inquit Propheta, « Ad quem respiciam, nisi ad mansue-» tum, et quietum, et trementem sermones meos[1] ? » Et temporibus Moysis et Eliæ reperimus, quod, cum in apparitionibus, quæ illis obtigerunt, multa ministeria tubarum et virtutum præcessissent Domini majestatem, in illis omnibus agnitus fuerit et apparuerit adventus Domini in pace, et tranquillitate, et quiete. « Ecce enim, inquit, » vox auræ tenuis, et in ea Dominus[2]. » Liquet ergo, quod requies Domini sita sit in pace et tranquillitate. Fundamentum enim, quod jecerit homo, et initium quod ceperit, in eo usque ad finem permanet. Si alta nimis et querula voce preces fundere cœperit, ad finem usque eamdem consuetudinem obtinet. Quia autem Dominus humanitate plenus est, contingit, ut huic etiam auxilium præstet. Hi igitur propter impulsum gratiæ ad finem usque eadem consuetudine utuntur, quamvis videamus, quod hic precandi modus idiotarum sit, propterea quod aliis scandalum pariant, et se ipsos inter precandum perturbent.

III. Verum autem orationis fundamentum hoc est, attendere nimirum cogitationibus, et in multa tranquillitate et pace preces fundere, ut cæteri nulla ratione scandalum accipiant. Hic enim, si consecutus gratiam Dei et perfectionem, usque ad finem tranquille precatus fuerit, magis multos ædificabit. « Non enim est confusionis Deus, sed » pacis[3]. » Qui enim clamoribus utuntur, hortatoribus similes sunt, et non possunt ubique precari, neque in ecclesiis, neque in vicis; nisi forte in solitudinibus pro lubitu suo. Qui autem tranquille precantur, omnes in omni loco ædificant. Decet enim omnem laborem hominis consumi in cogitationibus, ac subjectam materiam pravarum cogitationum prædicere; et compellere se ipsum ad Deum: nec obtemperare voluntati cogitationum, sed eas undique

[1] Isai. LXVI, 2. — [2] 3 Reg. XIX, 12. — [3] 1 Cor. XIV, 33.

errantes colligere, discernendo naturales a pravis. Anima enim quæ peccato obnoxia est, perinde se habet, ac si sit in monte magna sylva, aut in flumine arundines, aut densæ spinæ ac nemora. Quicumque igitur illum locum transgressuri sunt, eos extendere manus, et cum violentia ac labore subjectam materiam amoliri oportet. Ita quoque materia cogitationum adversariæ potestatis animæ adhæret. Magna igitur animi diligentia ac attentione opus est, ut quis secernat externas cogitationes ab adversaria potestate ortas.

IV. Est enim quis sua solius virtute confisus, existimans suopte marte circumjectos se excidere posse montes. Est quoque alius, qui cum in tranquillitate et discretione animum suum regat, absque ulla defatigatione plenius opus suum perficit, quam ille. Sic in precibus quoque sunt quidam, qui cum clamoribus ineptis utantur, veluti robore corporis confisi, haud norunt furta cogitationum : sed existimant se propria virtute absolutum opus perfecturos. Sunt quoque alii, qui cogitationibus attendunt, et prælium omne intus committunt. Hique propter intellectum ac discretionem, possunt recto agere, et amoliri insurgentes cogitationes, et secundum voluntatem Domini ambulare. Reperimus autem apud Apostolum, quod eum, qui alium ædificat, majorem dicat. Inquit enim : « Qui »loquitur lingua, se ipsum ædificat : at qui prophetat, »congregationem ædificat : qui autem prophetat, major »est, quam qui loquitur linguis [1]. » Unusquisque igitur eligat potius alios ædificare, et dignus consebitur regno cœlorum.

INTERROGATIO.

V. *Quoniam quidam dicunt, quod throni et coronæ*

[1] Cor. XIV, 4.

Digitized by Google

creaturæ sint, et non spiritus, quomodo hæc intelligenda?

RESPONSIO.

Thronus Divinitatis est mens nostra, et ex adverso, thronus nostræ mentis est Divinitas et Spiritus. Similiter quoque Satanas, et potestates, et principes tenebrarum post transgressionem mandati, insederunt cor et mentem, et corpus Adæ tanquam thronum proprium. Propterea ergo venit Dominus, et assumpsit ex Virgine corpus. Si enim in sola Divinitate descendere placuisset, quis potuisset sufferre? Verum per organum corporis loquebatur cum hominibus. Quapropter spiritus malitiæ, qui insedebant corpus, extrusit e thronis intellectus et cogitationum, quos inhabitabant, et expurgavit conscientiam Dominus, et sibi thronum paravit mentem, et cogitationes, et corpus.

INTERROGATIO.

VI. *Quid igitur est, quod dixit*: « Sedebitis super duo» decim thronis, judicantes duodecim tribus Israël[1]? »

RESPONSIO.

Hoc invenimus impletum esse in terris, quando Dominus assumptus est in cœlos. Misit enim Spiritum consolatorem in duodecim Apostolos, et virtutem sanctam; quæ adveniens tentoria posuit, et sedit in thronis mentium ipsorum. Quia autem, qui astiterunt, dicebant musto repletos esse, inde cœpit Petrus judicare eos, dicens de Jesu: « Virum potentem et verbis et prodigiis vos cruci-

[1] Matth. xix, 28.

Digitized by Google

» fixistis, suspendentes de ligno[1]. » Et ecce illic mirabilia facit, disrumpit lapides monumentorum et suscitat mortuos. Scriptum enim est: « In novissimis diebus effundam » de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt » filii vestri et filiæ vestræ[2]. » Quocirca multi a Petro instructi, ad pœnitentiam rodierunt, ut fieret mundus novus isque electus a Deo.

VII. Vides ergo quomodo apparuit initium judicii; illic enim apparuit mundus novus. Hic enim illis data est potestas sedendi in hoc mundo et judicandi. Et licet futurum sit, ut sedeant, et faciant judicium in adventu Domini, in resurrectione mortuorum; tamen hic quoque id fit, Spiritu sancto sedente in thronis mentium ipsorum. Verum nec diademata, quæ Christiani in futuro sæculo accepturi sunt, sunt creaturæ, et qui hoc dicunt, absurdum asserunt: verum hæc Spiritum transformatum ostendunt. Quid enim dicit apostolus Paulus de Jerusalem cœlesti, « Illam matrem esse nostrum omnium, quacum una confi- » temur[3]? » Vestem autem, quam gestant Christiani, quod attinet, Spiritus videlicet amicit illos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, in sæcula. Amen.

HOMILIA VII.

De clementia Christi erga hominem. Continet etiam Homilia interrogationes et responsiones quasdam.

I. Quemadmodum, si quis ingressus domos regias, con-

[1] Act. II, 23. — [2] Joël, II, 28. Act. II, 17. — [3] Galat. IV, 26.

Digitized by Google

templetur illic depictas historias et omnem ornatum, alia in parte thesauros reconditos, et alia in parte alia : et accumbat cum rege, eique apponantur esculenta et poculenta suavissima, et fruatur cum delectatione omnimodo hac contemplatione et splendore; postmodum autem abstrahatur inde, et in loca graveolentia abreptus inveniatur : aut quemadmodum si puella quædam, cæteris omnibus longe formosior, sapientior, ac locupletior, accipiat virum pauperem, humilem, et deformem, pannis dilaceratis obsitum; et exutum sordida veste induat veste regia, ac imposita corona fiat ei conjunx : tandem pauper ille incipit attonitus reddi ac dicere : Mihi-ne misero pauperi, vili, et abjecto homini data est hæc consors? Ita quoque Deus misero atque abjecto homini fecit. Gustum ei præbuit alterius sæculi, aliusque cibi suavissimi : ostendit illi gloriam et delicias regias, ineffabiles, cœlestes. Et tandem ille, dum confert illa spiritualia cum iis, quæ sunt hujus sæculi, omnia hæc rejicit; sive regem aspiciat, sive potentes, sive sapientes, thesaurum cœlestem intuetur. Siquidem enim Deus charitas est, accipit cœlestem ac divinum ignem Christi, et hoc fruitur, ac lætitia afficitur, et illic devinctus hæret.

INTERROGATIO.

II. *Utrum Satanas sit cum Deo tam in aëre quam in hominibus.*

RESPONSIO.

Si sol hic, qui est creatura, illustrans loca cœno plena, necquidquam læditur, quanto magis Divinitas, si fuerit cum Satana, nec inquinatur, nec polluitur. Permisit autem Deus malum, ad exercitium hominum. Verum malum il-

Digitized by Google

lud obtenebratum et occæcatum est, nec potest videre puritatem et simplicitatem Dei. Si vero quis dicat proprium locum habere Satanam, proprium quoque Deum, circumscriptum eum facit, usque ad eum locum, ubi habitat nequam. Quomodo ergo dicimus bonum incircumscriptum esse, et incomprehensibile, et omnia in eo esse, nec infici bonum a malo? Numquid enim, siquidem cœlum, et sol, et montes in Deo ipso sint ac per eum consistant, et ipsa sunt Deus? Opificia quælibet suo ordine constructa sunt, et opifex, qui illis adest, Deus est.

INTERROGATIO.

III. *Cum peccatum in Angelum lucis transformetur, et similę sit gratiæ, quo pacto cognoscet homo insidias diaboli? et quo pacto suscipiet et discernet semitas gratiæ?*

RESPONSIO.

Ea quæ sunt gratiæ, plena sunt lætitiæ, pacis, dilectionis et veritatis. Hæcce veritas impellit hominem ad inquirendam veritatem. Sed peccati speçies sunt turbulentæ, nec lætitiam aut dilectionem erga Deum habent. Quemadmodum enim intybus similis est lactucæ, hæc quidem dulcis, illa vero amara. In ipsa etiam gratia quædam similia sunt veritatis, et est ipsa substantia veritatis. Veluti est splendor solis et circulus ipse, et aliter splendor apparet, aliter lumen, in circulo repositum. Sit lucerna in domo, alius est splendor ubique refulgens, et aliud est lumen in ipsa lucerna sple ndidius et elegantius. Siesunt quædam, quæ a grat ia manant, quando ea procul a se, tanquam visiones quasdam, intuetur homo, eorum

Digitized by Google

visionibus delectatur et fit alius, quando in eum ingressa potentia Dei, detinet membra et cor ejus, ac captivam illius mentem reddit in amorem Dei. Quando Petrum comprehensum in carcerem detruserunt[1], cumque carcer esset clausus, venit Angelus, et effractis vinculis ejus eduxit eum, ipse vero tanquam in excessu mentis constitutus, visionem putabat esse.

INTERROGATIO.

IV. *At quomodo cadunt, qui a gratia Dei diriguntur?*

RESPONSIO.

Ipsæ cogitationes puræ in propria natura labuntur ac cadunt. Incipit enim homo extolli, judicare, ac dicere: *tu peccator es*, se ipsum vero justum æstimare. Nescis, quid loquatur Paulus : « Datus est mihi aculeus carni, an» gelus Satanæ, ut me colaphis cædat, ne supra modum » efferar[2]. » Habet enim pura quoque natura in se quamdam superbiam.

INTERROGATIO.

V. *Utrum quis per lumen conspicere suam ipsius animam potest, quandoquidem quidam revelationem tollunt, dicentes per cognitionem et sensum fieri visionem?*

RESPONSIO.

Est sensus, et est visio, et est illuminatio : atque qui

[1] Act. XII, 3 et 8. — [2] 2 Cor. XII, 7.

Digitized by Google

illuminatus est, major est, quam qui habet sensum : illuminata est enim mens ejus, quippe qui majorem partem acceperit, quam qui sensum habet. Siquidem videt in se certitudinem quamdam visionum. Verumtamen aliud est revelatio, quando res magnæ et arcanæ Divinitatis revelantur animæ.

INTERROGATIO.

VI. *Utrum videt quis per revelationem et lumen divinum animam?*

RESPONSIO.

Quemadmodum oculi nostri aspiciunt solem ; sic et illuminati vident imaginem animæ, sed hanc pauci vident Christiani.

INTERROGATIO.

VII. *Utrum habet anima formam?*

RESPONSIO.

Habet formam et imaginem similem Angelo. Sicut enim Angeli habent imaginem ac formam, et sicut exterior homo habet imaginem : sic et interior habet similem Angelo et exteriori homini imaginem.

INTERROGATIO.

VIII. *Utrum aliud est mens, aliud anima?*

RESPONSIO.

Quemadmodum corporis membra, multa cum sint,

Digitized by Google

unus homo dicuntur; ita et membra animæ sunt multa, mens, conscientia, voluntas, cogitationes accusantes et defendentes; verum hæc omnia in unam rationem devincta sunt, et membra nihilominus sunt animæ (2). Unica autem est anima, interior homo. Veluti autem exteriores oculi prospiciunt eminus spinas, et præcipitia ac fovcas: sic et mens, cum sit alacrior, providet adversariæ animæ potestatis machinas et insidias, et præmunit animam, veluti animæ oculus existens. Gloriam ergo referamus Patri et Filio, et Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

De his, quæ contingunt Christianis inter orandum, et de gradibus perfectionis, utrum videlicet ad perfectum gradum pervenire possint Christiani?

I. Si ingreditur quispiam ad flectendum genu, quam primum cor ejus repletur divina virtute, et exultat anima cum Domino, ut sponsa cum sponso, secundum quod dixit Isaïas propheta dicens: « Quomodo gaudebit sponsus » super sponsam, sic gaudebit Dominus super te[1]. » Contingit autem, ut qui totum diem negotiis districtus erat, una hora se precationi dedat, et interior homo ad orationem et infinitam profunditatem sæculi illius in multa suavitate abripiatur, adeo ut tota ejus mens suspensa, et illuc abrepta, peregrinetur; atque ut illo tempore oblivione sepeliantur cogitationes terrenarum curarum: propterea quod repletæ sint cogitationes, et captivatæ ad divinas, ad cœ-

[1] Isai. LXII, 5.

Digitized by Google

lestes, ad infinitas et incomprehensibiles res, ad mirabilia quædam, quæ humano ore explicari nequeunt, ut eadem hora optet et dicat, utinam simul egrediatur anima cum precatione!

INTERROGATIO.

II. *Utrum semper penetrat quis in hujusmodi res?*

RESPONSIO.

Gratia quidem indesinenter adest et radicata et commixta a tenera ætate, et tanquam naturale et concretum quiddam est, quod adhæret homini velut una substantia: variis vero modis ad libitum voluntatis, quantum prodest, disponit hominem: aliquando enim intentius accenditur et ardet ignis; aliquando vero remissius et lentius: ipsum quoque lumen quibusdam temporibus vehementius accenditur et lucet: aliquando vero remittitur et tristius est. Sic ipsa quoque lucerna, scilicet gratia, ubique accensa et lucens, quando splendidior fuerit, intensius accenditur ab ebrietate dilectionis Dei. Rursum autem dispensatione quadam exhibet lumen, quod inest obtusius.

III. Porro per lumen apparuit quibusdam signum crucis et affixum est in interiori homine: alias item inter precandum homo, velut in excessu constitutus, inventus est ante altare stans in Ecclesia, et oblati sunt ei tres panes, velut oleo fermentati, et quanto magis ederet, tanto magis augebantur et crescebant: aliis item apparuit velut vestimentum splendidum, quale non est in terra hoc sæculo ullum, nec manibus hominum confici potest. Quemadmodum enim montem ascendens Dominus cum Joanne et Petro transformavit vestimenta sua, illaque splendida fulguris

instar reddidit[1] : ejusmodi erat vestimentum illud, ut admiraretur et obstupesceret exutus illud homo. Interdum verum lumen ipsum in corde fulgens, aperuit interius et profundius ac lactens lumen, adeo ut totus homo illa suavitate et contemplatione demersus, non amplius sit sui compos, sed sit tanquam stultus et barbarus huic mundo, propter nimiam dilectionem ac suavitatem, et arcana mysteria, adeo ut homo tunc libertate donatus perveniat ad perfectum gradum purus ac liber a peccato. Verum postea subduxit se gratia, et accessit velamen adversariæ potestatis; apparet tamen aliqua ex parte, et consistit in uno gradu inferiori perfectionis.

IV. Velut, ut dicamus, oportet aliquem duodecim gradus transcendere, et demum ad perfectionem pertingere. Aliquando quis consecutus est hunc gradum, et pervenit ad perfectionem. Iterum remissior facta gratia, descendit unum gradum, et in reliquis undecim consistit. Dives autem aliquis in gratia semper noctes atque dies in perfecto gradu consistit, liber ac purus, semper captivus ac suspensus. Et quidem, si mirabilia illa, quæ homini monstrata sunt, et quorum experientiam cœpit, ei semper adessent, nec ministerium verbi aut onus aliquod suscipere posset, neque audire aut curam gerere, si quando opus esset, sui ipsius, neque crastini dici, sed solum sedere in uno angulo suspensum et inebriatum. Quapropter gradus perfectus non est concessus, ut possit vacare curæ fratrum et ministerio verbi. Verumtamen interstitium maceriæ dirutum est, et mors devicta.

V. Res autem sic se habet. Quemadmodum tenebrosa quædam vis incumbit, et leviter velut crassus quidam aër inopacat locum, lucerna licet semper ardente et lucente; sic adhæret illi lumini velamen. Unde confitetur ille se

[1] Matth. xvii, 2, et Marc. ix, 3.

Digitized by Google

nequaquam esse perfectum, neque omnino immunem a peccato: ita ut dicat dirutum et perfossum esse interjectum parietem maceriæ, atque iterum in aliqua parte, non esse plane dirutum, neque in perpetuum. Aliquando enim vehementius accendit, admonet et resocillat gratia: aliquando vero remissior facta subtristior apparet, prout ipsa gratia dispensat ad emolumentum hominis. Quis vero unquam ad perfectum gradum progressus gustavit et periculum fecit illius sæculi? Nondum enim ullum vidi perfectum hominem christianum aut liberum. Sed quamvis acquiescat quis in gratia, atque ad mysteria, revelationes ac immensam suavitatem gratiæ perveniat, nihilominus tamen peccatum adhuc in eo hæret. Qui tales vero sunt, propter immensam gratiam et lumen illis adhærens, se perfectos et liberos reputant, ex imperitia decepti, postquam possident vim gratiæ. Verum nec dum vidi ullum liberum. Siquidem et ego ex parte aliqua aliquando ad gradum illum perveni, et cognovi nullum esse hominem perfectum.

INTERROGATIO.

VI. *Dic nobis in quibus tu consistis gradibus?*

RESPONSIO.

Post signum crucis gratia nunc sic operatur, et quieta reddit omnia membra et cor, ut anima præ summa lætitia, tanquam puellus fraudis ignarus videatur, nec amplius homo condemnet Græcum, aut Judæum, aut pecoatorem, aut mundo deditum: verum interior homo oculo puro omnes aspicit, et lætatur homo de toto mundo, omninoque cupit venerari et diligere Græcos et Judæos. Alia quadam hora veluti filius regis confidit Filio Dei tanquam patri, et

Digitized by Google

aperiuntur ei fores, et ingreditur intro in multas mansiones. Et quanto magis ingreditur, rursum aperiuntur ei juxta proportionem a centum mansionibus ad alias centum mansiones, et ditescit, et quanto magis ditescit, denuo alia recentiora mirabilia ei monstrantur. Et creduntur ei tanquam filio et hæredi res, quæ ab humana natura explicari nequeunt, nec ore aut lingua enodari. Gloria Deo. Amen.

HOMILIA IX.

Promissiones ac prophetias divinas per varias probationes et tentationes impleri: et soli Deo adhærendo liberari nos ab infestationibus Dæmonis.

I. Spiritualis gratiæ Dei virtus, quæ in anima versatur, cum summa longanimitate, sapientia, et dispensatione mentis mystica operatur, magna etiam cum patientia cum temporis opportunitatibus homine dimicante. Tunc autem opus gratiæ perfectum in eo apparet, quando liberam ejus voluntatem post magnam tentationem Spiritui sancto placere manifestum est, et quando ex successu temporis probationem et perseverantiam ipsa ostendit. Hanc consequentiam autem ex sacro-sanctis Litteris per manifestos typos in medium producemus.

II. Quod autem dico, tale est, quale legitur de Joseph. Quanto post tempore voluntas Dei de eo prædefinita perfecta est, et visiones completæ sunt? et quantis ante laboribus, afflictionibus, et angustiis probatus, omnia strenue sustinuit? et per omnia probatus et fidelis Deo inventus

Digitized by Google

servus, tunc rex Ægypti constitutus est, et familiam suam enutrivit [1]; et prophetia eorum, quæ non videbantur, completa est, et voluntas Dei per tempora, et dispensationem multam pronuntiata.

III. Idem de David traditur. Deus unxit eum in regem per Samuëlem prophetam [2]. Et postquam unctus est, continuo fuga sibi consuluit, persecutionem a Saülo, eum occidere conante, perpessus? ubi ergo unctio Dei [3]? et ubi promissio, ut quæ statim effectum consecuta esset? Paulo enim postquam unctus esset, graviter affligebatur, in desertis degens; et ad penuriam panis usque redactus, ad gentes confugiebat propter Saülis adversus eum structas insidias: quem Deus unxerat in regem, tantis involvebatur afflictionibus [4]. Deinde successu temporis probatus, afflictus, tentatus et patienter adversa ferens, unice Deo confidens, et plena fide se erigens, sic colligebat: « Quia quod fecit Deus per unctionem in me, et quod dixit Deus futurum de me, absque omni dubio fieri oportet. » Et post longam expectationem tandem voluntas Dei completa est, et regnavit David post multas tentationes [5]. Et tunc manifestatum est Dei verbum, et unctio per Prophetam collata, firma et vera demonstrata est.

IV. Idem de Mose, Deus cum eum præscivisset et prædestinasset in ducem et servatorem populi, filium fecit fieri filiæ Pharaonis [6], atque hic quidem regiis opibus et gloria, atque deliciis auctus, omni Ægyptiorum disciplina instructus est: et ad virilem ætatem cum pervenisset, ac fide grandior factus esset, respuit ea omnia, potius eligens afflictionem et contumelias Christi juxta sermonem apostolicum, quam temporalibus peccati commodis frui [7]. Et

[1] Gen. xxxix, 1, et seqq., et xli, 39, 40.— [2] 1 Reg. xvi, 13.— [3] Id. xix, 11, et seqq.; xxiii, 7, et seqq.; xxvi, 1, et seqq. — [4] Id. xxi, 11, et seqq.; xxvii, 1, et seqq.— [5] 2 Reg. ii, 4. — [6] Exod. ii, 10.— [7] Hebr. xi, 24, 25.

Digitized by Google

exul Ægypti factus cum esset [1], quantum temporis modo in pastoria vitam transegit opera, regis filius qui erat, et in tantis lautitiis ac regiis deliciis educatus? Et sic tandem probatus Deo, et fidelis per multam patientiam inventus, quippe qui multas tentationes sustinuerat, constitutus est servator, et dux, et rex populi Israël atque Deus Pharaonis a Deo appellatus? Per cum enim percussit Deus Ægyptum, et magna atque admiranda per eum Pharaoni ostendit, ac tandem in mari Ægyptios submersit [2]. Ecce Dei voluntas et propositum, quanta post temporum spatia manifesta; et quantas post probationes et afflictiones completa est?

V. Idem de Abraham. Quanto tempore ante promiserat Deus se ei largiturum filium, nec tamen statim dedit: sed quod interea annorum probationes et tentationes ipsi incubuerunt? Ille vero animo patienti omnia accidentia sufferens, plena fide se ipsum obfirmavit [3], inquiens: « Quod qui promisit, cum sit mendacii expers, complebit verbum suum. » Sicque fidelis inventus quod promissum erat, consecutus est.

VI. Sic et Noë quingentesimo anno jussus a Deo arcam construere [4]; qui inducturum se toti terræ diluvium nuntiaverat; et sexcentesimo anno inducebat; centum annos patienter expectans nihil omnino dubitabat, utrum quæ dixerat Deus facturus esset, necne; verum plena fide nixus sic constituebat, « Quod quæ Deus locutus esset, absque omni dubio fieri oporteat. » Sic ergo spectatæ atque integræ voluntatis, fidei, patientiæ et lenitatis magnæ deprehensus, solus servatus est cum domo sua, mandatum pure observans.

[1] Exod. II, 15. — [2] Id. III, 10. V, 26. VII, 1. Exod. VIII, 1, 11. IX, 1. X, 1, 21. Exod. XII, 23. — [3] Gen. XV, 4. XVII, 5, 6. XVIII, 10. Gen. XX, 2, et seqq. XXII, 1. et seqq. — [4] Gen. VI, 7. VII, 1. VIII, 1. IX, 1, et seqq.

Digitized by Google

VII. Hæc argumenta ex Scripturis attulimus ad demonstrandum, quod virtus gratiæ divinæ inest homini; et donum Spiritus sancti, quod fidelis anima consequi digna censetur, magna cum contentione, tolerantia multa, patientia, tentationibus ac probationibus comparatur, libera ejus voluntate, omnibus afflictionibus probata. Et si quando ea in nulla re Spiritum contristet, sed gratiæ in omnibus præceptis consonet, tunc liberationem ab omnibus affectionibus consequi digna reputatur, plenamque adoptionem Spiritus, de qua in mysterio dicitur, accipit, et spirituales divitias ac sapientiam, quæ non est hujus mundi, sed cujus, qui vere Christiani sunt, participes fiunt. Quocirca hi ab hominibus, qui hujus mundi spiritum habent, ac prudentia, intellectu et sapientia præditi sunt, per omnia differunt.

VII. Siquidem, qui hujusmodi est, « Omnes homines » dijudicat[1], » ut scriptum est: novit unde quisque loquatur, et ubi consistat, et in quibus gradibus constituatur: ipsum vero nullus hominum, habentium spiritum mundi, cognoscere et dijudicare potest, nisi solus is, qui similem cœlestem Divinitatis Spiritum habet, cognoscit similem: ut inquit Apostolus: « Spiritualibus comparantes spiritua- » lia. Animalis autem homo non accipit ea, quæ sunt Spi- » ritus Dei, siquidem stultitia illi sunt, nec potest cognoscere. » At spiritualis dijudicat quidem omnia: ipse vero a nemine » dijudicatur[2]. » Ejusmodi qui est, omnes mundi res pretiosas, divitias, luxum, ac omnem voluptatem, ipsam quoque cognitionem, et omnia quæ sunt hujus sæculi, execranda ducit et odio digna.

IX. Quemadmodum enim qui ardenti febri laborat, quemcumque ei offeras cibum aut potum, id quamvis suavissimum, abominatur ac renuit, eo quod febri inflam-

[1] 1 Cor. II, 15. — [2] Ibid. 14, 15.

Digitized by Google

matus ab ea valde exerceatur : eodem modo, qui Spiritus cœlestis sancto ac venerabili desiderio accensi, amore dilectionis Dei in anima sauciati, ac divino cœlestique igne, quem Dominus in terram missurus venit [1], vultque velociter accendi, vehementer incitati, atque cœlesti desiderio Christi accensi sunt, omnia, ut dictum est, quæ sunt in hoc sæculo præclara ac pretiosa, repudianda et odio digna reputant, propter ignem dilectionis Christi, qui constringit, accendit et inflammat eos affectione Dei, et cœlestibus bonis dilectionis. A qua quidem nihil, sive terrenum, sive subterraneum sit, eos separabit, sicut apostolus Paulus testatum fecit, scilicet, « Quis nos separabit a charitate » Christi? » et quæ sequuntur.

X. Possessionem vero suæ animæ, et Spiritus cœlestis dilectionis non contingit quempiam invenire, nisi ab omnibus, quæ sunt hujus sæculi, se ipsum abstrahat, et indagationi charitatis Christi se ipsum tradat, ac ab omnibus crassis curis et distractionibus terrenis mens procul absit: ut circa unum scopum totus satagere possit, per omnia præcepta hæc bene dirigens, ut omnis cura, inquisitio, distractio et occupatio animæ in investiganda intellectuali substantia hæreat, quomodo eam ornari oporteat præceptis virtutum, ac cœlesti Spiritus ornatu, et participatione puritatis et sanctificationis Christi : ut quis omnibus valedicens omniaque crassa ac terrena impedimenta resecans, ac carnalis dilectionis aut affectionis erga parentes ac cognatos expers factus, nulli alteri rei concedat animum vacare, aut ea distrahi : velut aut regnandi cupiditati, aut gloriæ, aut honoribus, aut amicitiis carnalibus mundi, aut aliis quibusdam curis terrenis ; sed totus omnino in indaganda intellectuali substantia animæ curam et laborem animus suscipiat, et in spe atque expectatione adventus

[1] Luc. XII, 49. — [2] Rom. VIII, 35.

Digitized by Google

Spiritus, totus omnino patiens sit : quemadmodum ait Dominus : « In patientia vestra possidebitis animas vestras [1]. » Et rursum : « Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia » adjicientur vobis [2]. »

XI. Fieri autem potest, ut quis sic decertans, et continuo sibi attendens, sive in precibus, sive in obsequio, sive in opere quocumque secundum Deum perficiendo, tenebras malitiosorum dæmonum effugere possit. Animus enim, qui a sui perscrutatione et indagatione Domini non desistit, animam suam possidere potest, quæ animi motus pedetentim amittit, dum se ipsum violenter semper atque prompte captivum ducit ad Dominum, et illi soli adhæret, ut dictum est : « Captivam ducentes omnem cogitationem » ad obediendum Christo [3] : » ut per hujusmodi certamen, desiderium et indagationem mens digna reddatur, quæ sit cum Domino in unum Spiritum doni et gratiæ Christi, requiescens in vase animæ, ad omne bonum eam adornantis, nec ulla afficientis contumelia Spiritum Domini, suæ libidini obtemperando, atque hujus sæculi occupationibus aut honoribus, aut dignitatibus, aut propriis opinionibus, aut carnalibus voluptatibus, aut improborum hominum sodalitiis et collegiis adhærendo.

XII. Amabile enim est quippiam anima, quæ tota omnino se ipsam Domino consecrans, illique soli adhærens, in ejus mandatis sine ulla oblivione ambulans, atque Spiritum Christi advenientem, et obumbrantem reverenter honorans digna habetur, ut cum ipso unus spiritus, et una massa fiat. Sicut inquit Apostolus : « Qui adhæret Domino, » unus spiritus est [4]. » Si quis vero se ipsum tradat curis, aut gloriæ, aut dignitatibus, aut honorum humanorum curam habeat, et hæc studiose quærat : sicque anima ejus terrenis cogitationibus commisceatur aut confundatur,

[1] Luc. xxi, 29. — [2] Matth. vi, 33. — [3] 2 Cor. x, 5. — [4] 1 Cor. vi, 17.

Digitized by Google

aut rei alicui hujus sæculi dedita sit ac obstricta teneatur, desideretque hujusmodi anima transilire, effugere atque expellere tenebras affectionum, in quibus detinetur a malitiosis potestatibus ; non potest ; eo quod diligat ac faciat voluntatem tenebrarum, nec capitali odio persequatur studia malitiæ.

XIII. Præparemus igitur nos ipsos, ut omni promptitudine ac tota voluntate ad Dominum accedamus, et Christi assectatores fiamus, ad perficiendam voluntatem ejus ; et recordemur omnium mandatorum ejus, eadem ut faciamus ; atque nos ipsos penitus a dilectione mundi separantes in eum solum animas nostras vertamus, et studium, curam ac investigationem ejus solius in mente habeamus. Et licet propter corpus observationi mandatorum, et obsequio divino minus diligenter vacaverimus, mens tamen a dilectione Domini, et indagatione, ac desiderio ejus non avertatur : ut hujusmodi mente decertantes, ac recto sensu viam justitiæ incedentes, semperque nobis ipsi attendentes, consequamur promissionem Spiritus ejus, et liberemur per gratiam ab interitu tenebrosarum affectionum, a quibus anima affligitur ; quo digni æterno regno evadamus, et frui Christo per omnia sæcula digni habeamur, glorificantes Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum per omnia sæcula. Amen.

Digitized by Google

HOMILIA X.

Humilitate et alacritate retinentur et augentur dona gratiæ divinæ : elatione autem et ignavia perduntur.

I. Animæ veritatis ac Dei amantes, quæ plene Christum induere in multa spe et fide desiderant, aliorum admonitione non tantopere indigent, nec etiam desiderio cœlesti, nec Domini amore ; licet aliquatenus eum imminui patienter ferant ; sed totæ penitus cruci Christi affixæ, quotidie spiritualem profectum erga Sponsum spiritualem in se ipsis percipiunt. Vulneratæ autem cum sint cœlesti desiderio, et justitiam virtutum esuriant, illustrationem spiritus summo ac insatiabili desiderio expectant. Et licet divinorum mysteriorum per fidem suam cognitionem consequi dignæ habeantur, aut lætitiæ gratiæ cœlestis participes fiant, non confidunt tamen sibi ipsæ, existimantes se aliquid esse : sed quanto magis spiritualibus donis dignæ reputantur, tanto magis ac diligentius insatiabili aviditate cœlestis desiderii detentæ inquirunt : et quanto magis spiritualem profectum in se senserint, tanto magis esuriunt ac sitiunt participationem et augmentum gratiæ : et quanto spiritualiter ditiores sunt, tanto pauperiores apud se sunt, insatiabili desiderio spirituali erga cœlestem Sponsum flagrantes : ut inquit Scriptura : « Qui edunt me, adhuc esu» rient, et qui bibunt me, adhuc sitient[1]. »

II. Hujusmodi animæ, quæ tam ardenti et insatiabili

[1] Eccli. XXIV, 29.

amore Dominum prosequuntur, dignæ sunt vita æterna: quocirca quoque liberatione ab affectionibus dignæ judicantur, et Spiritus sancti arcanæ et mysticæ communionis illustrationem ac participationem in plenitudine gratiæ perfecte consequuntur. Quæ vero sunt minus viriles atque socordes, haud quærentes talia, ut quæ adhuc in carne vivunt, quippe sanctificationem cordis non ex parte, sed perfecte perseverantia et animo patiente consequi, et participare cum Spiritu consolatore in plenitudine cum omni sensu et certitudine, non expectarint; nec ab affectionibus malitiæ liberationem per Spiritum acceperint; aut e diverso, quæ gratia divina dignæ habitæ, ignaviæ ac socordiæ, clam a malitia correptæ, sese dederint.

III. Ut quæ cum acceperint gratiam Spiritus, et habeant consolationem gratiæ in requie, et desiderio, et suavitate spirituali, hoc ipso confisæ extolluntur ac secure vivunt, non contritæ corde, nec animo humiliatæ, nec perfectam mensuram vacuitatis affectionum adeptæ, nec integram plenitudinem gratiæ omni diligentia ac fide consecutæ; sed repletæ ac acquiescentes permanserunt in pauca gratiæ consolatione, elatione magis quam humilitate proficientes hujusmodi animæ: et quibus dignæ erant gratiæ donis, eis videlicet denudantur ob negligentem contemptum, et vanam opinionis earum arrogantiam.

IV. Anima vero, quæ vere Deum ac Christum diligit, licet mille justitiæ opera ediderit, ita se gerit, ac si nihil fecerit, propter insatiabile desiderium ad Dominum; licet jejuniis et vigiliis corpus consumpserit, ita se habet, perinde ac si nunquam cœpisset circa virtutes elaborare; licet dona Spiritus varia, aut etiam revelationes et mysteria cœlestia consequi digna habeatur, ita se, ac si ne nunc quidem quidquam possideret, habet, propter immensam ac insatiabilem Domini dilectionem: sed quotidie esuriens

Digitized by Google

ac sitibunda per fidem et dilectionem in precibus perseverando, mysteria gratiæ, et omnem statum virtutis summopere appetit, amore Spiritus cœlestis sauciata, et ardens desiderium cœlestis Sponsi, per gratiam, quam in se semper habet, excitans, desiderans perfecte digna haberi mystica et arcana, in sanctificatione Spiritus cum eo communione, retecta animæ facie, defixis semper oculis aspicieris Sponsum cœlestem, facie ad faciem, in lumine spirituali et ineffabili, admixta ei in omni certitudine fidei, configurata morti ejus, summis votis pro Christo mortem oppetere semper sperans, et a peccatis ac tenebrosis affectionibus liberationem consequi per Spiritum certo ac plene credens : ut purificata per Spiritum, anima ac corpore sanctificata, quæ vas purum ad recipiendam cœlestem unctionem, et quæ habitatio cœlestis et veri regis Christi fiat, digna sit. Et tunc cœlesti vita digna habetur, habitaculum purum Spiritus sancti inde effecta.

V. Ad eum autem usque gradum ut anima perveniat, neque una opera statim, neque sine probatione : sed per labores et certamina multa, per longa temporum spatia et studia, cum probatione et tentationibus variis spirituale augmentum ac incrementum sumit, usque ad perfectum vacuitatis affectionum gradum demum pertingat : ut ad omnem tentationem, quæ a nequitia invehitur, fortiter ac strenue perdurans, maximos honores, et dona spiritualia, divitiasque cœlestes consequatur, et sic cœlestis regni hæres evadat in Jesu Christo Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula. Amen.

Digitized by Google

HOMILIA XI.

Virtutem sancti Spiritus in corde hominis, se habere instar ignis. Et quibus rebus indigeamus ad discernendum cogitationes in corde scaturientes : et de serpente mortuo ad sublimitatem ligni a Mose affixo, qui typus fuit Christi. Continet quoque Homilia disputationes duas : Unam quidem, Christi cum nequissimo Satana; alteram vero, peccatorum cum eodem.

I. Ignis ille cœlestis Divinitatis, quem accipiunt Christiani intus in cordo suo nunc in hoc sæculo, ille ipse, qui intus nunc cor illorum dirigit, quando corpus dissolvetur, erumpit, et rursus coagmentat membra, et facit resurrectionem dissolutorum membrorum. Quemadmodum enim ignis, qui Jerosolymis ministrabat altari, tempore captivitatis defossus erat in fovea, et ille ipse pace facta, ac reversis captivis veluti renovatus pro more serviebat : sic et corpus hoc familiare, quod post dissolutionem in cœnum vertitur, reficit et renovat ignis cœlestis, et resuscitat corrupta corpora. Interior enim ille ignis, cordi nostro inhabitans, tunc emergit, facitque resurrectionem corporum.

II. Nabuchodonosoris enim tempore, ignis in camino qui ardebat[1], non erat divinus, sed erat creatura : tres autem illi pueri, qui eo quod justi essent, in apparenti igne erant, in cordibus suis habebant divinum ac cœlestem ignem,

[1] Dan. III, 19.

Digitized by Google

intra cogitationes ministrantem et operantem in ipsis. Et idem ille ignis apparuit extra illos; in medio enim illorum stetit, et cohibuit apparentem ignem, ne ureret aut læderet aliqua ex parte justos. Similiter quoque Israëlitarum temporibus, cum animus et cogitationes illorum statuissent recedere a Deo vivo, et ad idololatriam converti, coactus est Aaron indicere illis, ut afferrent aurea et venusta vasa. Postmodum aurum et vasa, quæ conjecerant in ignem, in idolum sunt conversa, et quasi imitatus est ignis illorum propositum. Hoc autem admiratione dignum. Cum enim secundum sententiam animi interioris, et in cogitationibus suis, idololatriam exercere decrevissent; etiam ignis similiter injecta vasa in idolum convertit: et tum palam idolis cultum exhibuerunt. Quemadmodum ergo tres illi pueri[1], qui justitiæ operam dantes, susceperunt in se ipsis ignem divinum, et adorarunt Dominum in veritate; sic quoque nunc animæ fideles recipiunt occulte illum divinum et cœlestem ignem in hoc præsenti sæculo: et ille ignis formal imaginem cœlestem in homine.

III. Sicut igitur formavit ignis vasa aurea, et factum est idolum: ita quoque Dominus, qui imitatur fidelium ac piarum animarum intentiones, ac pro voluntate earum formal imaginem, quæ nunc quidem in anima est, et in resurrectione exterius apparebit; et glorificat corpora illorum intus et extra. Verum sicut corpora illorum corrupta sunt illo tempore, mortua et dissoluta: sic quoque cogitationes quorumdam a Satana sunt corruptæ et mortuæ ne vivant, et defossæ in lutum et terram: periit enim illorum anima. Quemadmodum igitur Israëlitæ conjecerunt aurea vasa in ignem, et factum est idolum: sic nunc puras et bonas cogitationes tradidit homo malitiæ, quæ obrutæ luto peccati, idolum factæ sunt. At quomodo quispiam illas possit inve-

[1] Dan. III, et 19, seqq.

nire, discernere et educere e proprio igne? Hic lucerna divina opus habet anima, Spiritu videlicet sancto, qui exornet obtenebratam domum: et splendido Sole justitiæ, qui illuminet et oriatur in corde; armis quoque opus habet, quibus evadat in bello superior.

IV. Illic enim vidua, quæ perdiderat drachmam, primum accendit lucernam, postea emundavit domum[t]: sicque purgata domo, accensaque lucerna, inventa est drachma, sordibus atque impuritate et terra obruta; verum anima non potest a se ipsa investigare proprias cogitationes, easque discernere; sed cum accensa fuit lucerna divina, tunc lux est in tenebris obducta domo; et tunc videt cogitationes suas, quomodo sint obrutæ impuritate et cœno peccati: oritur sol, et tum perspicit anima sui interitum, atque incipit revocare cogitationes, sordibus et squalore permixtas. Perdidit enim imaginem suam anima, quæ mandatum Dei transgressa est.

V. Perinde ac si quis rex sit, qui bona et servos sub se habeat, sibi ministrantes: contingat autem hunc ab inimicis comprehensum captivum abduci: eo capto et extra terminos abrepto, utique oportet servos et ministros a tergo illum sequi: sic quoque Adam conditus est purus a Deo in ejus ministerium: hæ vero creaturæ ad serviendum ei datæ sunt. Dominus enim et rex constitutus est omnium creaturarum. Verum postquam sermo improbus ad illum pervenit, et cum eo conversatus est, ipse primum auditu exteriori suscepit eum, deinde is penetravit in cor ejus, et omnem ejus substantiam occupavit: et ita tandem capto illo, capta quoque est, quæ ministrabat et subserviebat ei, creatura. Per eum enim imperium obtinuit mors super omnem animam, et omnino imaginem Adæ delevit propter ejus inobedientiam, adeo ut conversi atque prolapsi sint homines ad adorandos dæmones. Ecce enim fructus terræ,

[t] Luc. xv, 8.

Digitized by Google

qui in bonum usum a Deo creati sunt, offeruntur dæmonibus. Panem, vinum et oleum offerunt altaribus eorum, et animalia imponunt. Sed non hæc tantum; sed filios etiam et filias immolarunt dæmoniis.

VI. Hoc igitur tempore ille, qui formavit corpus et animam, ipse prodit et dissolvit omne institutum mali dæmonis, ac opera ejus in cogitationibus constructa; et renovat atque formal imaginem cœlestem, et condit novam animam; ut Adam denuo fiat rex mortis et dominus creaturarum. Et in umbra quidem legis Moses appellabatur servator Israël: eduxit enim eos ex Ægypto. Sic quoque nunc verus redemptor Christus penetrat occulta animæ, eamque ejicit ex tenebrosa Ægypto, gravissimo jugo et dura servitute. Præcipit igitur nobis, ut egrediamur e mundo, et paupertatem suscipiamus, relictis omnibus, quæ videmus, nec habeamus curam terrenam, sed nocte dieque ad januam stemus, et expectemus, quando Dominus aperiat clausa corda, et effundat in nos donum Spiritus sancti.

VII. Jussit ergo, ut relictis auro, argento, et cognatis[1], vendamus bona nostra, et distribuamus pauperibus, et colligamus ea in thesaurum, quæramusque in cœlis: « Ubi » enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum[2]. » Novit enim Dominus, quod inde Satanas roboret se adversum cogitationes, ut traducat eas in sollicitudinem rerum mundanarum et terrenarum. Propterea Deus, qui curam gerit animæ tuæ, jussit renuntiare omnibus, ut vel invitus quæras cœlestes divitias, et habeas cor tuum apud Deum. Quamvis enim volueris reverti ad res creatas, nihil tamen eorum, quæ videntur, te possidere deprehendes: velis, nolisve, cogeris mittere mentem ad cœlestem thesaurum,

[1] Matth. xix, 29. — [2] Id. vi, 21.

Digitized by Google

ubi ea collegisti et deposuisti : « Ubi enim est thesaurus » tuus, ibi est et cor tuum [1], »

VIII. Sic etiam in lege præcipit Deus Mosi [2], ut faceret serpentem æneum, et illum exaltaret ac affigeret ad summitatem ligni : et quicumque a serpentibus percutiebantur, intuentes in æneum serpentem, medelam consequebantur, Hocque non absque dispensatione fiebat, ut qui terrenis curis ac idololatria, atque voluptatibus Satanæ, omnique impietate districti essent, hoc saltem modo aliquatenus respicerent superiora, et ab inferioribus respirantes ad sublimia attenderent, et rursus ab illis proficerent ad Altissimum : et ita paulatim progredientes ad sublimiorem et superiorem progeniem, cognoscerent esse quemdam Altissimum supra omnem creaturam. Sic quoque te jussit Deus pauperem fieri, et omnia vendentem pauperibus largiri, ut postea, si velis denuo repere super terram, non possis. Scrutans ergo in corde tuo, incipe cum cogitationibus tuis disputare ; « Cum nihil in terris possideamus, transeamus ad cœlum, ubi habemus thesaurum, et ubi negotiati sumus. » Incipit mens tua ad sublimia emergere, et superiora indagare et in eo proficere.

IX. Verum quid innuit serpens ille mortuus, qui sublimitati ligni affixus, sanabat percussos? Serpens ille mortuus vivos superabat, ut typus sit corporis Domini. Corpus enim, quod assumpsit ex Maria, exaltavit in cruce, suspendit et affixit ligno : et ita serpentem in corde viventem et repentem corpus mortuum vicit et occidit. Hic miraculum magnum ! quomodo serpens mortuus occiderit vivum ! At quemadmodum fecit Moses novum opus, cum similitudinem vivi serpentis effingeret : sic quoque Dominus novum opus ex Maria condidit, et hoc induit, non autem

[1] Matth. VI, 21. — [2] Num. XXI, 8.

Digitized by Google

attulit corpus ex cœlo. Spiritum cœlestem, qui Adamum ingrediebatur, creavit, et hunc permiscuit Divinitati, et induit carnem humanam, eamque formavit in utero. Sicut ergo serpentem æneum usque ad Mosen non jussit Dominus in mundo fieri : ita corpus novum et peccati expers usque ad Dominum non apparuit in mundo. Postquam enim primus Adam mandatum Dei transgressus est, regnavit mors in universos ejus filios : superavit ergo corpus mortuum serpentem vivum.

X. Et hoc miraculum Judæis quidem offendiculum, Græcis autem stultitia est. Quid enim Apostolus ait : « Nos » autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem » offendiculum, Græcis vero stultitiam, nobis vero, qui » servamur, Christum Dei potentiam, ac Dei sapientiam [1]. » In corpore enim mortuo vita est : hic redemptio, hic lumen ; hic accedit ad mortem, et disputat cum ea Dominus, ac mandat, ut ejiciat ex inferno et morte animas, ac reddat eas sibi. Ecce hæc hisce perculsa, adit ministros suos, congregatque omnes potestates ac principes malitiæ, adducit chirographa, et dicit : « Ecce hi obedierunt verbo meo? ecce quomodo adorarunt nos mortales! » Deus autem, qui est justus judex, illic ostendit justitiam suam, ac dicit ad eum : « Paruit tibi Adam, et obtinuisti inde omne cor ejus. Obtemperavit tibi humanitas, meum corpus autem quid facit hic? Hoc peccati est expers. Corpus illud primi Adæ obligatum tibi est, et jure ob id ejus chirographa obtines. Mihi autem omnes perhibent testimonium, quod non peccaverim, nihil tibi debeo, et quod sim Filius Dei universi mihi attestantur. Desuper enim ex cœlis in terram veniens vox testimonium tulit : » « Hic » est Filius meus dilectus, ipsum audite [2]. » Joannes testatur : « Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi [3]. » Et

[1] 1 Cor. I, 23, 24. — [2] Matth. III, 16. XVII, 5. — [3] Joan. I, 29.

Digitized by Google

iterum Scriptura. « Qui peccatum non fecit, nec inventus » est dolus in eo [1]. » Et « Venit princeps hujus mundi [2], et in » me non habet quidquam. » Quinimo tu ipse, Satana, de me testaris dicens : « Novi te quod sis filius Dei [3]. » Et iterum : « Quid rei nobis tecum est, Jesu Nazarene? venisti huc » ad cruciandum nos ante tempus [4]? » « Tres ergo mihi testimonium perhibent; qui desuper e cœlis vocem emittit, et qui sunt in terra, et tu ipse. Redime igitur corpus tibi venditum a primo Ada : dissolve tua chirographa : ego enim satisfeci pro debitis Adæ, dum crucifixus sum, et in infernum descendi. Et mando tibi, inferne, tenebræ et mors, emitte inclusas animas Adæ. » Sicque tandem improbæ potestates, metu perculsæ, restituunt inclusum Adam.

XI. Verum si audieris, quod ille tempore liberarit animas ex inferno et tenebris, et quod ad inferos descenderit Dominus, et perfecerit opus præclarum, ne longe ab anima tua hæc negotia abesse existimes. Homo siquidem facile capit et suscipit malum. Detinet enim mors animam Adæ, et in tenebris sunt inclusæ cogitationes animæ. Et cum audieris de monumentis, ne de rebus sub aspectum cadentibus tandem cogites : monumentum enim et sepulcrum cor tuum est. Cum enim princeps nequitiæ, et angeli ejus illic nidum composuerint, illicque vias et itinera confecerint, quibus inambulent potestates Satanæ in mente tua, et cogitationibus tuis, nonne infernus, et sepulcrum, et monumentum, et mortuus Deo es? Illic enim Satanas argentum reprobum impressit : in anima hac seminavit semina amara, et fermentavit fermento veteri : scaturit illic fons luti. Descendit ergo Dominus in animas eum inquirentes, in profunditatem inferni cordis, illicque mandat mortui, dicens : « Emitte animas inclusas me quærentes,

[1] Isai. LIII, 9. — [2] Joan. XIV, 30. — [3] Marc. III, 11. — [4] Matth. VIII, 29.

Digitized by Google

quas vi detines. » Perrumpit igitur graves lapides, impositos animæ, aperit monumenta, resuscitat vere mortuum, et educit e carcere tenebroso animam inclusam.

XII. Quemadmodum si homo sit vinctus catenis manibus pedibusque, et veniat aliquis qui vincula ipsius solvat, et dimittat eum, ut liber ambulet in propatulo : sic animam catenis mortis vinctam solvit Dominus a vinculis, et dimittit illam, ac liberat mentem, ut absque molestia et cum quiete ambulet in aërem divinum. Perinde ac si quis homo in pleno ac medio flumine demersus in aqua, jaceat mortuus, suffocatus in medio horrendorum et crudelium animalium : et si quis alius natandi ignarus velit hunc in aquam collapsum servare, ipse simul pereat et suffocetur; certe opus hic perito natandi artifice est, ut ingressus in profundum aquæ sinum, illic aquas subeat: et referat eum, qui demersus in medio belluarum erat : et ipsa aqua, si quando peritum artis natandi artificem nacta fuerit, ipsum adjuvat, et tollit in superficiem aquæ. Eodem modo anima in abyssum tenebrarum et profunditatem mortis demersa, suffocata, et mortua est a Deo in medio ferocium animalium. Equis potest in penetralia illa et profunda inferni et mortis descendere, nisi ipse opifex, qui condidit corpus? Ipse penetrat duas partes, profundum scilicet inferni, et profundum sinum cordis, ubi detinetur anima a morte cum omnibus suis cogitationibus, atque educit ex tenebrosa profunditate mortuum Adam. Ipsa quoque mors exercitationis gratia adjumento est ipsi homini, veluti aqua natanti.

XIII. Quid enim est difficile Deo penetrare mortem et profundum sinum cordis, ac inde revocare mortuum Adam? In hoc enim præsenti sæculo sunt habitationes et mansiones, ubi homines habitent : et sunt quoque ubi belluæ, leones, dracones, et aliæ venenum emittentes feræ

Digitized by Google

habitent. Si igitur sol, qui est creatura, quocumque penetrat, fenestras, aut januas, tam speluncas leonum, quam cavernas reptilium, et egressus nequidquam læditur; quando magis Deus et Dominus omnium, ingressus nidos et domicilia, ubi mors habitat, atque etiam animas, et illinc eripiens Adam, nulla injuria afficitur? Ac pluvia e cœlo descendens ad intimas terræ partes usque pertingit, ubi exsiccatas radices rursus humectat et renovat, ac producit germen novum.

XIV. Alius est, qui certamine et bello cum Satana inito, afflictionem patitur: hic contritam habet animam: in sollicitudine enim, luctu ac lacrymis constitutus est: duplicem ejusmodi homo personam sustinet. Si igitur in his negotiis firmus permaneat, in bello Dominus ei adest et conservat eum, quia quærit assidue et pulsat januam, quando ei aperiat. Iterum vero, si apparcat tibi frater strenuus eo in bello, a gratia est confirmatus: qui vero fundamentum non habet, non tantopere Deum timet, nec contritum est cor ejus, nec in metu est, nec observat cor suum, et membra, ne inordinate ambulent: ejusmodi adhuc dissolutam habet animam suam; nondum enim prælium ingressus est. Alius igitur est, qui in bello et afflictione est, et alius qui rei militaris ignarus adhuc est. Etenim semina quoque in terram missa afflictionem sustinent, in gelu, hyeme, et frigore aëris: ac deinceps debito tempore reviviscit germen.

XV. Contingit autem interdum, ut Satanas in corde tecum disputet, scilicet: « Ecce quanta mala commisisti, ecce quanta insania anima tua repleta est, et quam onustus es peccatis, ut amplius salvari non possis. » Hæc autem ideo facit, ut te in desperationem deducat, et quia non est accepta et grata tua pœnitentia. Postquam enim per transgressionem malitia introivit, postea singulis horis dis-

Digitized by Google

putat cum anima, ut homo cum homine. Responde tu quoque sic : « Habeo testimonia Domini, scripto consignata : Nolo mortem peccatorum, sed pœnitentiam, ut convertatur ipse a via perversa, et vivat. » Propterea enim descendit Dominus, ut peccatores salvaret, mortuos suscitaret, et a morte vulneratos vivificaret, et eos, qui in tenebris erant, illuminaret. Vere enim Dominus adveniens, vocavit nos in adoptionem filiorum, ad sanctam et pacis studiosam civitatem, ad vitam nunquam perituram, ad gloriam incorruptibilem ; modo nos principio bonum finem superstruamus, perseverantes in paupertate, peregrinatione, afflictione et postulatione erga Deum, absque ullo pudore pulsantes januam. Quemadmodum enim corpus propinquum est animæ ; ita propior est Dominus ad veniendum et aperiendum occlusas fores cordis, et ad largiendum nobis divitias cœlestes. Bonus siquidem est et hominum amans ; et falsitate ejus promissiones carent, modo nos perseveremus ad finem usque in studio eum quærendi. Gloria miserationibus Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

HOMILIA XII.

De statu Adæ, antequam transgrederetur mandatum Dei : et postquam amisit propriam ac cœlestem imaginem. Continet quoque Homilia quasdam quæstiones valde utiles.

I. Adam transgressus mandatum, duobus modis periit : uno quidem, quod perdidit possessionem puram naturæ

Digitized by Google

suæ, speciosam, et secundum imaginem ac similitudinem Dei conditam: altero vero quod perdidit ipsam imaginem, in qua reposita ei erat juxta promissionem tota hæreditas cœlestis. Perinde ac si sit moneta, imagine regis insignita, quæ si adulteretur, et aurum perit, et imago nullius est pretii: tale quippiam evenit Adæ; ingentes siquidem divitiæ, et magna hæreditas ei præparata erat. Perinde ac si sit prædium amplum, illudque multos habeat reditus, in quo sit vinea fructuosa; illicque sint fertiles agri, illic greges, illicque aurum et argentum: ita vas Adæ ante inobedientiam erat tanquam prædium quoddam pretiosum. Verum ubi pravis commentis et cogitationibus se involvit, periit a Deo.

II. Non tamen dicimus, quod totus perierit, et extinctus ac mortuus sit: a conspectu Dei quidem mortuus est, sua autem natura vivit. Ecce enim universus mundus ambulat in terra, et negotia peragit: at oculus Dei videt ipsam mentem ac cogitationes, et quasi respicit et despicit, nec cum eis ullam societatem init; quia nihil quod gratum sit Deo cogitationibus moliuntur. Perinde ac si sint diversoria ac lupanaria, et loca, ubi omnia incompositis moribus ac intemperanter geruntur: postea si religiosi homines transeant, nonne execrantur, et videntes non vident? (sunt enim illis quasi mortua): sic Deus aversos a verbo ac mandato suo respicit quidem; attamen despicit eos, nec cum eis ullum commercium colit, nec requiescit in cogitationibus illorum Dominus.

INTERROGATIO.

III. *Quomodo quis potest esse pauper Spiritu, maxime cum senserit apud se, se translatum esse ac profecisse, et*

Digitized by Google

cognitionem atque intelligentiam consecutum esse, quæ antea carebat ?

RESPONSIO.

Quandiu hæc quis possidet et proficit, non est pauper Spiritu, sed de se ipso sic opinatur : quando vero pervenerit ad talem intelligentiam et profectum, ipsa gratia docet eum, qui revera quidem justus et electus Dei est, ne putet se aliquid esse, sed animo vili et abjecto se gerat, tanquam nihil sciens aut habens, quamvis sciat et habeat. Hoc vero tanquam naturale et infixum in mente hominum est. Nonne vides primum patrem nostrum Abraham, cum esset electus, terram et cinerem se ipsum nominasse [1] ? Et David unctus in regem, Deum habebat secum [2], et sane quid ait? « Vermis sum, et non homo, opprobrium hominum, et » abjectio plebis [3]. »

IV. Qui volunt igitur esse horum cohæredes, et cives civitatis cœlestis, et cum eis glorificari, debent hac humilitate animi esse ornati, et non existimare aliquid in se esse, sed cor contritum habere. Quamvis enim gratia in singulis Christianis diversimode operetur, et diversa membra habeat ; omnes tamen sunt ejusdem civitatis, animi et linguæ, se mutuo cognoscentes. Sicut in corpore membra sunt multa, una autem in omnibus anima, ista movens ; ita Spiritus unus operatur in omnibus diversimode, ejusdem tamen sunt civitatis, ejusdem viæ. Justi enim omnes angustam et arctam viam ambularunt, sustinentes persecutionem, « Afflictionem, et contumelias, ac » viventes in pellibus caprinis, in speluncis et cavernis » terræ [4]. » Similiter et Apostoli ad hanc usque horam di-

[1] Gen. xviii, 27. — [2] 1 Reg. xvi, 13. — [3] Psal. xxii, 7. — [4] Hebr. xi, 37, 38.

Digitized by Google

» cunt : « Et esurimus et sitimus, nudi sumus, contumeliis afficimur, et instabiles sine sede vivimus. » Quorum nonnulli sunt capitis supplicio affecti, quidam vero cruci affixi, alii vero variis modis afflicti. Insuper ipse Dominus Prophetarum et Apostolorum, oblitus quasi divinæ gloriæ, quomodo conversatus est ? ille nobis in exemplum factus, summa cum contumelia coronam spineam in capite gestavit, sputa, colaphos et crucem sustinuit [1].

V. Si Deus in terris sic versatus est, tuum erit, ut eum imiteris : et si Apostoli ac Prophetæ sic conversati sunt : nos quoque, si modo velimus fundamento Domini et Apostolorum superædificari, eos imitari debemus. Inquit enim Apostolus per Spiritum sanctum : « Imitatores estote mei, si- » cut et ego Christi [2]. » Quod si gloriam hominum expetis, et adorari colive desideras, atque vitam voluptariam quæris, de via declinasti. Oportet enim te simul crucifigi cum crucifixo [3], simul pati cum eo, qui passus est, ut ita simul glorificeris cum glorificato. Necesse enim est sponsam pati cum sponso, ac sic sociam ac cohæredem Christi fieri. Non enim conceditur, nisi per afflictiones, per asperam, angustam, arctamque viam ingredi civitatem sanctorum, et requiescere ac regnare cum rege in infinita sæcula.

INTERROGATIO.

VI. *Quoniam propriam ac cœlestem imaginem perdidit Adam ; igitur, si particeps fuit cœlestis imaginis, habuit Spiritum sanctum ?*

RESPONSIO.

Quandiu Verbum Dei erat cum illo, habebat omnia.

[1] Matth. xxvii, 28, 29. — [2] 1 Cor. iv, 14, et xi, 1. — [3] Rom. viii, 17.

Digitized by Google

Ipsum enim Verbum erat ei hæreditas, erat indumentum, et gloria eum operiens, ipsum erat doctrina. Data enim ei erat potestas nominandi omnia, hoc nominabat cœlum, illud solem; hoc lunam, illud terram; hoc volucrem, illud bellunm, illud arborem; ut edocebatur, ita quoque nomina indiderat.

INTERROGATIO.

VII. *Habebat-ne sensum, et participationem Spiritus sancti?*

RESPONSIO.

Verbum ipsum ei adhærens, erat ei omnia, et cognitio, et sensus, et hæreditas, et disciplina. Quidnam enim Joannes inquit de Verbo? « In principio erat Verbum[1], » Vides quod Verbum omnia erat. Quod si extrinsecus ei adhærebat gloria, ne offendamur propterea, quia dicit: « Quod nudi fuerint[2], » nec se mutuo videbant, at post transgressionem mandati, tunc se nudos perspexerunt, ac pudore suffusi sunt.

INTERROGATIO.

VIII. *Ergo antea erant loco indumenti induti gloria Dei?*

RESPONSIO.

Quemadmodum in Prophetis operabatur Spiritus, et docebat eos, et intra eos erat, et extra eos apparebat:

[1] Joan. I, 1. — [2] Gen. II, 25.

Digitized by Google

sic quoque in Adam, quando volebat Spiritus, cum eo erat, et docebat ac præcipiebat : *Sic nomina, sic appella.* Verbum ei erat omnia, et intra mandatum subsistebat, gratus erat Deo. Et sane quid mirum, quod hoc in statu degens, trangressus sit mandatum, cum et ii, qui repleti sunt Spiritu sancto, naturalibus cogitationibus occupati sint, habeantque voluntatem, quæ illis consentiat : ita quoque ipse Adam, cum esset cum Deo in paradiso, ipse sua sponte transgressus est, et obtemperavit parti deteriori : at post transgressionem habuit cognitionem.

INTERROGATIO.

IX. *Qualem?*

RESPONSIO.

Perinde ac si quando latro deprehensus ad supplicium rapitur, et accusari incipit, judex ei dicit : « Cum committeres mala, numquid sciebas quod comprehensus capitis pœna affici possis? » Ille non audet dicere : Non sciebam. Sciebat enim, et supplicio dum afficitur, omnia in memoriam revocans confitetur. Item qui stuprum committit, nonne scit se male agere? et qui furtum, nonne scit se peccare? Sic etiam absque Scripturis homines naturali ratione sola, nonne cognoscunt Deum esse? Non possunt itaque in illa die dicere : « Non scivimus Deum fuisse. » Enarrat enim illis emissa de cœlo tonitrua et fulmina, nescitis esse Deum, qui regit creaturam? Quid igitur clamabant dæmones : « Tu es Filius Dei, quare venisti ad cruciandum nos ante tempus[1] ? » Insuper in tormentis quoque dicunt : « Uris me, uris me[2]. » Non noverint igitur lig-

[1] Matth. III, 11. — [2] Id. VIII, 29.

Digitized by Google

num notitiæ boni et mali, transgressio Adæ cognitionem dedit.

X. Quilibet enim incipit interrogare : « In quo statu erat Adam, quidve agebat? » Ipse enim Adam notitiam acceperat boni et mali. Alterum audimus ex Scripturis, quod in honore et in puritate erat; at cum transgressus esset mandatum, ejectus est paradiso, et succensuit ei Deus. Tandem quid in se bonum ac præclarum esset, discit, ac calamitatem suam edoctus cavet sibi, ne ulterius peccando incidat in judicium mortis. Cognoscimus igitur omnem creaturam Dei per eum regi. Ipse enim fecit cœlum, et terram, animalia, reptilia, belluas, quas videmus, numerum vero ignoramus. Quis enim hominum novit, excepto solo Deo, qui est in omnibus, etiam in fœtibus animalium imperfectis? Nonne ipse scit, quæ sunt sub terra et super cœlos?

XI. Relictis igitur his, potius quæramus, velut boni negotiatores, hæreditatem cœlestem possidere, et ea, quæ conducunt animæ nostræ. Discamus possidere bona, quæ sunt nobiscum permansura. Quod si enim homo cœperit indagare sensum Dei, ac dicere : « Inveni quiddam ac comprehendi, » deprehendetur mens humana transcendere sensum Dei. Verum in hoc longe aberrat, et quanto plus volueris per cognitionem scrutari ac penetrare, tanto profundius descendis, nec quidquam percipis. Ipsæ enim considerationes, quæ tibi occurrunt, quid singulis diebus in te peragatur, et quomodo, arcanæ sunt et incomprehensibiles, nisi quod tantum sint cum gratiarum actione suscipiendæ, atque credendum sit. Animam enim tuam, ex quo natus es ad hunc usque diem, potuisti-ne cognoscere? recense ergo mihi a mane ad vesperam usque scaturientes in te cogitationes. Dic mihi cogitationes trium dierum; at non potes. Si igitur cogitationes animæ tuæ

Digitized by Google

comprehendere non potuisti, cogitationes Dei atque mentem Dei quomodo potes scutari?

XII. Verum tu quantum invenis, ede panem, ac universam terram dimitte; et abi ad ripam fluminis, ac bibe quantum indiges, mox redi, nec inquire unde permanet, aut quomodo fluat. Nava operam, ut sanetur pes tuus, aut morbus oculi tui, ut aspicias lumen solis, nec curiose indages quantum luminis contineat sol, aut in quoto exurgat signo. Quod cedit in commodum tuum accipe. Et quid ascendis montes, et investigas, quot illic pascantur onagri aut bestiæ? et puellus, quando accedit ad ubera matris, lactatur et enutritur. At nescit scrutari radicem aut scaturiginem, unde sic affluat. Sugit enim lac et regionem omnem mamillarum exhaurit : et denuo alia hora repletur mamilla, hocque neque puellus novit, neque mater ejus, quamvis revera ab omnibus membris proveniat lac. Si quæris ergo Dominum in profundo, illic invenis eum signa facientem. Si quæris eum in fovea, illic invenis eum in medio duorum leonum[1], conservantem justum Danielem. Si quæris eum in igni, illic invenis eum auxilium ferentem ministris suis[2]. Si quæris eum in monte, illic reperis eum cum Elia et Mose[3]. Ubique igitur est, et sub terra, quam super cœlis, etiam apud nos, ubique est. Sic quoque anima prope te est, intra te est, et extra te est. Ubi enim volueris, in remotis regionibus, illic est mens tua, sive in occidente, sive in oriente, sive in cœlis, illic invenitur.

XIII. Studeamus igitur imprimis cauterium et sigillum Domini in nobis habere : quia in die judicii, facta segregatione illa a Deo, et congregatis omnibus tribubus terræ universæ Adæ, quando vocabit pastor suum gregem, quicumque cauterium habuerint, cognoscent pastorem suum,

[1] Dan. vi, 17. — [2] Id. iii, 28. — [3] Matth. xvii, 3.

Digitized by Google

et pastor sigillo insignitos cognoscet, et congregabit ex omnibus gentibus. Vocem enim ejus audiunt, qui sunt sui, et sequuntur eum. In duas enim partes mundus dividitur, et est unus grex tenebrosus, qui discedet in ignem inextinguibilem et æternum : alter vero plenus lumine, qui ad hæreditatem cœlestem deducetur. Illud igitur, quod nunc possidemus in animis, illud ipsum splendebit et manifestabitur, et corpora induent gloriam.

XIV. Perinde ac tempore mensis Aprilis radices terra coopertæ, suos fructus, suosque flores ac lautitias producunt, fructumque ferunt, ac manifestantur fœcundæ radices, uti et quæ spinas ferunt, patefiunt : sic in illa die, quilibet suo corpore, quid egerit, patefaciet, et manifestabuntur mala et bona. Illic enim erit universale judicium, et retributio. Est enim alius cibus præter eum, qui videtur. Moses enim, cum ascenderet montem, quadraginta dies jejunavit. Ascendit homo, descendit habens Deum. Et ecce videmus in nobis quod perpaucorum dierum spatio, nisi corpora suffulciantur cibis, ipsa pereant. Ipse vero quadraginta dies cum jejunus fuisset, fortior omnibus descendit. Alebatur enim a Deo, et corpus ejus sustentabatur alio cibo cœlesti. Sermo enim Dei cibus ei erat, et habebat gloriam in facie. Omne quod fiebat, typus erat alterius rei. Illa enim gloria nunc intus in cordibus Christianorum fulget. Resurgentia enim corpora in resurrectione, alio vestimento divino operientur, ac cibo cœlesti nutrientur.

INTERROGATIO.

XV. *Quidest illud:* « Fœmina non velato capite orans[a] ? »

[a] 1 Cor. xi, 5.

Digitized by Google

RESPONSIO.

Quoniam, temporibus Apostolorum, prolixos alebant crines pro velamine, propterea Dominus et Apostoli venerunt ad creaturam, ut eam ad modestiam adducerent. Verum mulier typus est Ecclesiæ. Et quemadmodum ad aliorum conspectum tempore illo mulieres gerebant passos crines pro velamine; sic Ecclesia filios suos induit et amicit vestimentis divinis et gloriosis. Antiquitus autem Ecclesiæ Israël una erat congregatio, quæ operiebatur Spiritu: et induti erant Spiritu pro gloria, quamvis ipsi non consentirent. Dicitur ergo Ecclesia tam de pluribus quam de una anima. Hæc enim anima congregat omnes cogitationes, atque Deo est Ecclesia. Apta enim est anima ad societatem cœlestis Sponsi, et temperatur cum cœlesti. Hoc vero non in pluribus tantum, sed etiam in uno potest intelligi. De Jerusalem enim Propheta inquit: « Inveni te desertam et » nudam, et indui te[1], » et cætera, tanquam de una persona loqueretur.

INTERROGATIO.

XVI. *Quid est, quod Martha dixerat de Maria:* « Ego » de multis sollicita sum, et hæc assidet tibi? »

RESPONSIO.

Quod debebat dicere Maria Marthæ, id Dominus præoccupans, eidem dixit, quod illa, omnibus relictis, sederet ad pedes Domini, ac Deo benediceret tota die. Vides assidendi beneficium, pro dilectione datum. Ut autem clarius

[1] Ezech. XVI, 6, et seqq.

Digitized by Google

appareat verbum Dei, audi. Si quis diligit Jesum, eique attendit, assidue vero, et non remisse attendit, sed perseverat quoque in dilectione, jam Deus cogitat pro dilectione illa dare aliquid illi animæ, quamvis homo nesciat quid accepturus sit, aut qualem portionem Deus largiturus sit animæ. Et sane Mariæ, quæ diligebat eum, et assidebat pedibus ejus, non simpliciter se adjunxit; sed virtutem illi quamdam occultam ex sua substantia contulit. Sermones enim, quibus alloquebatur Deus in quiete Mariam, spiritus erant et virtus quædam. Illique sermones penetrabant cor, et anima animam, spiritus spiritum, et virtus divina multiplicabatur in corde ejus. Necessario enim virtus illa, quocumque diverterit, illic perseverat, velut possessio, quæ auferri nequit. Quare Dominus sibi conscius, quid Mariæ contulisset, ait: « Maria optimam partem elegit[1]. » Non ita longe postea, quæ benevole egerat Martha circa ministerium, promoverunt eam ad donum illud gratiæ. Illa enim consecuta est virtutem divinam in anima.

XVII. Et sane quid mirum, si qui accedunt ad Dominum, eique corporaliter conjunguntur, receperunt virtutem, cum, Apostolis loquentibus verbum Dei, ceciderit super credentes Spiritus. Cornelius ex verbo Dei, quod audivit, accepit virtutem[2]: quanto magis, cum Dominus loqueretur cum Maria[3], aut Zachæo[4], aut peccatrice, quæ passis capillis abstergebat pedes Domini[5]: aut cum Samaritana[6], aut latrone[7], egressa est virtus, et permixtus est cum eorum anima Spiritus sanctus? Nunc quoque qui Deum amore prosequuntur, et relictis omnibus in oratione perseverant, docentur secreto, quæ non noverant. Ipsa enim veritas secundum illorum propositum apparet illis;

[1] Luc. x, 42. — [2] Act. x, 44. — [3] Luc. x, 43, 42. — [4] Id. xix, 9. — [5] Id. vii, 48. — [6] Joan. iv, 14. — [7] Luc. xxiii, 43.

Digitized by Google

et docet eos. « Ego sum veritas[1]. » Et ipsi quoque Apostoli ante passionem apud Dominum perseverantes, viderunt prodigia magna, scilicet quo pacto leprosi mundarentur, et mortui resuscitarentur[2]. » Nec tamen cognoverunt quomodo conversaretur virtus divina, aut ministraret in corde; et quod spiritualiter renasci et temperari cum anima cœlesti eos oporteat, ac fieri novam creaturam. Propter signa vero, quæ faciebat, diligebant Dominum. Tandem Dominus dixit eis : « Quid admiramini signa, hæreditatem » magnam do vobis, quam non habet universus mundus. »

XVIII. Tandiu vero hæc verba illis peregrina fuerunt, donec surrexit a mortuis, et extulit corpus pro nobis super cœlos. Et tunc introiit ac commixtus est eorum animis Spiritus Paracletus. Ipsa quoque veritas manifestat se ipsam animis fidelibus : ac congreditur cœlestis homo cum homine tuo, et fit una societas. Quicumque igitur ministerio vario vacant, et alacriter omnia peragunt, zelo, fide, dilectione Dei impulsi, illud ipsum aliquanto post ducit eos in cognitionem ipsius veritatis. Dominus enim apparet animis illorum et docet eos conversationem Spiritus sancti. Gloria et adoratio Patri et Filio et Spiritui sancto, in sæcula. Amen.

HOMILIA XIII.

Quem fructum a Christianis Deus requirat?

Omnia, quæ videntur, creavit Deus, et dedit hominibus in recreationem et delicias, ac legem illis dedit justi-

[1] Joan. xiv, 6. — [2] Matth. xi, 5.

Digitized by Google

tiæ. Ex quo vero Christus advenit, alium fructum requirit Deus, atque aliam justitiam, puritatem nempe cordis, conscientiam bonam, sermones utiles, cogitationes castas et bonas, atque omnia sanctorum officia. Dicit enim Dominus : « Nisi abundaverit justitia vestra, plus quam Scribarum et Pharisæorum, non potestis ingredi in regnum cœlorum [1]. » In lege scriptum est : « Non committes adulterium : at ego dico vobis, ne concupiscas aut irascaris. » Oportet enim eum, qui exoptat amicus Dei esse, conservare se a cœno peccati, et ignis æterni, qui in nobis viget. Hoc dignos regno constituit nos. Gloria misericordiæ ejus, et propensæ voluntati erga nos Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

HOMILIA XIV.

Qui cogitationes ac mentem Deo tradunt, hoc sub spe illuminandorum oculorum cordis faciunt : ac Deus hujusmodi in summa sanctimonia ac puritate mysteriis dignos reputat, ac participes facit illos gratiæ suæ. Quidque bona cœlestia consecuturi agere debeamus. Tandem Apostoli et Prophetæ assimilantur radiis solaribus, per fenestram ingressis. Docet quoque Homilia, quæ sit terra Satanæ, et quæ Angelorum, et quod utraque nec contrectari nec videri possit.

I. Omnia opera, quæ in hoc mundo videntur, sub spe

[1] Matth. v, 20, et seqq.

Digitized by Google

aliqua fiunt fruendi laboribus suis. Et nisi quis plene sibi persuadeat se fruiturum laboribus, nil commodi percipit. Agricola enim seminat sub spe fructuum, ac labores sustinet propter expectationem. « In spe, inquit, qui arat, debet arare : et qui ducit uxorem, sub spe habendorum hæredum. » Mercator quoque committit se mari et morti promptissimæ, lucri gratia. Ita quoque in regno cœlorum, sub spe illuminandorum oculorum cordis, tradit aliquis se ipsum, procul abscedens a rebus sæcularibus, intentus precationibus et obsecrationibus, expectans Dominum, quando veniens, manifestet ei se ipsum, et emundet eum a peccato ei inhærente.

II. Nec spem habet in laboribus suis, et vitæ ratione, donec consequatur quæ sperat, quo adveniens Dominus habitet in eo in omni sensu et operatione Spiritus. Cumque gustaverit bonitatem Domini et fructibus Spiritus delectatus fuerit, ac sublatum sit velamen tenebrarum, lumenque Christi splendescat, et operetur in lætitia ineffabili : tunc plene confirmabitur, habens secum Dominum in multa dilectione, perinde ac ibi mercator, dum lucrum facit, lætatur : multas tamen molestias sustinet, et metuit a latronibus et spiritibus nequitiæ, ne remissior factus perdat operam, donec consequatur regnum cœlorum, supernam Jerusalem.

III. Obsecremus igitur nos quoque Deum ut exutos nos veteri homine, induat cœlesti Christo ex hoc tempore, ut in exultatione constituti, sicque ab eo ducti in summa tranquillitate simus. Inquit enim Dominus, replere nos cum vellet gustu regni : « Sine me nihil potestis facere[1]. » Et quidem Apostolorum ope multos novit illuminare. Creaturæ enim cum essent illi, conservos educabant et fratrem ac filium Christi fieri, præstantius quid quam cæ-

[1] Joan. xv, 5.

Digitized by Google

teri homines, efficere : hoc est, ipsum cor et mentem sanctificabant, itidem et cogitationes, ut ad Deum eas dirigerent : et sic Deus largitur occulte vitam et opem cordi, ac se ipsum ei committit. Cum enim secreta, hoc est, mentem et cogitationes quis Deo dedicat, nulla alia re aut cogitatione occupatus ac districtus, sed se ipsum vi quadam cohibens, tunc Dominus mysteriorum participem facit eum, in sanctimonia ac puritate multa, et cibum cœlestem exhibet se ipsum, ac potum spiritualem.

IV. Perinde ac si quis, qui multa bona, servos ac filios possidet, alium cibum præbet servis, alium filiis ex semine suo procreatis : quia filii sunt hæredes patris, et cum eo comedunt, similes scilicet patri suo : sic Christus verus ille Dominus omnia creavit, et nutrit improbos ac ingratos : filios vero quos genuit ex semine suo, quosque participes fecit gratiæ suæ, in quibus formatus est Dominus, peculiari refectione, alimento, cibo et potu, præter cæteros homines enutrit, ac præbet se ipsum illis conversantibus cum patre suo, sicut ait Dominus : « Qui edit meam » carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego » in illo, et mortem non videbit [1]. » Qui enim possident veram hæreditatem, tanquam filii sunt ex Patre cœlesti progeniti, et in domo patris sui degunt, ut ait Dominus : « Servus non manet in domo, filius vero manet in æter- » num [2]. »

V. Si igitur nos quoque velimus ex Patre cœlesti pronasci, præstantius quid quam cæteri homines agere debemus, studere nempe, contendere, æmulari, diligere, bene conversari, in fide ac meta vivere, velut consecuturi tanta bona, et Deum hæreditario jure possessuri. « Dominus » enim pars hæreditatis meæ et calicis mei [3]. » Et ita intuens Dominus propositum illud bonum, ac tolerantiam,

[1] Joan. VI, 54. — [2] Id. VIII, 35. — [3] Psal. XVI, 5.

Digitized by Google

misericordiam suam exerit : ac purificans nos verbo cœlesti, mentes mortuas ac deperditas per bonam ipsorum Apostolorum conversationem et doctrinam, vivificat et suscitat. Creatura siquidem fovet ac vivificat alteram creaturam. Perinde ac semina frumenti aut hordei fovent nubes, quæ creaturæ sunt. Pluvia quoque et sol vivificant ea, cum jubentur. Quemadmodum autem se habet lumen, quod per fenestram ingreditur, ac sol, qui per universam terram radios suos extendit : sic erant Prophetæ luminaria peculiaris domus Israël. Apostoli vero erant soles, emittentes radios in universam mundi partem.

VI. Est igitur terra, in qua quadrupedia habitant : est quoque terra in aëre, in qua ambulant ac vivunt volucres. Quæ si velint consistere super terram et deambulare, habent venatores, qui eas capiant ; est quoque terra piscium, aqua scilicet maris. At unum quodque, in quo loco fuerit natum, sive in terra sive in aëre, illic degit, nutritur ac quiescit. Sic quoque terra est patria Satanæ, in qua degunt, et circum ambulant, ac in qua requiescunt potestates tenebrarum et spiritus nequitiæ. Est quoque terra lucida Divinitatis, in qua circumambulant ac requiescunt castra et acies Angelorum et sanctorum Spirituum. Atque nec terra tenebrosa oculis hujus corporis conspici aut contrectari potest ; nec terra Divinitatis lucida contrectatur aut videtur oculis carneis : spiritualibus vero patet, oculo nempe cordis, tum quæ est Satanæ ac tenebrarum, tum etiam quæ est lucida ac divina.

VII. Verum, ut profanus sermo perhibet, sunt quidam montes ignei, quia illic ignis permanet, suntque illic animalia similia ovibus. Cæterum venatores, ad ea capienda, conficiunt ferreas rotas, et projectos hamos mittunt in ignem, quandoquidem illa animalia ignem habent loco cibi, requiei, incrementi, vitæ, omnium denique loco ignis illis

Digitized by Google

est. Ac si transferas ea alium in aërem, pereunt: et indumenta illorum, si fuerint sordibus inquinata, aqua non eluuntur, sed igni, fiuntque puriora ac candidiora: sic quoque Christiani cœlestem illum ignem habent vice alimenti, ille ipsis est requies, ille expurgat, lavat, et sanctificat cor illorum: ille præbet eis augmentum: ille eis est aër et vita. Si vero inde egrediantur, interficiuntur a pravis spiritibus, velut ibi animalia igni egredientia moriuntur, velut pisces aqua egredientes, velut quadrupedia animalia in mare projecta suffocantur: velut volucres ambulantes super terram capiuntur ab aucupibus: sic quoque anima, quæ non permanet in terra illa, suffocatur et perit: et nisi habeat ignem illum divinum loco cibi, potus, indumentorum, purificationis cordis, et sanctificationis animæ, comprehenditur ab improbis spiritibus, ac perit. Nos autem studiose inquiramus, num seminati simus in invisibili illa terra, ac plantati in cœlesti vinea. Gloria miserationibus ejus in æternum. Amen.

HOMILIA XV.

Docet Homilia hæc prolixe, quo pacto anima in sanctitate, castitate ac puritate erga sponsum suum Christum Jesum, servatorum mundi, se gerere debeat. Continet vero quasdam quæstiones summa doctrina refertas, videlicet, utrum in resurrectione omnia membra resurgant, et alias infinitas de vitio, de gratia, de libertate arbitrii et dignitate generis humani.

I. Quemadmodum vir quidam, admodum dives, rex illus-

Digitized by Google

tris, si delectetur fœmina paupere, nihil præterquam corpus suum possidente, ejusque amator fiat, ac velit eam sibi in sponsam ac conjugem assumere : illa contra omnem benevolentiam præstat viro, amoremque, quo eum prosequitur, conservat : ecce pauper illa ac egena, quæ nihil possidet, omnium bonorum viri sui fit domina : si vero qui præter decorum ac officium commiserit, nec convenienter ac decenter in domo viri sui versata fuerit, tunc cum infamia ac contumelia ejicitur, ambabus manibus capiti impositis : quemadmodum et in lege Moysis obscure innuitur de muliere refractaria, quæ viro suo nihil commodi præstat. Tum demum illa dolorem ac luctum maximum sustinet, cum secum perpendit quantis divitiis exciderit, qua gloria sit privata, contempta ob dementiam suam.

II. Sic quoque anima, cujus connubium si petierit cœlestis sponsus Christus, in mysticam ac divinam societatem suam, cumque gustaverit cœlestes divitias, magna in diligentia atque ingenue placere debet suo sponso Christo, et ministerium Spiritus sibi concreditum decenter et convenienter implere, ut placeat Deo in omnibus, et Spiritum in nulla re contristet, ac præclaram erga illum modestiam et dilectionem decenter conservet, atque in domo cœlestis Regis recte conversetur, sitque concessa gratia ipsi in omnibus grata et accepta. Ecce ejusmodi anima omnium Domini bonorum domina constituitur, atque ipse splendor Divinitatis corpus ejus existit. Si vero quid aberrarit, ac citra decorum egerit quid in ministerio suo, nec grata ei fecerit, nec voluntati ejus paruerit, neque cooperata cum gratia Spiritus secum habitante fuerit, tunc non absque contumelia ac dedecore, honore exuitur, ac privatur vita tanquam inutilis effecta, minimeque apta societate cœlestis Regis. Ac tandem propter illam

Digitized by Google

animam tristitia, dolor ac luctus omnes sanctos et intellectuales Spiritus invadit : Angeli, Potestates, Apostoli, Prophetæ, Martyres lugent ejus vicem.

III. Quemadmodum enim « Gaudium est in cœlo, ut »dixit Dominus, super uno peccatore pœnitentiam »agente[1] ; » ita tristitia multa est et luctus in cœlo super una anima, quæ excidit vita æterna. Et quemadmodum in terris, si quis locuples vir mortuus fuerit, cum cantu lugubri, lamentatione ac planctu effertur e vita per suos fratres, consanguineos, amicos ac familiares : sic quoque propter eam animam omnes sancti lugent lamentatione ac voce lugubri. Alibi enim Scriptura ad hoc obscure alludit, inquiens : « Cecidit pinus, lugete cedri[2]. » Quemadmodum enim populus Israël, cum videretur placere Domino, quamvis nullo modo, quo debuit, ei placuerit[3], columnam nubis habebat obumbrantem, et columnam ignis illustrantem, mare videbat dividi coram ipsis, ac limpidam aquam e petra erumpere : postquam vero aversa est mens et voluntas eorum a Deo, tum serpentibus traditi, et hostibus suis, ac in captivitatem miserrimam abducti, atque servitutibus duris tentati sunt. Idem prorsus quoque animis nostris contingit. Quod ipsum quoque per prophetam Ezechielem mystice commonstrans Spiritus de hujusmodi anima, velut de Jerusalem, loquebatur : « Inveni te, inquit, in »deserto nudam, et ablui te aqua ab impuritate tua, et »indui te vestimento, et armillas circumposui manibus »tuis, et torques circa collum tuum, et inaures in auribus »tuis, et facta es mihi nominata inter omnes gentes. Simila et oleum ac mel comedisti, et ad ultimum es oblita »beneficia mea. Abiisti post amatores tuos, et cum pudore »fornicata es[4]. »

[1] Luc. xv, 7. — [2] Zach. xi, 2. — [3] Exod. xiii, 21, et xiv, 19. — [4] Ezech. xvi, 6, et seqq.

Digitized by Google

IV. Sic quoque animam, quæ per gratiam Deum cognoscit, Spiritus admonet : quæ purificata quidem a pristinis peccatis, et Spiritus sancti ornamentis decorata, ac particeps facta divini ac cœlestis cibi; minus vero decenter in multa cognitione versata, nec convenienter debitam cœlesti Sponso Christo benevolentiam et dilectionem conservans, projicitur et detruditur a vita, cujus erat particeps facta. Valet namque Satanas vel adversus eos, qui ad hos gradus pervenerunt, insurgere et elevari; et adversus eos, qui Deum in gratia et virtute cognoverunt, adhuc nequitia insurgit, ac conatur eos deturbare. Contendendum igitur ac prudenter cavendum quoque nobis est, « Ut cum timore nostram ipsorum salutem operemur[1], » ut scriptum est. Quicumque igitur participes Spiritus Christi facti estis, in nulla re, sive parva sive magna, contemptim ita sitis animo dispositi, ut hæc condemnatis, nequo gratiam Spiritus contumelia afficiatis, ne vita privemini, cujus participes facti eratis.

V. Hoc ipsum denuo in alia persona dicam. Quemadmodum servus palatium aliquod ingressus, ut tractet vasa ministerii, ex regiis bonis sumit, nudus cum ipse venerit, atque in ipsis vasibus, quæ sunt regis, ministrat regi. Cæterum hic magna prudentia ac judicio opus est, ne præter decorum quid ministret, alia pro aliis esculenta apponens regiæ mensæ, sed ut, ordine servato, prima atque postrema apponat cibaria. Sin vero ex ignorantia, ac judicii defectu non juxta ordinem regi ministret, periculo, mortique obnoxius fit: sic et anima, quæ in gratia et Spiritu ministerium Deo exhibet, accurato judicio et cognitione indiget, ne quid aberret in vasibus divinis, aut ministerio spirituali, propriam voluntatem, non congruentem gratiæ, habens. Licet enim, ut utique in ministerio spirituali,

[1] Philip. II, 12.

Digitized by Google

quod clam per interiorem hominem peragitur, et in propriis vasibus, hoc est, spiritu proprio, anima Domino ministret. Absque vero Dei vasibus, hoc est, absque gratia, impossibile est quempiam Deo servire, hoc est placere in quacumque Dei voluntate.

VI. At ubi acceperit gratiam, tum summa prudentia atque judicio opus est, quæ etiam ipsa concedit Deus animæ a se postulanti, ut gravissima ei possit exhibere servitia in Spiritu, quem accipit; et in nullo vincatur a malitia, atque fallatur per ignorantiam, temeritatem ac negligentiam aversa, præterque decorum dominicæ voluntatis omnia peragens : quia supplicium, mors, et luctus hujusmodi animam manet. Quod etiam divus Apostolus dixit : « Ne » forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar[1]. » Vides cum Dei Apostolus esset, quo fuerit timore? Obsecremus igitur Dominum, ut servitium Spiritus secundum voluntatem ejus imprimis exhibeamus, quicumque gratiæ divinæ participes facti sumus, neque mente ad contemptum disposita convivamus, ut hoc modo gratissima Deo conversatione utentes, ac spirituali cultu secundum voluntatem ejus illi ministrantes, æternæ vitæ hæreditatem cernamus.

VII. Morbo si quis laborat, tamen fieri potest, ut is membra quædam illæsa ac sana habeat, oculum videlicet visionis, aut aliud membrum : reliqua vero membra afficiuntur : sic quoque habet se res in spiritualibus. Probabile est quempiam membra spiritus tria habere sana, sed non propterea perfectus est. Vides quot gradus et modi sint spiritus : quomodo per partes defæcetur ac minuatur malitia, et non uno momento. Universa, quæ sunt, providentia ac dispensatione divina fiunt, tum quod oriatur sol, tum quod omnes creaturæ propter regnum, quod hæredi-

[1] Cor. IX, 27.

Digitized by Google

tariojure possessuri sunt electi, facta sint, ut pacificum ac ex concordia constituant regnum.

VIII. Debent igitur Christiani per omnia contendere, neque omnino judicare quempiam, ne quidem meretricem prostitutam, nec peccatores, nec lurcones, sed simplici intentione ac puro oculo omnes aspicere; ut sit hoc cuidam quasi naturale et infixum, ne quemquam contemnat, nec judicet, aut abominetur, aut ipsos habeat in discrimine. Si monoculum aspexeris, ne dijudices in corde tuo, sed eum perinde, ac si sanus esset, intuere; mancum aliquem manu minime veluti mutilatum aspice, claudum velut erecto corpore incedentem, paralyticum velut sanum. Hæc enim est puritas cordis, ut visis peccatoribus aut infirmis, compatiaris ac misericors erga eos sis. Contingit enim, ut sancti quoque Domini, velut in specula sedentes, prospiciant deceptiones mundi; quippe qui secundum interiorem hominem, cum Deo colloquuntur, secundum vero exteriorem hominem apparent oculis quasi spectare ea, quæ fiant in mundo.

IX. Aliam igitur habent sæculares virtutem a spiritu erroris, ut sapiant videlicet terrena. Christiani vero aliam habent intentionem, alium animum, alius sunt sæculi, alius civitatis. Spiritus enim Dei societatem init cum illorum animis, et conculcant adversarium. Scriptum enim est: « Novissimus hostis abolebitur mors[1]. » Deum enim qui venerantur, omnium sunt Domini. Econtrario vero, qui lenti sunt fide ac peccatores, penitus sunt servi, ignis eos urit, lapisque et gladius eos interficit; ac tandem dæmones dominabuntur in eos.

[1] 1 Cor. xv, 26.

Digitized by Google

INTERROGATIO.

X. *Utrum in resurrectione omnia membra resurgent?*

RESPONSIO.

Deo omnia facilia sunt, et sic promisit: humanæ vero imbecillitati et cogitationi velut impossibile hoc videtur. Quemadmodum enim Deus e pulvere et terra sumens, velut aliam quamdam naturam condidit, naturam nimirum corporis, terræ minus similem, et genera multa creavit, velut pilos, pellem, ossa et nervos: et quemadmodum projecta in ignem acus, alterato colore vertitur in ignem: quanquam natura quidem ferri non penitus tollitur, sed subsistit: ita in resurrectione omnia membra resurgent, « Nec perit ca» pillus[1], » ut scriptum est, omniaque lucida redduntur, atque omnia lumine et igni tincta mutantur quidem, sed non, ut nonnulli aiunt, resolvuntur, et in ignem evadunt, adeo ut non amplius subsistat eorum natura; Petrus enim Petrus est, et Paulus Paulus, et Philippus Philippus. Quilibet in sua ipsius natura et substantia permanet repletus Spiritu. Quod si dicas resolutam esse naturam, non amplius est Petrus aut Paulus, sed prorsus et ubique Deus: nec qui in gehennam abeunt, sentiunt supplicium, nec qui in regnum, beneficium.

XI. Veluti si sit hortus consitus variis arboribus fructiferis, ac sit illic pyrus, pomus et vitis habens fructum et folia: accidat autem hortum omnesque arbores ac folia mutari, et converti in aliam naturam, fierique priora illa lucida: sic quoque homines mutantur in resurrectione,

[1] Luc. xxi, 18, et Marc. ix, 49.

Digitized by Google

et fiunt membra eorum sancta et lucida. Quamobrem divini homines debent se præparare ad certamen et pugnam. Perinde autem, ut juvenis generosus illatas plagas ac luctam sustinet ac referit : sic quoque Christiani perferre debent afflictiones, tum externas, tum interiora bella, ut percussi per tolerantiam superiores evadant. Via enim christianæ religionis sic se habet. Ubi Spiritus sanctus, illic sequitur, velut umbra, persecutio et pugna. Vides Prophetas, quomodo persecutione afflicti fuerint ab omnibus contribulibus suis, in quibus nihilominus operabatur Spiritus. Vides quomodo Dominus, qui est via et veritas[1], non ab alio populo persecutionem passus est, sed a suis, a propria scilicet tribu Israël, persecutione affectus, ac cruci affixus est. Itidem et Apostoli. Ex eo enim tempore, quo cruci affixus est, transiit Spiritus Paracletus, et migravit in Christianos. Cæterum nullus Judæorum persecutionem pertulit, sed Christiani solum martyrio affecti sunt. Quare non est, quod Christiani in stuporem adducantur, verum oportet veritatem persecutionem pati.

INTERROGATIO.

XIII. *Quidam aiunt exterius vitium ingredi, etsi velit homo, non recipit, sed rejicit illud.*

RESPONSIO.

Quemadmodum serpens locutus cum Eva[1], cum obediret ipsa, introgressus est : sic quoque nunc ob obedientiam hominis ingreditur peccatum, quod extra est ; habet enim peccatum plenam potestatem et libertatem in cor ingrediendi. Neque enim cogitationes extra sunt, sed intus, ex

[1] Joan. XIV, 6. — Gen. III, 5, 6.

Digitized by Google

corde proficiscentes. Inquit enim Apostolus: « Volo viros » orare sine ira et cogitationibus pravis[1]. Cogitationes enim » de corde exeunt[2], » secundum Evangelium. Accede itaque ad orationem, et examina cor tuum et animum, atque desidera orationem tuam Deo committere puram, atque circumspice ibi potissimum, numquid non sit aliquod impedimentum; num oratio sit pura; num intentus sit animus tuus Domino, perinde ac animus agricolæ agriculturæ, animus viri uxori, et mercatoris negotiationi; num flectas genua tua ad orandum, nec tuas cogitationes alii distrahant.

XIV. At inquit « Dominum, postquam venit per crucem, condemnasse peccatum[3], » nec amplius intus hærere. Verum perinde ac si miles, qui deponat currum suum in domo alicujus, quando placuerit ei, facultatem habet ingrediendi et egrediendi domum illam: sic quoque peccatum habet potestatem disputationes serendi in corde. Scriptum enim est, « Introiit Satanas in cor Judæ[4]. » Si vero instes per adventum Christi condemnatum esse peccatum, nec post baptismum pabulum habere malum disputandi in corde; ignoras quod ab adventu Domini ad hunc usque diem quot modo baptizati sint, et aliquando tamen nihilominus mala cogitaverint? Aut nonne quidam eorum ad vanam gloriæ cupiditatem, ad stuprum, aut helluationem conversi sunt? Porro, an omnes, qui habitant in Ecclesia homines mundani, puro et inculpabili corde præditi sunt? aut nonne reperimus post baptismum multa perpetrari peccata, ac multos errare? Habet igitur pabulum et licentiam latro, etiam post baptismum, ingrediendi atque agendi pro lubitu. Scriptum enim est: « Diliges Dominum Deum » tuum ex toto corde tuo[5]. » Verum dicis: « Diligo, et habeo

[1] 1 Tim. II, 8. — [2] Matth. XV, 19. — [3] Rom. VIII, 3. — [4] Luc. XXII, 3 — [5] Deut. VI, 5.

Digitized by Google

Spiritum sanctum. » Habes-ne memoriam et amorem, ac flagrans desiderium directum erga Dominum? Es-ne noctu diuque illic devinctus? et siquidem hac dilectione præditus es, purus es. Sin ea minus sis præditus, ultra inquire, ubi se obtulerint negotia terrena, aut cogitationes turpes et pravæ, annon ad hæc declinaveris, an vero perpetuo ad amorem ac desiderium Dei trahatur anima tua? cogitationes enim mundanæ distrahunt mentem ad terrena et corruptibilia, nec permittunt diligere Deum, aut Domini memorem esse. At saepenumero accedit ad orandum idiota flexo poplite, ingrediturque mens ejus in requiem, et quandiu fodit ac ima rimatur, perrumpit objectum parietem malitiæ, ac transit in visionem et sapientiam, quo non pervenerunt potentes, aut sapientes, aut rhetores, ut comprehendant aut cognoscant subtilitatem mentis ejus: siquidem attentus est ad divina mysteria. Qui enim margaritas probare haud novit, ille nec eas æstimare novit, eo quod imperitus sit ejus rei. Quamobrem Christiani in terra, quæ præclara sunt execrantur, ac pro stercore reputant ea, collatione cum majestate, quæ operatur in illis, instituta.

INTERROGATIO.

XVI. *Utrum labi potest homo, qui donum gratiæ habet?*

RESPONSIO.

Si negligat, utique labitur. Inimici enim nunquam quiescunt, nec bellum ciere gravantur: quanto magis tu Deum quærere desistere non debes; non enim exiguum detrimentum manet te, si negligas, quamvis in ipso mysterio gratiæ videare probatus.

Digitized by Google

INTERROGATIO.

XVII. *Utrum permanet gratia post lapsum hominis?*

RESPONSIO.

Deus in votis habet hominem in vitam denuo reducere, atque adhortatur eum iterum ad luctum et resipiscentiam. Sin vero perseveret, ad luctum et pœnitentiam iterum hortatur hominem, ut resipiscat propter ea, quæ olim deliquit.

INTERROGATIO.

XVIII. *Utrum perfectis imminet afflictio aut bellum, aut penitus secure vivunt?*

RESPONSIO.

Hostis nemini bellum inferre desinit: Satanas vero immisericors est, et odit homines; quapropter etiam omnibus hominibus bellum inferre non pigrescit. Verum non iisdem modis videtur omnes adoriri. Præfecti enim ac comites tributa pendunt regi; verum hic confisus divitiis suis, auro atque argento, tanquam ex eo quod abundat, sua tributa colligit, damni ratione non habita. Quemadmodum enim, qui eleemosynam præbet, nullo modo jacturam reputat: sic quoque Satanas ista tanquam sibi superflua proponit. Cæterum est quidam pauper, destitutus cibo quotidiano. Hic affligitur et torquetur, nec potest opus illud adimplere. Est quoque, qui atteritur angustiis et torquetur, nec tamen moritur. Est quoque alius, qui

Digitized by Google

propter verbum unicum capitis supplicio affici jubetur, et perit. Sic quoque inter Christianos sunt, qui vehementer impugnantur ac vellicantur a peccato : atque insuper adhuc in bello et robur et prudentiam sibi conciliant, spretis adversariorum viribus : et expertes hac in parte sunt periculi, quia certi ac firmi sunt de salute sua, eo quod valde exercitati sunt in bello adversus vitia, et experientia edocti. Habentes itaque Deum apud sese, diriguntur ac requiescunt.

XIX. Alii vero nunquam exercitati, si in angustiam aliquam inciderint, aut moveatur bellum, continuo in perniciem aut interitum delabuntur ; perinde ac qui proficiscuntur in civitatem, amicos invisuri et familiares suos, quamvis multis in nundinis occurrant, non tamen ab iis impediuntur ; scopus enim illorum est, ut amicos conveniant. Et cum foris januam pulsaverint ac vocaverint, læti aperiunt amici illorum. Sin vero hæreant in foris et plateis, et illudantur aut retineantur ab iis, qui occurrunt, occluditur janua, et nemo illis aperit. Ita, qui ad Dominum nostrum Jesum Christum verum amicum vadere impelluntur, cætera omnia debent contemnere et despicere. Et quemadmodum qui palatium ingrediuntur regem visuri, sive sint comites, sive præsides, valde metuunt, quomodo sint responsuri, et ne in respondendo lapsi, in reprehensionem et supplicium incidant ; rustici vero ac plebeii homines, qui nunquam principem conspexere, nihil solliciti sunt : sic quoque mundus hic, qui sub cœlis est, a regibus ad pauperes usque se habet, cum gloriam Christi ignorent, curam gerunt rerum sæcularium : nec cito quis recordatur divini judicii. Qui vero cogitationibus ad tribunal Christi ascendunt, ubi est thronus ejus, et in ejus conspectu perpetuo sunt, semper metuunt ac tremunt, ne quovis pacto aberrent a sanctis ejus præceptis.

Digitized by Google

XX. Et quemadmodum divites in terra, sicubi multos fructus in horreo suo reposuerint, denuo majorem laborem singulis diebus sumunt, ut locupletiores sint, et non deficiant: si vero opibus in horreo reconditis freti, alias colligere negligant, ac, quæ reposita erant, consumant, continuo in paupertatem et inopiam incidunt. Propterea percipientes ac inferentes fructus debent operam navare, et acervos accumulare, ne paupertatis jugo premantur. Hoc modo inter Christianos contingit, ut quis degustet gratiam Dei. « Gustate enim, inquit, et videte quoniam suavis » est Dominus [1]. » Est autem gustatio hæc virtus Spiritus in plenitudine fidei operans, quæ in corde ministrat. Quotquot enim filii sunt lucis, et ministerii Novi Testamenti per Spiritum sanctum, hi ab hominibus nihil discunt: edocti enim a Deo sunt. Ipsa enim gratia inscribit in cordibus illorum leges Spiritus. Non igitur debent in Scripturis, atramento solum descriptis, plenam fiduciæ spem ponere; verumetiam in tabulis cordis gratia divina inscribit leges Spiritus, et cœlestia mysteria. Cor enim dirigit ac gubernat universa corporis organa. Ac si pascua cordis gratia obtinuerit, dominatur omnibus membris ac cogitationibus. Illic enim mens hæret, et omnes cogitationes animæ ejusque fiducia. Quapropter penetrat etiam gratia in universa corporis membra.

XXI. Sic e contrario quotquot sunt filii tenebrarum, eorum cordi imperat peccatum, ac penetrat omnia membra: « Ex corde enim exeunt cogitationes malæ [2]: » et ita diffusum tenebris offundit hominem. Qui vero asserunt vitium nequaquam cum homine foveri et crescere, illi neque de crastino solliciti sunt, neç concupiscentia ducuntur. Certo enim tempore cessavit illos molestia afficere vitium, quamdam concupiscentiam suggerendo, ut jureju-

[1] Psal. xxxiii, 9. — [2] Matth. xv, 19.

Digitized by Google

randa confirmare non vereatur homo, non ultra in se assurgere talem affectionem; at non ita multo post uritur concupiscentia, ut vel in eo perjurus deprehendatur. Perinde enim ut per fistulam transit aqua; sic quoque per cor et cogitationes peccatum. Quicumque vero hæc negant, a peccato ipso, triumphum acturo, arguuntur et illudantur. Conatur enim malitia latere et delitescere in mente hominis.

XXII. Si igitur quispiam Deum diligit, Deus quoque cum eo commiscet suam dilectionem. Et cum semel crediderit in eum, addit illi Deus cœlestem fidem, et ita evadit homo duplex. Ut igitur ex membris tuis Deo offeras, ille ipse ex propriis similia membrorum permiscet cum anima tua, ut omnia sincere ac pure peragere, diligere atque precari possis. Summæ enim dignitatis est homo. Vide quantum sit cœlum, terra, sol, et luna: nec tamen placuit in iis Domino, sed in solo homine requiescere. Præstantior ergo est homo omnibus creaturis, et forsan dicere non verebor, non tantum aspectabilibus creaturis, verumetiam invisibilibus, nempe ministratoriis spiritibus. Non enim de Michaële aut Gabriele archangelis, Deus dixit: « Faciamus ad imaginem et similitudinem nostram [1]. » Sed de substantia intellectiva hominis, immortali inquam anima. Scriptum enim est « Esse ordines Angelorum in » circuitu timentium eum [2]. » Creaturæ autem visibiles natura quadam immutabili præditæ sunt.

XXIII. Cœlum semel ordinatum est, sol, luna et terra, nec tamen acquievit in iis Dominus, neque aliter ac creata sunt, converti possunt, neque habent voluntatem. Tu vero propterea es ad imaginem et similitudinem Dei factus, quia quemadmodum Deus sui juris est, et quod vult facit: quando ei ita visum est, pro potestate et jure suo mittit

[1] Gen. i, 26. — [2] Psal. xxxiv, 8.

Digitized by Google

justos in gehennam, ac peccatores in regnum; (quamvis hoc minime velit, nec placeat ei; justus enim est Dominus:) sic quoque tu tui juris es, et si velis perfre, mutabilis naturæ. Si libeat blasphemias effundere, venena conficere, aut interficere aliquem, nemo tibi relactatur aut prohibet te. Si velit quis, morem gerit Deo, et ingreditur viam justitiæ, ac vincit concupiscentias. Mens enim hujusmodi, quæ resistit ac repugnat, potest superare obfirmata ratione impetus vitiorum et obscœnas concupiscentias.

XXIV. Si enim in domo ampla, in qua sunt vasa aurea, auro tecta, et argentea, varii generis vestimenta, aurum atque argentum, adolescentes et juvenculæ, quæ ibi versantur, cohibent animum suum (quamvis natura propter inhabitans peccatum omnia concupiscat;) et quia metuunt more hominum dominos, reprimunt impetus concupiscentiæ: quanto magis, ubi viget timor Dei, reluctari atque reniti mens debet inhærenti pravitati? Quæ enim possibilia tibi sunt, præcepit Deus. Animalium quidem ratione destitutorum natura vincta est, velut natura serpentis est amara ac venenum emittens: universi igitur serpentes sunt ejusmodi. Lupus rapax esse consuevit: omnes ergo lupi sunt ejusdem naturæ. Agnus, qui simplex est, obnoxius est rapinæ: omnes ergo agni sunt ejusdem naturæ. Columba simplex est ac sincera: omnes ergo columbæ sunt ejusdem naturæ. Homo vero non ita se habet. Quidam enim est lupus rapax, et quidam velut agnus rapinæ patet, et ex eodem genere humano utrumque oritur.

XXV. Est qui non contentus uxore sua, scortatur; est quidque alius, qui ne concupiscentiam quidem in corde suo excitari permittit. Est qui bona proximi diripit: est quoque alius, qui pietatis cultu motus, sua bona distribuit.

Digitized by Google

Vides quam mutabilis sit ipsa natura, tam ad vitia propendens, quam e diverso ad honestum; et secundum utramque proprietatem apta declinare ad quascumque libuerit actiones. Capax igitur est natura tum boni tum mali, sive divinæ gratiæ, sive adversariæ potestatis: necessitati tamen subjici nequit; quandoquidem ab initio Adam in puritate cum viveret, dominabatur cogitationibus suis; verum ex quo transgressus est mandatum, gravissimi morbi ejus incumbunt animo. Ac pravæ cogitationes permixtæ, omnino factæ sunt velut ejus propriæ, nec tamen ulla ipsius propria est, quia possidentur a vitiis.

XXVI. Debes igitur quærere lucernam, qua accensa reperias puras cogitationes. Illæ enim sunt naturales, quas fecit Dominus; quæ quidem enutritæ in mari didicerunt natare: nec, si quando assurrexerint tempestates ac fluctus, stupescunt. Sicque sunt Christiani velut mens pueri trimi, quæ non potest assequi aut comprehendere mentem perfecti sophistæ, quia interfluxit multum temporis. Sic quoque Christiani perinde ac infantes mundum despiciunt, intuentes gradum gratiæ. Hospites enim sunt hujus sæculi. Civitas autem illorum et requies est alia. Habent enim Christiani consolationem Spiritus, lacrymas, luctum et planctum: et ipsæ lacrymæ sunt illis vice deliciarum. Habent quoque metum cum gaudio et exultatione: sicque sunt velut homines gestantes in manibus sanguinem suum, non nimium sibi ipsis confidentes, aut existimantes se aliquid esse, sed sunt neglecti, contempti ac reprobati apud omnes homines.

XXVII. Quemadmodum si rex apud pauperem quemdam deponat suum thesaurum, is, qui accepit ad custodiendum, non reputat illum ut suum, sed ubique fatetur paupertatem suam, non audens dilapidare aliquid ex alieno thesauro: hoc semper in animo versans non esse solum

Digitized by Google

alienum thesaurum, sed etiam regem virum summæ potentiæ eum deposuisse apud se, ac, quando ei visum sit, a se reposcere. Eosdem debent se reputare, qui gratiam divinam consecuti sunt, demisse ac humiliter de se sentire, ac confiteri inopiam suam. Perinde enim ac si pauper, qui thesaurum a rege depositum accepit, alieno thesauro fretus velut suis opibus efferatur, ac cor ejus altos sumat ufert ab eo rex thesaurum suum, ac permanet ille qui depositi loco eum acceperat, qualis erat antea, pauper. Sic quoque, qui gratiam consecuti sunt, si extollantur, ac superbiam concipiant eorum corda, aufert ab illis Dominus gratiam suam, et remanent tales, quales erant, prius quam consecuti essent gratiam a Domino.

XXVIII. Verum multi, se vel inhabitante in se gratia, a peccato clam subripi non percipiunt. Quemadmodum si sit in domo aliqua quædam juvencula, similiter et adolescens; cæterum hæc verborum illecebris ab eo devicta, illi consentit, stuprum committit, ac quæ expellatur meretur: sic terribilis ille serpens peccati perpetuo adest animæ, eam alliciens ac provocans; quæ si astipuletur, communicat anima incorporea cum vitio spiritus incorporeo, hoc est, spiritus cum spiritu societatem init, et adulterium committit in corde suo is, qui societate inita recipit cogitationem nequissimi. Modus ergo certaminis tui hic est, ne adulterium committas in cogitationibus tuis, sed ut reluctéris, et internum bellum ac pugnam suscipias, nec morem geras, neve delecteris a nequitia in cogitationibus. Quam animi promptitudinem si Dominus in te deprehendat, in novissimo die recipiet te in regnum cœlorum.

XXIX. Sunt enim quædam, quæ ita moderatur Dominus, ne nullum testimonium gratiæ divinæ et vocationis suæ ediderit: sunt item et alia, quæ ita permittendo administrat Deus, ut probetur et exerceatur homo, ac pate-

Digitized by Google

fiat liberum voluntatis humanæ arbitrium. Afflictionibus enim ac tentationibus oppressi, si sustinuerint, non excidunt regno cœlorum. Christiani ergo in rebus asperis nullo nec dolore nec tristitia afficiuntur. Si inopia aut contumelia explorantur, non debent admiratione affici; potius paupertate delectari, ac pro divitiis habere, jejunium pro deliciis, ignominiam pro gloria. Ex adverso si inciderint in res in hac vita præclaras, quæ eos allectant ad quietem carnalem, ad divitias, ad gloriam, aut ad delicias, omnino non his delectari debent, sed velut ab igni aufugere.

XXX. Idem oculis subjiciamus; si gens aliqua exigua moveatur ad bellum regi inferendum, non valde sollicitus est ipse in eo conficiendo, sed mittit milites cum ducibus, qui bellum gerant. Si vero gens mota non sit exigui numeri, quæ nempe possit evertere regnum ejus, cogitur ipse rex cum domesticis et exercitu suo in bellum procedere, atque collectis copiis bellum profligare. Respice ergo dignitatem tuam, nempe, Deum exurrexisse cum suo exercitu[1]. Angelorum inquam et sanctorum spirituum, ut ea, quæ ad se spectat, legatione ipse perfunctus te redimeret a morte. Obfirma igitur te ipsum, ac cogita quanta providentia tui gratia facta sit! Cæterum utimur exemplo e vita humana petito tanquam in vita adhuc existentes. Perinde ac si rex incidat in quemdam pauperem, infirmitate affectum, nec erubescat salubribus medicamentis ejus curare vulnera; et eum in palatium suum illatum induat purpura ac diademate, atque participem faciat mensæ suæ: sic cœlestis rex Christus accedens ad hominem graviter affectum, sanavit eum atque socium fecit regiæ mensæ suæ; et hoc quidem nulla vi ejus voluntatem compellens, sed alliciens in tantam dignitatem eum constituit.

XXXI. Scriptum enim est in Evangelio « Dominum

[1] Psal. xxxiv, 8.

Digitized by Google

» dimisisse servos, ad vocandum eos, qui volunt venire, » denuntians illis: Prandium meum paratum est. Qui vero » vocati erant excusarunt se dicentes, alter quidem: Emi, » inquit, juga boum: alius, Uxorem duxi[1]. » Vides paratum fuisse qui vocavit, vocatos vero renuisse. Profecto hi sui ipsius rei facti sunt. Tanta est igitur dignitas Christianorum! Perpende Dominum præparasse illis regnum, et vocasse illos ad ingrediendum, ipsos vero noluisse. De munere ergo, quod Christiani hæreditario jure possessuri sunt, recte hoc quis dicere possit; si quisque, ex quo creatus est Adam, usque ad consummationem mundi, dimicaret contra Satanam, et sustineret afflictiones, nihil magni perageret respectu gloriæ, quam consecuturus est; regnabit enim in infinita sæcula una cum Christo. Gloria sit illi, qui tanto prosecutus est amore talem animam, ut se ipsum ac suam gratiam contulerit ac crediderit animæ. Gloria sit magnificentiæ ejus.

XXXII. Secundum ea, quæ oculis patent, ecce nos omnes fratres, qui sedemus, una sumus prædita imagine, atque una facie Adæ. Est-ne ergo etiam in secretis et intimis rebus una omnium voluntas? unum cor? omnes ergo unum erimus, boni et religiosi? an utique quidam ex nobis sunt, qui societatem inierunt cum Christo ejusque Angelis; reliqui vero cum Satana et dæmonibus utcumque omnes velut unus videamur sedere? unam quippe faciem Adæ gestamus. Vides-ne, quomodo aliud quippiam sit substantia intellectiva, interior videlicet homo, quam exterior? omnes enim tanquam unus esse videmur. Et hi quidem cum Christo et Angelis ejus sunt, illi vero cum Satana et immundis spiritibus. Cum ergo cor profunditatem infinitam habeat, ibi sunt triclinia, cubicula, fores, vestibula, ministeria multa et exitus: ibi est officina justi-

[1] Luc. XIV, 18, 19, 20, et Matth. XXII, 4.

Digitized by Google

tiæ atque injustitiæ : ibi mors, ibique vita : ibi bona negotiatio et contraria.

XXXIII. Quemadmodum si palatium sit amplum, ac deseratur illud, et omnis generis graveolentia repleatur, ac cadaveribus multis; sic quoque cor, quod palatium Christi est, abundat omnimoda impuritate et plurimis turbis pravorum spirituum. Oportet igitur id restaurari, et reædificari, ac præparari conclavia, et cubicula. Illuc enim rex Christus cum Angelis et Spiritibus sanctis venit, ut ibi requiescat, habitet et inambulet atque collocet regnum suum. Dico autem, perinde ac si navis multo apparatu instructa sit, in qua gubernator regat et moderetur omnes, hos quidem objurgans, illos vero dirigens: eodem modo se habet cor, pro gubernatore habens mentem, conscientiam arguentem, cogitationes accusantes ac defendentes : inquit enim : « Cogitationibus inter se invicem » accusantibus et defendentibus[1]. »

XXXIV. Vides conscientiam non approbare hujusmodi cogitationes, quæ peccato obtemperant, sed statim arguere. Non enim mentitur, quia quid dictura sit coram Deo in die judicii testificatur tanquam continue reprehendens. Perinde ac si sit currus, et frena, animalia, et omnis apparatus sub uno moderatore sunt : quando ergo ei placet, velocissimo cursu vehitur a curru ; quando vero ei placet, aliter retinet illum : denuo ubi placet eum convertere, ibi sequitur currus; totus igitur currus sub potestate dirigentis est : sic quoque cor habet multas cogitationes naturales, adhærentes sibi, mens autem et conscientia reprehendunt et dirigunt cor, atque sopiunt et sedant naturales cogitationes in corde scaturientes. Membra enim plura habet anima, licet una sit.

XXXV. Ex quo enim transgressus est Adam mandatum, accessit serpens, dominusque factus est domus, et velut

[1] Rom. II, 15.

Digitized by Google

altera anima cum anima. Ait enim Dominus : « Quicumque » non renuntiaverit sibi ipsi, et qui non oderit animam » suam, non est meus Discipulus[1]. » Et, « Qui diligit ani- » mam suam, perdet eam[2]. » Siquidem peccatum postquam invasit animam, membrum ejus factum est, ipsique corporeo homini adhæret, ac scaturiunt inde multæ atque impuræ cogitationes in corde. Quocirca, qui facit voluntatem animæ suæ, voluntatem cordis facit; quia cum illo connexa et permixta est anima. Quapropter, qui sub jugum animam suam mittit, et qui sibi innatisque cupiditatibus succenset, perinde se habet, ac qui civitatem hostium suorum subjugat : hicque dignus habetur assequi bonam mensuram Spiritus, atque induit virtute divina adjutus purum hominem, seque ipso præstantior evadit. Ejusmodi enim qui est, postea divinæ naturæ fit particeps, et evadit filius Dei, recipiens signaculum cœleste in anima sua. Electi enim ejus unguntur oleo sanctificante, in magna dignitate constituuntur, ac reges evadunt.

XXXVI. Est enim homo ejusmodi naturæ, ut et qui in profundum nequitiæ demersus est et peccato servit, converti ad bonum : et qui Spiritui sancto devinctus, et rebus cœlestibus inebriatus est, ad malum converti possit. Perinde ac si mulier pannis laceris obsita, esuriens et squalida; et quæ non absque multo labore regiam dignitatem consecuta, induitur purpura et corona, ac fit sponsa regis; in memoriam sibi revocet pristinas sordes, ac in animo habeat ad pristinum statum reverti; nec tamen in pristinam infamiam redire malit : hoc enim stolidum est. Ita quoque, qui « Gustarunt gratiam divinam, ac Spiritus » participes facti sunt[3], » nisi sibi caveant, deficiunt, ac deteriores evadunt, quam cum essent mundani : non, quod Deus sit mutabilis aut imbecillæ mentis, aut quod extin-

[1] Luc. XIV, 33. — [2] Joan. XII, 25. — [3] Hebr. VI, 4.

Digitized by Google

guatur Spiritus sanctus, verum quod ipsi homines non consentiant gratiæ, propterea avertuntur, et in infinita peccata incurrunt. Qui enim donum illud degustarunt, utrumque instar comitis habent, gaudium videlicet et consolationem, metum ac tremorem, exultationem et luctum. Deplorant enim se ipsos et universum Adam, quia una est hominum natura. Et lacrymæ his vice panis sunt, et luctus vice suavitatis et requiei.

XXXVII. Si vero quempiam videas fastu ac superbia elatum, veluti qui sit particeps gratiæ, hic licet signa faciat, ac mortuos exsuscitet, et non tamen habeat abjectam et humilem animam, nec pauper spiritu et abominandus sit, is surripitur a vitio, et quidem nescius : et licet signa faciat, non tamen ei credendum est. Signum enim christianismi hoc est, ut aliquis Deo sit probatus, utque studeat latere coram hominibus; et ut, si vel universos thesauros regis possideat, eos occultet ac semper dicat : « Thesaurus non est meus, sed alius eum apud me depo» suit : ego enim mendicus sum : et quando ei placuerit, » repetet eum a me. » Si vero quis dicat, « Dives sum, » sufficit, bona possideo, nihil amplius indigeo, » ejusmodi qui est, non est Christianus, sed vas imposturæ et diaboli. Delectatio enim Dei insatiabilis est, et quanto magis quis gustarit et ederit, tanto magis esuriet. Et qui ejusmodi sunt, ardorem atque amorem erga Dominum habent, qui coërceri nequit, et quanto majorem adhibuerint operam proficiendi ac crescendi, tanto se pauperiores reputant, tanquam egeni ac nihil possidentes. Hoc enim dicunt : « Non sum dignus, ut sol radiis suis me illuminet. » Hoc est signum christianismi, ipsa scilicet humilitas.

XXXVIII. At si quispiam dicat : « Contentus sum et plenus, » seductor ille est, et mendax. Quemadmodum enim glorificatum est corpus Domini, cum conscendisset

Digitized by Google

montem, et in divinam gloriam, et in infinitum lumen esset transfiguratum : sic et corpora sanctorum glorificantur, et fulgoris instar lucent. Quemadmodum enim gloria Christi interior sic contexit corpus, et explenduit; eodem modo et in sanctis interior Christi virtus in die illa exterius in corpora illorum effunditur. Etenim substantiæ et naturæ ejus ex hoc tempore participes sunt in animo suo. Scriptum est enim : « Qui sanctificat, et sanctificatur, ex » uno sunt[1]. Et, Gloriam, quam dedisti mihi, dedi illis[2]. » Quemadmodum ab uno eodemque igne plures lucernæ accenduntur; sic necesse quoque est, ut corpora sanctorum, quæ sunt Christi membra, idem evadant, quod ipse Christus est.

INTERROGATIO.

XXXIX. *Quo pacto evadunt Christiani ipso primo Adam superiores? Ille siquidem immortalis erat, et non anima modo, verumetiam corpore incorruptibilis : hi vero moriuntur et corrumpuntur.*

RESPONSIO.

Vera mors intus in corde hæret ac latet, atque homo interior mortuus est. Si quis ergo transierit a morte in vitam occultam, ille revera in sæcula vivit, nec moritur. Licet enim corpora horum solvantur ad tempus, denuo tamen suscitantur in gloria; sunt enim sanctificata. Somnum ergo ac dormitionem esse dicimus Christianorum mortem. Quod si homo immortalis esset, et corpore incorruptibili, universus mundus rem insolentem perspiciens, quod scilicet corpora Christianorum non corrumpantur, neces-

[1] Hebr. II, 11. — [2] Joan. XVII, 22.

Digitized by Google

sitate quadam, at non spontanea voluntate, ad id quod bonum est, properaret.

XL. Verum ut penitus appareat, et rata sit libera arbitrii voluntas, quam ab initio Deus concessit homini, ejus res summa cum dispensatione administrantur, fitque solutio corporum; ut in voluntate hominis sit, converti eum ad id quod bonum, aut quod malum est. Neque enim perfectus homo ad bonum; aut in peccato demersus, et se ipsum constituens vas diaboli, a quo totus mundus condemnatus est, ad id, quod malum est, necessitate quadam est devinctus; sed habet liberum arbitrium, ut fiat vas electionis et vitæ. Similiter e converso, qui Divinitate sunt inebriati, licet pleni sint ac devincti Spiritu sancto, non tamen necessitate ulla tenentur, sed liberum habent arbitrium, ut convertantur et faciant quidquid placuerit, in hoc sæculo.

INTERROGATIO.

XLI. *Paulatim-ne extenuatur et eradicatur, quod malum est, atque ita proficit homo gratia; an statim, ubi progressum fecerit, extirpatur quod malum est?*

RESPONSIO.

Quemadmodum infans imperfectus in utero non confestim in hominem concrescit; sed paulatim formam recipit et gignitur; neque continuo perfectus homo est, sed multorum demum annorum decursu incrementum sumit, atque in virum evadit, estque velut semina hordei aut tritici, quæ in terram conjecta non statim radices agunt; verum ubi præterierint hyemes et venti, tum demum commodo tempore spicæ enascuntur: item, qui pyrum plan-

Digitized by Google

tat, non statim percepit fructum. Eodem modo in spiritualibus quoque, ubi tanta sapientia et subtilitas est, paulatim homo progreditur, « Evaditque in virum perfectum, et plenitudinem ætatis[1], » non, ut quidem aiunt, « Induere et exuere. »

XLII. Qui litteras discere in votis habet, pergit primum ad ediscenda signa : ubi si primus fuerit, pergit ad scholam Latinorum, estque omnium ultimus. Rursum illic ubi fuerit primus, pergit ad scholam forensem, estque in ea rursum omnium ultimus et tiro. Deinde ubi fuerit scholasticus, omnium causidicorum est novitius et ultimus. Denuo ubi illic evaserit primus, tum dux evadit; qui si principatum adeptus fuerit, adjutorem sibi sumit assessorem. Si ergo in rebus externis tot habet homo progressuum gradus : quanto magis cœlestia mysteria habent profectus, et per multos gradus incrementum sumunt; et tum, qui per multas exercitationes, et per multa pericula transcenderit, perfectus evadit. Christiani enim, qui revera gustum gratiæ perceperunt, et signum crucis in mente et corde habent, hi a regibus ad pauperes usque, pro stercore et fœtore reputant omnia : et hi possunt intelligere universum mundum terrenum, thesaurosque regis, opes, gloriam ac sapientiæ eloquia, externam modo speciem de se præbere, nec habere solidum fundamentum, sed præterire ac evanescere. Et quidquid sub cœlo est, ab eis facile contemnitur.

XLIII. Qui hoc ? Eo quod peregrina et admiranda sint, quæ supra cœlos sunt, ac neque in thesauris regum, neque in sapientia verborum, neque in gloria mundana reperiantur; ac quia dignitates, aut divitiæ, quas illi possident, qui Dominum et creatorem omnium in interiori homine habent, sint possessio nunquam interitura, sed

[1] Ephes. VI, 13.

Digitized by Google

permanens. Christiani enim noverunt animam longe præstantiorem esse cæteris omnibus creaturis ; solus siquidem homo secundum imaginem et similitudinem Dei factus est. Ecce cœlum quam immensum sit! item et terra! quam creaturæ in illis viventes pretiosæ! quamque magna corpora eorum! Homo nihilominus hisce corporibus omnibus multo præstantior est; quandoquidem in illo solo complacitum est Domino. Præterea cete quoque maris, montes et belluæ secundum conspectum externum magnitudine sua excedunt hominem. Respice ergo dignitatem tuam, quam sis pretiosus! quod te superiorem Angelis fecerit Deus, quando vel ipse legatione ad te et redemptione tui perfuncturus, in terris se præsentem exhibuit.

XLIV. Quando enim Angeli ad te salvandum venerunt? Rex siquidem filius regis consilium iniit cum patre suo, missumque est Verbum, ac carnem induit; atque occultans suam ipsius Divinitatem, ut per simile servaretur, animam suam cruci imposuit. Tanta erat Dei dilectio erga hominem! Immortalis qui erat, elegit tui causa cruci affigi! Perpende ergo, « Quam ardenter Deus dilexerit mundum, ut unigenitum filium suum daret pro eo, qui fieri potest, ut non et cum eodem omnia nobis donet[1]? » Et rursum alibi dicit : « Amen dico vobis, sua per omnia bona constituet eum[2]. » Ostendit quoque alibi Angelos ministros esse sanctorum. Cum enim Elias esset in monte, et adversus eum insurgerent alienigenæ, puer ejus aiebat : « Multi veniunt adversus nos, et nos soli sumus : » tunc respondet Elias : « Non vides ordines et multitudines Angelorum nobiscum, in circuitu nobis opitulantium[3] ? » Vides Dominum et multitudinem Angelorum adesse servis suis? Quanta igitur est anima, et quantis

[1] Joan. III, 16, et Rom. VIII, 32. — [2] Matth. XXIV, 27. — [3] 2 Reg. VI, 32.

Digitized by Google

honoribus a Deo affecta! Siquidem et Deus et Angeli hanc accersunt in consortium et regnum suum. Satanas vero et potestates ejus eam desiderant ad suam partem traducere.

XLV. Quemadmodum vero in rebus visui subjectis, rex nulla ministeria recipit ab hominibus greges pascentibus, sed a speciosis et optime institutis; sic et in cœlesti palatio illi ministrant cœlesti Regi, qui omni culpa et reprehensione vacantes ac puri cordis sunt. Et quemadmodum in palatio venustæ quæque puellæ, omnis labis ac reprehensionis expertes, speciosissimæ scilicet, regiæ societatis participes fiunt: sic quoque in spirituali palatio, animæ, quæ omni virtutum bonarum genere sunt exornatæ, societatem ineunt cum cœlesti rege. In rebus, quæ visui patent, si ad domum quamdam inhabitandam princeps abeat, quæ sordibus quibusdam contractis impura sit; præparatur illa, ac vario ornatus genere instruitur, effusis quoque aromatibus: quanto majori domus animæ, in qua Dominus requiescit, ornatu indiget, ut illam ingredi possit, et ibi requiescere is, qui reprehensione nulla, nec macula, nec labe seu nævo notari potest? In hujusmodi enim corde tum Deus, tum universa cœlestis Ecclesia requiescit.

XLVI. Præterea in rebus, quæ aciei oculorum patent, si pater quispiam possideat bona, et inter hæc diademata habeat ac lapides pretiosos, hæc in conditoria reponit, et reservat filio suo, cui ea largiturus est: sic quoque Deus possessionem sui, cum rebus suis pretiosis, concredidit animæ. Tandem in rebus visibilibus, si exoriatur bellum, et venerit rex cum exercitu suo ad decertandum, sintque partes ejus minores, aut imbecilliores, continuo legatos mittit, ad rogandum ea, quæ faciunt ad pacem. Si vero gens maxima cum æquali conflictum ineat, sitque rex cum

Digitized by Google

rego, rex inquam Persarum cum rege Romanorum, oportet omnino hos reges ad bellum commoveri cum omni exercitu ac milite suo. Perpende ergo quanta tua sit dignitas, cum Deus motus sit cum omni suo exercitu, Angelorum inquam aut spirituum, ad committendum pugnam cum adversario, ut te redimeret a morte! Deus igitur venit tui causa.

XLVII. Perinde ac si sit rex, qui in pauperem quemdam, cujus membra omnia lepra pervasit, incidat, nec erubescat medicamenta ejus vulneribus admovere, ac adeo curet ejus plagas; illumque postea regia mensa exceptum, purpura induat, ac regem faciat: sic quoque Deus se exhibuit humano generi; abluit illius vulnera, et sanavit illud, atque introduxit in cœlestem thalamum. Maxima igitur est Christianorum dignitas, tanta quidem, ut, quod cum ea comparetur, non sit. Si vero ad defectionem excitetur et subripiatur a malitia, perinde est, ac si sit civitas, quæ muris cincta non est, quam invadunt latrones, quacumque parte volunt, nulla omnino re impediti, eamque desertam reddunt, ac incendio, flammisque tradunt: sic dum negligis te ipsum, et frigide tibi ipse attendis, subeunt te spiritus malitiæ, atque deformant atque desertam reddunt mentem tuam, dispergentes cogitationes tuas in hoc sæculum.

XLVIII. Multi enim, qui circa externarum rerum inquisitionem satagunt, et scientiam excolunt, ac curam recte vivendi habent, hunc reputant perfectum, non inspicientes in cor, nec videntes malitiam animam involventem. Siquidem mens interior, malitia scatens, radices mittit in reliqua membra: et latro, hoc est, adversaria potestas domum ingressa est. Contraria igitur potestas etiam intellectualis est. Et nisi quis bellum ineat adversus peccatum, paulatim malitia intus latens, effusa præ nimia copia ab-

Digitized by Google

ducit hominem ad manifesta peccata committenda. Malitia enim velut fontis scaturigo est undiquaque scaturiens. Tu igitur cura diligenter, ut cohibeas rivos malitiæ, ne infinitis malis obrutus velut attonitus evadas. Quemadmodum, si quispiam sit nobilis, qui cura omni abjecta, in affluentia rerum vivat; quem ministri principis et apparitores abreptum, ad eum protrahant, dicentes : « Accusatus es ob crimen aliquod, ac capitali supplicio subjaces. » Cæterum ille præ metu ex fama contracto, perdit omnes cogitationes suas, ac velut attonito stupore pavet.

XLIX. Eamdem igitur sententiam quoque concipias de spiritibus malitiæ. Mundus enim conspicuus a regibus ad infimos in tumultu, perturbatione ac pugna constitutus est, nec ullus illorum causam novit; nimirum apertum malum, quod subiit propter inobedientiam Adæ, et stimulus est mortis. Peccatum enim quod subiit, cum sit potentia quædam et substantia rationalis Satanæ (3), insevit omnia mala. Siquidem occulte et latenter in interiori homine ac mente operatur, atque cogitationibus repugnat. Nesciunt tamen homines, quod aliena quadam vi impulsi hæc agant, sed putant hæc esse naturalia, et propria quædam animi deliberatione se hæc agere. Qui vero Christi pacem habent in animo ipso, et ab eo sunt illuminati, illi norunt, undo hæc oriantur.

L. Sustinet enim mundus affectiones vitiosas, et id nescit: quæ quidem sunt ignis impurus, qui accendit cor, et pervadit omnia membra, atque incitat homines ad libidines et infinita mala. Quicumque igitur titillantur, et voluptate afficiuntur, intus in corde fornicationem committunt, atque sic paulatim, dum fovetur malum, incidunt in manifestum stuprum. Idem sentias quoque de avaritia, vana gloria, fastu, æmulatione et ira. Perinde ac si quis ad prandium fuerit vocatus, cui apponantur varia ciborum genera;

Digitized by Google

tum vero peccatum suggerit, ut omnia degustet: sic quoque anima delectatione capta oneratur. Montes enim difficillimi sunt affectiones illæ, quorum in medio decurrunt flumina draconum, venenosarum ferarum ac reptilium. Perinde vero ac si balæna hominem devoret in ventrem; sic quoque peccatum absorbet animas. Flammæ sunt ignis ardentes illæ affectiones, et tela mali ignita. Inquit enim Apostolus: « Ut possitis vos omnia tela Mali ignita extin» guere[1]. » Fovetur enim vitium, ac fundamentum ponit in anima.

LI. Prudentes autem insurgentibus affectionibus non obtemperant, sed iram concipiunt adversus pravas cupiditates, atque hostes sui evadunt. Satanas enim valde cupit in anima requiescere, ac cubile suum constituere; et affligitur ac torquetur, quando non obtemperat anima. Non tamen desunt, qui divina virtute continentur, quia, cum videant cum muliere adolescentem, licet quædam cogitent, illorum tamen animus non polluitur, neque intus peccatum committit. Verum nondum huic est fidendum. Sunt vero alii, in quibus libido prorsus extincta atque arefacta cessat: verum hi gradus sunt summorum. Quemadmodum autem mercatores nudi in profundum maris, ac mortem aquæ descendunt, ut illic accipiant margaritas ad coronam regiam, et purpuram commodas: sic quoque, qui solitariam vitam agunt, nudi exeunt mundo, et in profundum maris malitiæ, atque in abyssum tenebrarum descendunt, e qua sumunt ac reportant pretiosos lapides, aptos ad coronam Christi, ad Ecclesiam cœlestem, ad sæculum novum, ad civitatem splendidam, et populum angelicum.

LII. Perinde vero ac in sagenam multa genera pisciuin incidunt, et minus utiles denuo statim in mare projiciuntur: sic quoque sagena gratiæ super omnes expansa

[1] Ephes. v, 16.

Digitized by Google

est, ac quærit requiem. Verum non obtemperant homines: propterea denuo in eamdem profunditatem tenebrarum conjiciuntur. Veluti enim aurum a copiosa arena dilutum invenitur, suntque grana exigua instar milii: sic quoque ex multis pauci probabuntur. Qui enim regni opus habent, manifesti sunt, et qui verbum ejus exornant, conspicui sunt. Eadem ratione manifesti sunt, qui sale cœlesti sunt conditi, et qui ex thesauris Spiritus loquuntur. Apparent vasa, in quibus complacitum est Deo, quibusque suam largitur gratiam. Sunt quoque alii, qui multa cum patientia accipiunt virtutem sanctificatricem, prout Dominus vult ratione multiplici. Qui ergo loquitur, nisi dirigatur a cœlesti lumine ac sapientia, uniuscujusque mentem in plena fide constituere nequit; quia varia sunt hominum vitæ instituta; quidam enim bello, alii vero quietà magis delectantur vita.

LIII. Perinde ac, qui civitatem solo exæquatam ædibus reficere velit, continuo ruinam ac lapsum minantia omnino dejicit ac destruit, sicque incipit fodere, et in loco defosso fundamenta jacere, ac ædificium superstruere: nec dum vero est domus. Itidem, qui hortum constructurus est in locis desertis ac graveolentia fœtidis, primum incipit purgare, ac sepimentum circumponere, et præparare aquæ ductus, et sic tandem plantat, et plantæ incrementum sumunt, ut hoc modo longo post tempore hortus proferat fructus: sic quoque intentiones hominum post transgressionem desertæ, devastatæ, atque spinosæ sunt. Dixit enim homini Deus: « Spinas ac tribulos tibi terra producet[1]. » Opus igitur est labore ac sudore multo, ut quis conquirat ac jaciat fundamentum, donec veniat in corda hominum ignis, qui comburat ac depurget spinas: et sic incipiant

[1] Gen. III, 18.

homines sanctificari, glorificantes Patrem et Filium et Spiritum sanctum in sæcula. Amen.

HOMILIA XVI.

Spirituales homines obnoxios esse tentationibus atque afflictionibus, ex primo peccato scaturientibus.

I. Omnes intellectu præditæ substantiæ, Angelorum inquam, animarum ac dæmonum, sinceræ ac simplicissimæ a Conditore creatæ sunt. Quod vero nonnullæ ex iis ad malitiam dilapsæ sunt, ortum est id a libero arbitrio. Propria enim voluntate deflexerunt a recta ratione. Si vero asseramus tales a Deo conditore creatas esse, injustum judicem esse Deum statuimus, qui Satanam in ignem conjiciat. Non desunt enim quidam hæretici, qui dicant materiam initio carere, et materiam esse radicem, et radicem esse virtutem, et quidem potestate Deo parem. Cui commode ac scite objicere possis, quænam ergo demum est virtus palmam reportans? Oportet autem dubio procul potestatem Dei esse; quapropter tempore aut potestate par esse non potest, qui victus succumbit. Qui vero affirmant malum subsistentiam in aliquo habere, omnium rerum rudes sunt: in Deo enim nullum malum subsistit, cum ipse passionibus non sit obnoxius, et Deitatem possideat: in nobis autem operatur cum omni potestate et sensu, obscœnas omnis generis cupiditates suggerens; non tamen eo modo, quo vinum aqua dilui tradunt, permixtum est: verum perinde ac est in una eademque regione seorsim

Digitized by Google

situm frumentum, et seorsim lolia : perinde ac est in domo seorsim latro, et seorsim dominus domus.

II. Sit fons, qui puram aquam emittat, ac subjectum habeat cœnum : cum ergo aliquis cœnum turbaverit, totus fons inquinatur : sic quoque anima, si fuerit perturbata, inquinatur et permiscetur malitiæ ; sitque Satanas consensu unum cum anima, utrumque quidem spiritus, ad stuprum, aut cædem committendum. Quocirca, « Qui adhæret » meretrici, unum corpus est [1]. » Verum alia hora seorsim anima subsistit, atque pœnitentia eorum, quæ commisit ducta, luget et precatur, atque Dei recordatur. Si enim anima semper demersa esset in malitiam, quo pacto posset hæc facere ? cum Satanas nunquam velit, ut ad pœnitentiam revertantur homines ; immisericors siquidem est. Itidem mulier, quando cum viro fœdus connubii init, est unum cum illo, alia vero hora disjuncti sunt : cum sæpius unus ex iis vita defungatur, alter vero superstes maneat. Non aliter se res habet in societate Spiritus sancti, in unum spiritum evadunt. « Qui enim Domino adhæret, unus Spi» ritus est [2]. » Quod fit, cum homo absorbetur a gratia.

III. Sunt nonnulli, qui licet gustum Divinitatis perceperint, adhuc tamen ab adversario agitantur et vexantur, adeo ut obstupescant, velut adhuc ignari, quod post visitationem divinam cogitationes vim suam exerant ad mysteria christianæ religionis. Qui vero in iis consenuere, nulla admiratione ducuntur. Ac perinde ut agricolæ periti, ex longa consuetudine, si feracior ac uberior fuerit anni tempestas, non plane absque cura vivunt, sed expectant famem et angustiam ; nec e diverso, si fames aut angustia eos opprimat, spem omnem deponunt, cum vicissitudinem optime cognitam habeant : eodem modo se res habet in spiritualibus ; ubi enim variis tentationibus oppressa fuerit

[1] 1 Cor. VI, 17. — [2] Ibid.

Digitized by Google

anima, non obstupescit, neque spem abjicit; quia novit se ex permissione expositam esse probationibus, ac castigari malitia : nec vicissim quando rerum omnium copia et requie affluit, cura vacat, sed expectat vicissitudinem. Atque sol, cum sit corpus et opificium, illuminans quoque loca fœtida, cœno, ac sordibus plena, nihil lædítur aut infuscatur : quanto magis purus et sanctus Spiritus, conjunctus animæ, quæ adhuc a malo affligitur, nihil inde contrahit vitii ? « Etenim lux in tenebris lucet, et tene» bræ eam non comprehenderunt [1]. »

IV. Quamvis igitur homo in profunditate sit, ac ditescat gratia, nihilominus adest ei olus ad fovendam malitiam. Habet vero protectorem sibi opitulantem. Quare si quis afflictionibus aut affectionum fluctibus obrutus fuerit, spem non abjicere debet. Magis enim hoc modo peccatum accumulatur et subintrat. Si quis vero perpetuo spem suam in Deo collocarit, attenuatur quodam modo, et exsiccatur malum. Quod igitur quidam ex paralysi, ex partium quarumdam mutilatione, ex febri, et ex morbis laborent, hoc totum a peccato proficiscitur. Hoc siquidem radix est omnium malorum : et affectiones concupiscentiarum animæ, et pravarum cogitationum, ex eo scaturiunt. Perinde ac si fons decurrat, cui loca proxime subjecta sint uliginosa et humida : calore vero ingruente, tam fons, quam loca proxima, exsiccantur : sic quoque servis Dei accidit, in quibus abundat gratia ; exsiccat enim non solum concupiscentias a Satana, verumetiam a natura, suggestas : eo quod nunc viri Dei præstantiores sint primo Ada.

V. Deus incircumscriptus est et incomprehensus, ubique apparens, et in montibus, et in mari, et subter abyssum ; et id quidem non ratione transitus, sicut Angeli descen-

[1] Joan. I, 15.

Digitized by Google

dunt e cœlo in terram. Est enim in cœlo, est quoque hic. Verum objicies mihi, quo pacto potest Deus esse in gehenna, aut quo pacto potest in tenebris esse, aut in Satana, aut in locis gravcolentia fœtidis? Respondeo tibi, pati ipsum non posse, atque omnia continere: incircumscriptus enim est; Satanas vero, qui est ejus creatura, ligatur. Bonum autem ipsum nec sordibus inquinatur, nec tenebris offunditur. Quod si neges eum omnia continere, et gehennam, et Satanam, ipsum facis circumscriptum, quoad eum locum, in quo habitat ille nequam, ut inde inquiramus alium eo superiorem. Necesse est enim Deum ipsum ubique superiorem esse. Verum propter mysteria Divinitatis et subtilitatem ejus, tenebræ, quæ ab eo capiuntur, eum non comprehendunt: nec quod malum est, particeps esse potest puritatis, quæ est apud Deum. In Deo ergo nihil mali subsistit, quia re omnino nulla lædi potest.

VI. In nobis vero hæret malum, eo quod habitet in corde, et vires suas ibidem exerat, suggerens cogitationes pravas et obscœnas, nec permittens preces effundere puras, sed captivam ducens mentem in hoc sæculum. Indult igitur animas, atque attigit quoque ossea membra. Quemadmodum igitur Satanas est in aëre, et Deus, qui præsto ibi est, nihil læditur omnino: sic peccatum est in anima, similiter quoque gratia divina, nec tamen lædítur. Perinde ac si sit servus juxta dominum suum, qui cum perpetuo, dum ab ejus latere est, sit sub metu, nihil absque ejus jussu suscipit: sic quoque nos Domino Christo cordium exploratori cogitationes nostras exponere atque aperire, ac spem et fiduciam in eo collocatam habere debemus, dicentes: « Ipse est gloria mea, ipse est pater meus, ipse divitiæ meæ. » Perpetuam igitur in conscientia habere debes sollicitudinem ac metum. Quod si quis gratiam divinam plantatam et infixam in sese non habeat, noctu diuque cu-

Digitized by Google

ret, ut, tanquam naturale sit, adhæreat animæ id, quod ad horam ipsum ducit, excitat, atque dirigit ad ea, quæ bona sunt, ut saltem curam habeat, metum ac laborem, tanquam naturalem et immutabilem contritionem cordis perpetuo infixam.

VII. Quemadmodum autem apis secreto favum fingit ac construit in alveo; sic quoque gratia secreto exercet in cordibus dilectionem suam, et quod amarum est mutat in dulce, quod autem asperum, in id quod leve est. Sicut autem faber argentarius et sculptor, quando discum sculpit, aliquatenus operit varia illa, quæ sculpit animalia: ubi vero opus fecerit, tunc profert illum in luce splendentem: sic quoque Dominus verus ille artifex, sculpit corda nostra, ac occulte rehovat, donec e corpore discedant, atque tum conspicua fit animæ pulchritudo. Qui enim supellectilem parare in eaque animalcula exprimere volunt, primum ceram effigiant, atque tum ad imaginem illam fundunt, ut opus secundum effigiem illam absolutum reddatur: non aliter peccatum, cum sit spiritus, imaginem habet, ac in varias formas convertitur. Similiter interior quoque homo animalculum quoddam est, imagine et forma præditum: siquidem similitudo est exterioris hominis interior. Præclarum ergo ac pretiosum vas est, quia præ omnibus creaturis in eo Domino complacitum est. Et bonæ quidem cogitationes assimilantur lapidibus pretiosis et margaritis; impuræ vero cogitationes plenæ sunt ossium mortuorum, et omnis spurcitiei ac fœtoris.

VIII. Christiani ergo alterius sunt sæculi, filii Adæ cœlestis, germen novum, filii Spiritus sancti, illustres fratres Christi, similes patris sui, Adæ spiritualis, et illustris illius civitatis, illius generis ac illius virtutis; nequaquam sunt hjus mundi, sed alterius mundi sunt. Ipse enim ait: «Non estis de hoc mundo, quoniam nec ego sum de hoc

Digitized by Google

» mundo[1]. » Verum perinde ac mercator ex longa peregrinatione reversus, auctaque sua negotiatione ad suos mittit, ut construant sibi domos et hortos, ac vestimenta conficiant necessaria : et cum pervenerit ad sua, tum magnas divitias affert; magna vero excipiunt eum lætitia, tum domestici, tum cognati. Sic quoque se res habet in spiritualibus rebus, si quidam mercati fuerint cœlestes divitias, norunt id eorum cives, hoc est, spiritus sanctorum et Angelorum, et admiratione ducti, dicunt : « Immensas divitias consecuti sunt fratres nostri, qui in terris sunt. » Hi ergo cum secum habeant Dominum, cum discedunt, magna cum lætitia veniunt ad cœlestes incolas; quos excipiunt, qui sunt a latere Domini, ac qui illic eis domos et hortos et splendida atque sumptuosa vestimenta præparant, excipiunt.

IX. Sobrietate igitur in omnibus opus est, ne, quæ videmur possidere bona, in perniciem nostram vertantur. Nam qui natura sunt benigni, ni sibi caveant, parum abest quin ab ipsa bonitate subtrahantur, et qui sapientia pollent, quin ab ea ipsa surripiantur. Oportet ergo in omnibus partibus temperatum esse hominem, nempe humanitatem cum severitate permixtam habere, sapientiam cum judicio, sermonem cum opere, atque omnino fiduciam suam in Domino, non se ipso collocare. Virtus enim conditur variis modis, tanquam cibus quidam necessarius conditu aut alio quodam, et hoc non tantum melle, sed etiam pipere, et ita reperitur utilis.

X. Qui asserunt non esse peccatum in homine, perinde sunt, ac qui inundatione ingentium aquarum demersi, hoc ipsum fateri verentur, sed aiunt : « Sonum aquarum audivimus. » Sic quoque profundis malitiæ fluctibus demersi, negant in mente ac cogitationibus suis peccatum

[1] Joan. XVII, 16.

Digitized by Google

hærere. Alii sunt igitur, qui sermone quidem valent, et loquuntur, non tamen sale cœlesti conditi sunt; narrantque multa de mensa regia; cum tamen nihil comederint, nec quidquam adepti sint. Alius vero est, qui conspecto rege, apertisque sibi thesauris, ingreditur, ac hæreditatem cernit, edens et bibens de cibis illis pretiosissimis.

XI. Perinde vero ac matrem, habentem unicum filium, formosissimum, sapientem, omnique bonorum genere exornatum, in quo omnem spem sitam habet, si eum contingat ab illa terris mandari, nihil nisi dolor assiduus, et luctus consolationem non admittens occupat; sic quoque mens, quasi a Deo mortua sit anima, lugere debet, ac lacrymas effundere, continuoque mœrore affici, contritum habere cor, cum metu et sollicitudine vitam agere, et continua fame ac siti ipsius boni laborare. Talem postmodum amplectitur gratia Dei et spes, nec ultra est in luctu, sed gaudio perfunditur, perinde ac ille, qui thesaurum reperit, ac rursus intremiscit, ne quo pacto eum perdat. Insurgunt enim latrones. Perinde vero ac qui in multas latronum rapinas et pericula illapsus, non absque magno labore evadit, ac postea, ingentibus opibus ac facultatibus inventis, non amplius damnum illud propter affluentiam divitiarum metuit: sic quoque spirituales homines, qui prius per multas tentationes et formidabilia loca transierunt: deinde gratia impleti, bonisque cumulati sunt, non amplius illos formidant, qui deprædari eos volebant, quoniam haud exiguæ sunt ipsorum opes; non tamen prorsus metu ac timore omni carent, metu, inquam, non qualis est, qui extimescunt malos spiritus; sed hoc metu ac sollicitudine urgentur, quomodo rite administrent concredita sibi spiritualia dona.

XII. Verum qui ejusmodi est, reputat se abjectiorem omnibus peccatoribus, talemque cogitationem, velut na-

Digitized by Google

turalem, sibi insitam habet; et quanto magis in notitia Dei proficit, tanto simpliciorem se existimat idiotam : et quanto magis didicerit, eo rudiorem se reputat. Hæc autem gratia directrix, velut innata animæ, peragit. Quemadmodum si sit infans, qui a juvene gestetur, is qui eum portat, circumfert eumdem quocumque libuerit : sic quoque gratia, in profundo vires suas exerens, gestat animum, eumque defert ad cœlos, ad mundum perfectum, ad æternam requiem. Verum in ipsa gratia sunt gradus et dignitates. Alius enim est præfectus militum, qui liberam habet adeundi regis potestatem : alius vero est dux. Perinde vero ut domus fumo repleta, cum effundit in aërem externum; sic etiam in anima redundans malitia effunditur foras, ac fructus producit. Et sicut ii, quibus gerendæ præfecturæ, aut custodiendi thesauri regii, cura commissa est, nunquam curis vacant, ne quo pacto regem offendant: sic quoque quorum fidei opus aliquod spirituale commissum est, continua sollicitudine tenentur; et ita quiete fruuntur, perinde ac si ea carerent. Regnum enim tenebrarum subintrans civitatem, hoc est, animam, et barbari occupantes ejus pascua, ex illa expelluntur.

XIII. Mittit enim rex Christus, qui vindictam de civitate illa sumant, et tyrannos in vincula conjicit, ac exercitum cœlestem, et ordines Spirituum sanctorum illic collocat, tanquam in patria propria. Tum vero sol in corde splendet, et radii ejus penetrant omnia membra, atque ibi summa pax imperium tenet. Verum certamen ac pugna hominis, probatio, et erga Deum benevolentia tunc appareat, quando gratia se subducente, virum se præstat, et clamat ad Dominum. Cum vero audis fluvios esse draconum, ora leonum, et potestates sub cœlo caliginosas, ignem urentem, strepitantem in omnibus membris (ut nihil tale terra continet,) et ignoras, nisi acceperis arrha-

Digitized by Google

bonem Spiritus sancti, dum e corpore discedis; animam hæc tuam comprehendunt, nec ad cœlos tibi ascensum concedunt. Itidem de dignitate animæ ubi audieris, quam præclara sit substantia illa intellectu prædita, non intelligis, quod Deus non de Angelis, sed de natura humana dixerit illud : « Faciamus ad imaginem et similitudinem nostram[1], » et quod cœlum et terra transeant, tu vero ad immortalitatem vocatus sis, ut sis filius, frater et sponsa regis? In rebus enim, quæ in hoc sæculo videntur, omnia quæ sunt sponsi ad sponsam pertinent; sic quoque omnia, quæ sunt Domini, quant quanta sint, committit ille tuæ fidei. Venit enim ipse ad legationem tui causa obeundam, ut te revocaret. Tu vero nihil intelligis, neque percipis nobilitatem ac præstantiam tuam; ac merito ergo deplorat casum tuum illé Spiritu plenus, inquiens : « Homo cum in honore esset, » non intellexit : comparatus est jumentis insipentibus, et » similis factus est illis[2]. » Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto in sæcula. Amen.

HOMILIA XVII.

De spirituali Christianorum unctione et gloria : et quod absque Christo salvari, aut vitam æternam consequi impossibile sit.

I. Christiani perfecti, qui digni habentur attingere gradum perfectionis, ac fieri regi proximi, hi cruci Christi perpetuo consecrati sunt. Quemadmodum enim Prophetarum temporibus unctio erat res omnino pretiosa, cum in

[1] Gen. I, 26. — [2] Psal. XCVIII, 21.

Digitized by Google

reges et Prophetas ungerentur : sic quoque nunc spirituales, cœlesti unctione peruncti, evadunt Christi ani per gratiam, ut ipsi sint reges et Prophetæ cœlestium mysteriorum. Quinimo hi sunt filii et domini et dii, uncti ac captivi dii, abjectissimi, crucifixi, ac consecrati. Si enim unctio olei, a planta aspectabili et ligno visibili profecta, tantam habuit virtutem, ut eo peruncti dignitatem citra omnem controversiam consequerentur (ratum enim erat, ut constituerentur ipsi reges :) quo etiam David inunctus[1], strtim persecutionibus et afflictionibus expositus est, ac septimo post anno rex factus[2] : quanto magis ii, qui secundum mentem et interiorem hominem, sanctificante et lætificante, cœlesti ac spirituali exultationis oleo peruncti sunt[3], recipiunt signum regni illius incorruptibilis, æternæque virtutis, arrhabonem scilicet Spiritus, ipsum Spiritum sanctum et Paracletum? (intellige vero Paracletum, qui consoletur, et gaudio perfundat afflictionibus oppressos.)

II. Hi unguento ex ligno vitæ Jesu Christi, et planta cœlesti inuncti, idonei habentur, qui perveniant ad gradum perfectionis, regni, inquam, et adoptionis; quippe qui sunt secretarii Regis cœlestis, ac freti fiducia omnipotentis, ingrediuntur palatium ipsius, ubi sunt Angeli et spiritus sanctorum, et qui adhuc in hoc sunt mundo. Licet enim integram hæreditatem, sibi in illo sæculo præparatam, nondum adierint, certissimi tamen sunt ex arrhabone, quem modo receperunt, ac si jam coronati essent, et regni clavum tenerent; neque obstupescunt, ut in re insolita ac nova, quod cum Christo regnaturi sint, propter abundantiam et fiduciam Spiritus ; quamobrem? eo quod cum adhuc in carne essent, suavitate illa ac dulcedine, atque efficacia facultatis illius tenebantur.

[1] 1 Reg. xvi, 13. — [2] 2 Reg. ii, 4. — [3] Psal. xliv, 8.

Digitized by Google

III. Quemadmodum enim, si aliquis est qui erat amicus regis, et palatio dat operam, ac secreta regis cognoscit, atque regiam conspicit purpuram; eumque contingat fieri regem, et coronari, novitate rerum non obstupescit, nec metu percellitur, eo quod longo tempore in arcanis palatii exercitus fuerit; nequaquam enim fieri solet, ut quis e gregariis, simplicibus atque mysteriorum ignaris hominibus, accedat ad regni administrationem, sed solum ii, qui doctrina et experientia instructi sunt. Sic quoque Christianis, qui regnaturi sunt in illo sæculo, nihil novi et inexpectati accidit, quippe qui antea jam noverunt mysteria gratiæ: propterea enim, quod homo transgressus sit fines mandati, diabolus universam animam caliginoso velamine operuit: verum postmodum accedit gratia, et exuitur prorsus velamen illud, ita ut postea anima, pristinæ puritati atque propriæ statui naturæ, creaturæ scilicet puræ atque irreprehensibili, restituta perpetuo ac pure purisque oculis gloriam veri luminis conspiciat, verumque Solem justitiæ in visceribus cordis, fulgoris in modum splendentem.

IV. Sicut enim in consummatione perituri firmamenti, justi in posterum in regno, lumine atque gloria victuri sunt, nihil aliud intuentes quam quo pacto Christus in gloria perpetuo sit ad dextram Patris: sic quoque hi, qui ex hoc in aliud sæculum abrepti atque captivi abducti sunt, quæcumque sunt ibi pulchra atque admiratione digna contemplantur. Nos enim, qui adhuc in terra sumus, in cœlis habemus conversationem, in illo sæculo vitam agentes, atque conversantes secundum mentem et interiorem hominem. Quemadmodum enim oculus exterior, si purus sit, solem pure semper aspicit: sic quoque mens exacte puritati restituta, semper intuetur gloriam luminis Christi, estque cum Domino noctu diuque, perinde ac

Digitized by Google

corpus Domini Divinitati conjunctum perpetuo est cum Spiritu sancto. Verum hosce gradus non statim assequuntur homines, nisi cum labore, afflictione atque pugna multa. Non desunt enim, in quibus, licet gratia vim suam in ipsis exerat atque requiescat, intus tamen aliqua latet malitia, atque duæ adsunt conversandi rationes, lucis scilicet et tenebrarum, in uno corde vim suam exercentes.

V. Atqui omnino dices mihi : Quæ societas luci cum tenebris ? ubinam lux divina tenebris offunditur atque inquinatur et ubi quod impollutum ac purum est, polluitur atque turbatur? Scriptum enim est : « Et lux in tenebris lucet, et » tenebræ eam non comprehenderunt[1]. » Non ergo simpliciter, nec uno modo hæc sunt intelligenda. Quidam enim in tantum conquiescunt in gratia Dei, quod fortiores evadant, quam est conjuncta illis malitia; atque summa erga Deum devotione et oblectatione teneantur : alia tamen ora pravis cogitationibus agitantur, ac surripiuntur a peccato, adhuc tamen existentes in gratia Dei. Simpliciores vero atque idiotæ, ubi vires suas aliqua ex parte in illis exeruerit gratia, se prorsus a peccato liberos existimant. At qui acumine judicii ac prudentia pollent, verentur negare, quod, licet gratia divina donati simus, turpibus atque obscœnis cogitationibus non exerceamur.

VI. Sæpenumero enim quosdam in fratribus reperimus, tantum ipsos gaudium et gratiam esse consecutos, ut ad quinque aut sex annorum spatium concupiscentiam exaruisse assererent, atque in posterum ab ea se liberatos putarent. Verum vitium latens insurrexit in illos, atque concupiscentiæ igni adeo combusti sunt, ut attoniti ac perculsi dicerent : « Undenam tanto post tempore nobis prodiit tantum vitium? » Nemo ergo sanæ mentis dicere audeat : « Quia mecum est gratia, a peccatis prorsus liberatus

[1] Joan. I, 5.

Digitized by Google

sum : » sed duæ personæ vim suam in mente exercent. Imperiti enim qui sunt rerum, ubi modicum quid in illis operata fuerit gratia, se jam vicisse atque perfectos Christianos esse statuunt. Ego vero sic se rem habere puto, perinde ac si sit in cœlo sol, qui in puro aëre lucet, et nubes advenientes eum operiant, atque aërem crassiorem reddant, nullo pacto (quippe cum interius lateat) nec in lumine, nec in substantia læditur : sic se habent, qui plene nondum sunt purificati; qui licet gratia Dei prædili sint, in imis tamen peccato detenti, habent simul motus naturales, et cogitationes erga Deum firmas, quippe a parte boni nondum plene stantes.

VII. Sic e converso, qui secundum ima, sub bona portione gratiæ, inquam, tenentur, adhuc sunt servi, atque obnoxii pravis cogitationibus ac parti vitiosæ. Summo igitur judicio opus est, ut per experientiam quis cognoscat hæc se ita habere. Dico autem tibi etiam Apostolos, quibus erat Paracletus, non fuisse ex omni parte securos; gaudio enim et exultatione aderat timor et tremor, ab ipsa gratia, non ex parte vitiosa profectus : verum ipsa gratia tuebatur illos, ne vel minimum quid diverterent. Perinde enim ac si quis frustulum lapidis projecerit in murum, murum nullatenus offendit aut commovit : aut sicut telum projectum contra eum, qui fert olibanum, nullo modo læsit nec ferrum nec corpus, (referit enim ac repercutit;) ita licet quid vitii ad Apostolos appropinquaret, nequaquam tamen ipsos lædebat, quippe qui erant perfecta Christi virtute induti : illique cum essent perfecti, poterant libere operari justitiæ opera.

VIII. Quoniam igitur asserunt quidam, quod post acceptam gratiam nulla animæ sollicitudo supersit, Deus quoque in perfectis requirit voluntatem animæ in ministerium Spiritus, ut scilicet consentiant. Inquit enim Aposto-

Digitized by Google

lus : « Spiritum nolite extinguere[1]. » Nonnulli igitur illorum nolunt aliis molesti esse, alii vero sibi ipsi gressus suos dirigunt ; reliqui vero a sæcularibus accipientes, largiuntur pauperibus : quod utique præstantius est. Quidam enim, qui gratia prædíti sunt, eorum, quæ sua sunt, unice curam gerunt : alii vero aliorum quoque animas juvare laborant : hi illos multum præstant : alii vero gratiam habentes pro nomine Dei corpora sua contumeliis et afflictionibus exponunt : hi illis iterum superiores sunt. Nonnulli virtutem persequentes, gloriari, et ab hominibus honoribus affici volunt, dicentes se Christianos et Spiritus sancti participes esse : alii vero se occultare et ab hominum occursu nituntur, qui illos longe superant. Vides quomodo vel in ipsa perfectione benevolentia erga Deum, quæ a voluntate naturali efficitur, præstantior atque abundantior reperiatur.

IX. Perinde ac si quis vilibus indutus vestimentis per visum se ipsum conspiciat divitem, surgens autem e somno, rursum se pauperem et nudum videat : sic quoque qui sermonem spiritualem loquuntur, convenienter loqui videntur ; si vero non habeant rem ipsam cum quodam gustu, potentia ac certitudine fidei, in mentem firmatam, in nuda quadam opinione consistunt. Aut veluti fœmina, holosericorum ac margaritarum cultu exornata, prostat in lupanari : sic quoque cor ejusmodi hominum lupanar quoddam est ipsorum immundorum spirituum ; ac volunt sane sermones habere de justitia, cum opera ipsa non attigerint.

X. Quemadmodum enim fieri non potest, ut piscis absque aqua vitam ducat, aut absque podibus aliquis progrediatur, aut absque oculis lumen intueatur, aut absque lingua loquatur, aut absque auribus audiat : sic quoque

[1] 1 Thess. v, 19.

Digitized by Google

absque Domino Jesu et virtutis divinæ efficacia, non licet cognoscere mysteria et sapientiam Dei; aut esse divitem et Christianum. Hi enim sunt revera sapientes, milites fortes ac philosophi Dei, qui diriguntur et gubernantur secundum interiorem hominem a potentia divina : philosophi enim Græcorum eloquentiam ediscunt; alii vero sunt rudes eloquentiæ, sed lætantur et exultant de gratia divina, quippe qui sint viri cultui divino addicti. Judicemus igitur, qui sint præstantiores. « In opere, inquit, et virtute est regnum Dei, non in sermone[1]. »

XI. Quid ergo est, ut dicat aliquis panem hunc e frumento esse confectum; nam id facile est. Verum hoc convenit dicere, quo pacto minutim præparetur, et coquatur panis. Disputare ergo de affectionum vacuitate et perfectione, paucis datum est. Evangelium enim concise loquitur : « Ne irascaris : ne concupiscas. Si quis impegerit alapam in dextram maxillam, præbe quoque et alteram. Si quis te trahat in judicium, ut tunicam tollat, dato ei quoque pallium[2]. » Verum Apostolus, hæc imitatus, qua ratione paulatim opus puritatis cum patientia et longanimitate fieri debeat, pluribus docet, primum lacte nutriens velut infantes, deinde promovens ad incrementum et perfectionem. Evangelium enim dixit ex lana fieri vestimentum; Apostolus vero significavit, per minuta quomodo consuatur.

XII. Qui igitur verba spiritualia proferunt, quorum non habent gustum, similes sunt ei, qui, maximo æstu premente, desertum agrum perambulat, et sitibundus depingit sibi fontem emittentem aquam, adumbrans se ipsum bibentem, cum tamen labra ejus ac lingua exarescant præ siti, qua tenetur : aut si quis disserat de mellis suavitate, et vim dulcedinis ejus, eo quod non degustari ignoret :

[1] 1 Cor. IV, 20. — [2] Matth. V, 40, et Luc. VI, 29.

Digitized by Google

sic se habent, qui de perfectione, exultatione aut affectuum vacuitate sermonem suscipiunt, vi ac certitudine fidei carentes, certe non omnia, ut loquuntur, sic se habent. Cum enim ejusmodi homo dignus aliquando fuerit habitus, ut ex parte saltem in opere ipso reperiatur, secum ipse dijudicabit : « Non quemadmodum arbitrabar, sic reperi, aliter enim loquebar, aliter Spiritus operabatur. »

XIII. Christianorum enim cultus est esus atque potus; et quanto plus quis ex eo comederit, tanto vehementius suavitate illa allicitur animus, adeo ut retineri aut expleri nequeat, atque insatiabiliter inquirat et comedat. Aut veluti, cum quis siti laborat, præbeaturque ei potus suavis, ipseque ubi degustare cœperit, propius ad poculum accedit, ardentius scilicet accensus : sic gustus Spiritus ferme sedari nequit, ut hujusmodi rei non immerito comparetur. Et hæc quidem non sunt verba nuda, sed opus Spiritus sancti, arcana ratione inserviens animo. Existimant vero nonnulli eos, qui a muliere, et ab omnibus, quæ visui patent, abstinent, esse jam sanctos. Verum non ita se res habet. Hæret enim malum in mente, atque in corde vivit et extollitur. Ille vero sanctus est, qui purificatus et sanctificatus est secundum interiorem hominem. Ubi enim veritas paulisper inspexit, illic error pugnat atque se velare et obtegere conatur.

XIV. Cum Judæi sacerdotio potirentur, sane ex illa ipsa gente persecutionem patiebantur, graviterque affligebantur, eo quod in veritate persistebant, Eleazarus et Machabæi. Nunc vero, cum a tempore crucis et veli scissi recesserit ab eis Spiritus ; atque hic revelata sit, et operetur in nobis veritas, propterea rursum quidam ex hac gente persecutionem sustinent. Ex illa vero gente persecutione et afflictione opprimebantur, ut Martyres evaderent, qui veritati studebant. Quomodo enim apparebit

Digitized by Google

veritas, nisi habuerit adversarios, qui et sint mendaces, et veritatem invadant? Sunt quoque in fratrum numero, qui affectionibus aut afflictionibus obnoxii sunt. Quibus quidem magna cautio adhibenda est, ne labantur. Quidam enim ex fratribus, cum precaretur cum alio, captus est divina virtute, eaque abreptus vidit supernam civitatem Jerusalem, et personas illustres, lumenque immensum; atque audivit vocem dicentem: « Hic est locus requietis justorum: » pauloque post inflatus, et existimans de se ipso ea vidisse, postea repertus est in adyta et profundissima peccatorum, atque in infinita mala incidisse.

XV. Si ergo internus et sublimis homo lapsus est, quo pacto potest dicere quivis alius e vulgo: « Quia jejuno, hospitalitatem exerceo, ac bona mea distribuo, jam ego sanctus sum? » Non enim a malis se cohibere ipsa perfectio est, sed si inquinatam mentem tuam ingressus, occideris serpentem in interioribus mentis ac profundioribus cogitationum tuarum delitescentem, quique in conclavibus et repositoriis animæ ad te interimendum nidum suum componit (cor enim est abyssus,) si, inquam, illum interfeceris, et omnem, qua inquinatus es, spurcitiem ejeceris. Omnes enim philosophi, lex et Apostoli atque etiam Salvatoris adventus circa puritatem laborant. Omnes siquidem homines, sive Judæi, sive Græci, puritatem exoptant, et assequi nequeunt. Inquirendum igitur est, quomodo et quibus modis, puritas cordis comparari possit. Nequaquam aliunde, quam per eum, qui pro nobis crucifixus est. Ipse enim est via, vita, veritas, ostium, margarita, vivus ac cœlestis panis; nec licet alicui, absque illa veritate, veritatem cognoscere, et servari. Quemadmodum quoad exteriorem hominem, et ea, quæ subjacent oculis, omnibus renuntiasti, et bona tua distribuisti; sic quoque quoad sapientiam mundanam, si rerum notitiam

Digitized by Google

aut facultatem dicendi es adeptus, hæc universa abjicere debes, ac pro nihilo ducere, ut ita possis super stultitia prædicationis ædificari, quæ quidem prædicatio est vera sapientia, carens ornatu verborum, sed prædita virtute per sanctam crucem operante. Gloria consubstantiali Trinitati in sæcula. Amen.

HOMILIA XVIII.

De thesauro Christianorum, videlicet Christo et Spiritu sancto, variis modis exercente eos, ut ad perfectionem perveniant.

I. Si quis in hoc mundo valde opulentus sit, reconditumque thesaurum possideat, per eum atque divitias omnia, quæcumque libuerit, consequitur : et quascumque voluerit in mundo possessiones, absque omni labore, thesauro suo fretus, corradit; eo quod ejus ope omnem possessionem, quamcumque voluerit, facile consequatur. Sic qui primum et ante omnia quærunt a Deo et inveniunt ac consequuntur cœlestem thesaurum Spiritus, ipsum scilicet Dominum, in cordibus illorum, illi omnem justitiam virtutum, omnemque possessionem bonitatis præceptorum Domini, ope illius thesauri, qui hæret in eis Christo, perficiunt, atque ejus ope cœlestes divitias accumulant. Thesauri enim cœlestis beneficio omnem virtutem justitiæ, freti copia divitiarum spiritualium, quæ sunt in iis, operantur, nulloque negotio omnem justitiam ac mandatum Domini, invisibilium divitiarum gratiæ, quæ est in ipsis, ope, re ipsa peragunt. Inquit vero et Apostolus quoque :

Digitized by Google

« Habentes thesaurum istum in vasis fictilibus [1], » hoc est, quem, qui in carne adhuc sunt, consequi digni habiti sunt, virtutem scilicet Spiritus sanctificatricem. Et rursus : « Qui factus nobis est a Deo sapientia, justitia, » sanctificatio et redemptio [2]. »

II. Quicumque igitur reperit ac possidet apud se cœlestem hunc thesaurum Spiritus, ille omnem justitiam præceptorum, ac omnem operationem virtutum, absque omni reprehensione et macula, ejus ope peragit, et quidem nullo negotio, nec ulla vi. Obsecremus igitur nos quoque Deum, postulemus ac deprecemur eum, ut thesaurum Spiritus sui nobis largiatur, ut hoc modo in mandatis ejus omnibus sine reprehensione et macula versari, et omnem justitiam Spiritus pure ac perfecte complere, cœlestis thesauri, qui est Christus, beneficio possimus. Pauper enim ac mendicus, et qui fame laborat, in mundo nihil potest comparare, paupertate cum premente. Qui vero thesaurum possidet, ut prædictum est, absque omni negotio et molestia, quascumque exoptarit possessiones, consequitur : sic quoque anima nuda, ac societate Spiritus destituta, et ad duram paupertatem peccati redacta, nullum potest, quantopere voluerit, Spiritus justitiæ fructum revera producere, antequam Spiritus particeps facta sit.

III. Verumtamen vi quadam se quemque compellere oportet, ad rogandum Deum, ut dignus judicetur, qui consequatur et inveniat cœlestem thesaurum Spiritus, ac possit absque omni molestia et labore perficere omnia præcepta Domini pure ac sine reprehensione, quæ prius, ne vi quidem adhibita, non poterat recte perficere. Pauper enim cum esset et nudus, ac societate Spiritus destitutus, qua ratione bona hæc spiritualia consequi potuit, absque

[1] 2 Cor. IV, 6. — [2] 1 Cor. I, 30.

Digitized by Google

thesauro et spiritualibus divitiis? Verum anima, quæ Dominum, per investigationem Spiritus, fidem ac multam patientiam, verum nempe thesaurum reperit, fructus Spiritus producit, ut dictum est, absque omni labore, omnemque justitiam ac præcepta Domini, quæ Spiritus mandavit, in se, et per se, pure et integre, et sine reprehensione perficit.

IV. Aut rursus alio utamur exemplo. Quemadmodum si sit aliquis dives, qui cum cœnam exquisitissimis rebus instructam præparet, ex divitiis suis et thesauro, quem possidet, sumptus facit, nec metuit, ne sibi aliquid desit, divitias multas possidenti: sicque laute et splendide convivas a se vocatos exhilarat, variis ac novis subinde appositis cibis. At pauper qui est, omnique rerum abundantia destitutus, si voluerit quibusdam cœnam apparare, mutuatur omnia, vel ipsam suppellectilem, vestes, ac reliquas species: sicque postea, ubi cœnaverint, qui erant vocati, ut fieri solet in convivio pauperis, denique unicuique, unde mutuo sumpserat, restituit suppellectilem argenteum, vestes ac reliquum ornatum: quibus omnibus unicuique sic restitutis, ipse pauper ac nudus remanet, non habens proprias facultates, ex quibus possit recreari.

V. Sic quoque, qui sunt Spiritu sancto locupletes, ac cœlestes divitias revera consecuti, communionem Spiritus in se habent, si quibusdam verba veritatis loquantur, et sermonem spiritualem quibusdam communicent, ac animas reficere statuerint; ex propriis opibus, et ex proprio thesauro, quem possident apud se, ex eo, inquam, loquuntur, ex eoque reficiunt animas audientium spiritualem sermonem, nec pertimescunt, ne quid sibi desit: eo quod possideant in se cœlestem bonitatis thesaurum, e quo proferunt et recreant eos, qui spirituali cibo vescuntur. Pauper vero, qui nec divitias Christi possidet, nec spirituales

Digitized by Google

obtinet in anima opes, producentes scaturiginis instar omnem bonitatem sermonum, operum, cogitationum divinarum et mysteriorum ineffabilium, hic, inquam, licet velit verbum veritatis eloqui, ac recreare quosdam audientes, cum tamen secundum virtutem ac in veritate sermonem Dei non obtineat; verum illos modo sermones, quos aut a quacumque Scriptura mutuatur, aut ab aliis spiritualibus audivit, exponat et doceat; en videtur quidem ille alios recreare, et sane fruuntur alii sermonibus: ubi vero eum sermonem recitaverit, unumquodque verbum ad sua, unde translatum erat, revertitur: tum ille denuo nudus ac pauper remanet, carens proprio thesauro Spiritus, e quo promat, juvet et recreet alios, ac primus ipse non reficitur, nec Spiritu exultat.

VI. Propterea imprimis postulandum est a Deo cum contentione cordis ac fide, det nobis, ut inveniamus divitias ejus, verum thesaurum Christi in cordibus nostris in virtute ac efficacia Spiritus. Et hac ratione, ubi prius in nobis commodum, salutem, ac vitam æternam, Dominum scilicet consecuti fuerimus, postmodum quoque alios pro facultate et viribus nostris adjuvemus, ex interiori Christi thesauro promentes omnem bonitatem spiritualium sermonum, ac cœlestium mysteriorum enarrationem instituentes. Sic enim placuit bonitati voluntatis Patris, habitare apud omnem, qui credit in eum, eumque postulat. « Qui » enim diligit me, inquit, diligetur a Patre meo, et ego di» ligam eum, et manifestabo ei me ipsum [1]. » Et iterum: « Veniemus ego et Pater meus, et mansionem apud eum » faciemus [2]. » Sic infinitæ clementiæ Patris visum est, sic incomprehensibili charitati Christi placuit: sic ineffabilis bonitas Spiritus promisit. Gloria sit ineffabili misericordiæ sanctæ Trinitatis.

[1] Joan. XIV, 21. — [2] Id. XIV, 23.

Digitized by Google

VII. Qui enim evadere filii Dei, et ex Spiritu sancto desuper renasci digni sunt habiti, atque Christum illuminantem ac recreantem eos in se possident, variis ac diversis modis a Spiritu dirigantur, et invisibiliter in corde cum requie spirituali a gratia ducuntur. Proferamus vero ex iis, quæ in mundo sunt conspicua, personarum figuras, ut, qua ratione gratiam in anima se gerat, aliqua ex parte exemplis veluti demonstremus. Sunt interdum, qui a gratia ducuntur, ut qui in cœna regia lætantur, et exultant exultatione ac lætitia ineffabili: alia vero hora similes sunt sponsæ, quæ fruitur in conjugio cum sponso suo voluptate divina. Aliquando fiunt veluti Angeli incorporei, in tanta levitate ac subtilitate una cum corpore constituti. Interdum sunt, ut qui potu inebriati et Spiritu delectantur, inebriantur, ebrietate scilicet divinorum ac spiritualium mysteriorum.

VIII. Interdum sunt velut in luctu et lamentatione propter genus humanum, ac precibus pro toto genere humano effusis, ad lacrymas, et ad luctum prolabuntur, dilectione spirituali erga humanum genus accensi. Interdum vero ad tantam exultationem ac dilectionem a Spiritu inflammantur, ut, si fieri possit, omnes homines in sua viscera conjicerent, nulla nec bonorum nec malorum habita ratione. Interdum vero demittuntur infra omnes homines in humilitate Spiritus, ut se ipsos omnium abjectissimæ ac infimæ conditionis reputent. Interdum in gaudio ineffabili a Spiritu conservantur. Interdum sunt velut fortis quispiam, qui universam armaturam regis induens, et in prælium descendens, adversus hostes fortiter dimicat, eosque vincit. Eodem modo spiritualis homo, assumptis cœlestibus armis Spiritus[1], hostes invadit, prælioque commisso subjicit illos pedibus suis.

[1] Ephes. VI, 12, et seqq.

Digitized by Google

IX. Interdum in summo silentio, tranquillitate et pace requiescit anima, in sola spirituali voluptate, et ineffabili requie atque in optimo statu existens. Interdum in intelligentia quadam ac sapientia ineffabili, et notitia Spiritus inscrutabili a gratia instituitur, circa ea, quæ nec lingua nec ore efferri queunt. Interdum ut quivis hominum fit. Ita varie gratia versatur in iis, ac multis modis ducit animam, recreans juxta voluntatem divinam, exercetque eam diversimode, ut illam integram, irreprehensibilem atque puram apud cœlestem Patrem constituat.

X. Cæterum prædictæ hæ Spiritus operationes, ad summum gradum pertinent eorum, qui proxime a perfectione absunt. Illæ enim, quarum mentionem fecimus, variæ moderationes gratiæ, varie quidem exprimuntur, assidue tamen in homines agunt, actione actionem excipiente. Ubi enim anima ad perfectionem Spiritus pervenerit, perfecte ab omnibus affectibus expurgata, et Spiritui Paracleto arcana societate unita et permixta, ac temperata cum Spiritu digna habetur fieri spiritus; tum tota lux, tota oculus, tota spiritus, tota gaudium, tota delectatio, tota exultatio, tota dilectio, tota viscera, tota bonitas, et clementia fit. Sicut enim lapis in profundo maris undique aqua circumdatur : sic hi omni modo Spiritui sancto permixti, similes fiunt Christi, virtutes potentiæ Spiritus constanter in se ipsis obtinentes, intus existentes, omnis maculæ ac reprehensionis expertes atque puri.

XI. Cum enim per Spiritum sint restaurati, quomodo extra possunt fructum malitiæ proferre? Verum perpetuo per omnia fructus Spiritus in iis enitescunt. Oremus igitur quoque nos Deum, et credamus in dilectione ac spe magna, ut largiatur nobis cœlestem gratiam doni Spiritus, ut et nos ipse Spiritus gubernet, et ducat ad omnem voluntatem divinam, ac nos reficiat variis requiei modis, ut ope hujus

Digitized by Google

gubernationis, et exercitationis gratiæ, ac promotionis spiritualis, digni habeamur ad perfectionem plenitudinis Christi pervenire, ut inquit Apostolus. « Ut impleamini in » omnem plenitudinem Christi[1]. » Et rursum : « Donec » perveniamus omnes in virum perfectum, in mensuram » ætatis plenitudinis Christi[2]. » Promisit Dominus omnibus in se credentibus, et in veritate postulantibus, se largiturum mysteria ineffabilis communionis Spiritus. Quapropter penitus nos ipsos Domino consecremus, et ad prædicta bona consequenda festinemus, corpore animoque consecrati, et cruci Christi affixi, digni regno æterno fiamus, glorificantes Patrem, Filium, et Spiritum sanctum in sæcula. Amen.

HOMILIA XIX.

Christiani proficere et crescere volentes, debent se vi compellere ad omne id quod bonum est, ut liberentur ab inhabitante peccato, et Spiritu sancto repleantur.

I. Qui exoptat accedere ad Dominum, et vita æterna dignus haberi, domicilium Christi fieri, ac Spiritu sancto repleri, quo fructus Spiritus producere, et mandata Christi facere pure et absque reprehensione possit, ille hinc initium sumat, ut imprimis firmiter Domino credat, seque totum tradat præceptis ac mandatis ejus, ac renuntiet mundo per omnia, ne ullo modo circa ea, quæ oculis patent, tota ejus mens occupetur. Deinde quoque oportet

[1] Ephes. III, 19. — [2] Id. IV, 13.

Digitized by Google

eum perpetuo in oratione perseverare, in ſideque expectat Dominum, visitationem et auxilium ejus semper expectantem, scopumque mentis suæ eo semper dirigentem. Deinde compellere oportet se ipsum ad omne opus bonum, et ad omnia mandata Domini, propter innatum sibi peccatum. Veluti compellat se ipsum ad demissionem animi coram omnibus hominibus, ac se inferiorem et abjectiorem existimet, non quærens honorem, laudem, aut gloriam a quoquam hominum, ut in Evangelio scriptum est: sed solum Dominum semper ob oculos habeat, et mandata ejus ipsi soli placere studens in mansuetudine cordis, ut inquit Dominus: « Discite a me quod mitis sum, et humilis corde, » et invenietis requiem animabus vestris [1]. »

II. Itidem ut sit misericors, benignus, pronus ad miserandum ac bonus, pro viribus suis se assuefaciat, ut inquit Dominus: « Estote boni ac benigni, sicut Pater vester » cœlestis misericors est [2]. » Et rursus inquit: « Si diligitis » me, præcepta mea servate [3]. » Et rursus: « Contendite » intrare per portam angustam [4]. » Præ omnibus humilitatem Domini, ejusque vivendi rationem, mansuetudinem, ac conversationem, tanquam exemplar in omni memoria minime obliviosa retineat, in orationibus perseveret, semper orans in fide, ut Dominus veniat, habitet in eo, consummet, ac corroboret eum, in omnibus mandatis suis; atque etiam ipse Dominus fiat domicilium animæ; et ita quæ nunc vi inviti cordis facit, sponte aliquando peragat, assuefaciens se ipsum perpetuo ad id quod bonum est Domini semper recordans, et expectans eum perpetuo in summa dilectione. Tum vero Dominus cognito tanto ejus proposito et consilio ac laudabili ejus studio, nimirum quomodo se compellat, ut Dominum in memoria retineat, et ad id quod bonum est, ad mansuetudinem ac dilectionem

[1] Matth. xi, 29. — [2] Luc. vi, 36. — [3] Joan. xiv, 15. — [4] Luc. xiii, 24.

Digitized by Google

cor vel invitum compellat, ac dirigat pro viribus suis omni violentia: exercet in eum misericordiam suam, et redimit eum ab inimicis suis, et inhabitante peccato, Spiritu cum sancto replens: et ita postmodum absque ulla vi ac labore vere facit omnia mandata Domini. Quinimo Dominus in eo sua mandata facit, et fructus spirituales tunc pure producit.

III. Oportet autem primum quempiam sic accedentem ad Dominum vi compellere se ipsum ad bonum, quamvis renitatur animus, expectantem perpetuo in fide indubitata misericordiam ejus, ac compellere se ipsum ad dilectionem, si dilectione destitutus sit; compellere se ipsum ad mansuetudinem, si ea careat; compellere se ipsum ad misericordiam, et ad animum ad miserendum pronum; compellere se ipsum ad contemptum perferendum, et in eo fortiter perdurandum, ne despectui habitus aut dehonestatus indignetur, juxta dictum: « Non vosmetipsos ulciscentes, charissimi[1]: » compellere se ipsum ad preces, si preces spirituales non habeat. Sic itaque Deus conspiciens eum, qui tantopere contendit, ac vi, reluctante animo, se ipsum constringit, veram Spiritus precationem largitur, veram dilectionem concedit, veram mansuetudinem, viscera misericordiæ, clementiam veram, atque, ut unico verbo dicam, replet eum fructu Spiritus.

IV. Quod si quis, cum affectu precandi careat, ad preces solas se ipsum adigat, ut consequatur precationis gratiam: ad mansuetudinem vero, humilitatem animi, dilectionem, et reliqua mandata Domini, minus se ipsum compellat, nec ullam curam, laborem ac studium adhibeat, ut ea recte constituat: quoad illius propositum ac liberam voluntatem, conceditur illi interdum precandi

[1] Rom. XII, 19.

Digitized by Google

gratia cum delectatione ac lætitia Spiritus, ex parte tamen juxta petitionem ejus : moribus tamen idem est, quibus antea erat, destitutus mansuetudine, eo quod non laborarit, nec se præpararit, ut talis evaderet; destitutus humilitate, eo quod non postularit, nec se ipsum ad eam compulerit; destitutus dilectione erga omnes, eo quod de ea nihil omnino sollicitus fuerit in postulatione orationis suæ : et in ipsa operis administratione non habet fidem, nec fiduciam erga Deum, eo quod in cognitione sui carere se non expertus est, neque contendit cum afflictione Dominum postulare, ut obtineat firmam in illum fidem ac veram fiduciam.

V. Oportet enim unumquemque perinde ut ad preces se compellere atque adigere, repugnante animo; sic quoque ad fiduciam, sic quoque ad humilitatem, sic quoque ad dilectionem, sic quoque ad mansuetudinem, sinceritatem, et simplicitatem : sic quoque ad omnem patientiam et longanimitatem cum gaudio ac prompte collimare : sic quoque se compellere ad sui ipsius despectum, ac se pauperem infimæque sortis homuncionem reputare : sic ne intentus sit rebus minus utilibus, sed semper quæ Dei sunt meditetur, et proferat ore et corde : sic ne ira excandescat aut clamitet, sicuti dictum est : « Omnis amarulentia, » et clamor, et ira, et vociferatio, et maledicentia tollatur a » vobis cum omni malitia [1]. » Sic ad omnes mores Domini induendos, ad omnem virtutis, probi honestique vitæ instituti exercitationem, ad omnem conversationem bonitatis, ad omnem humilitatem mansuetudinis; nec extollatur, nec altum sapiat, aut infletur, vel cujusdam famam detrectet.

VI. Ad hæc omnia se compellere debet, qui cupit probari ac placere Christo, ita ut Dominus, conspecta ejus promptitudine, ac intentione, ejus, inquam, qui ad pro-

[1] Ephes. IV, 31.

Digitized by Google

bitatem, simplicitatem, benignitatem, humilitatem, dilectionem et precationem se ipsum compellit, ac vi quadam adigit, se totum illi offerat; ipse, inquam, Dominus, implens revera hæc omnia in eo pure absque ullo labore et vi, quæ ne vi quidem ulla antea observare poterat, propter inhabitans in eo peccatum. Fiuntque illi hæc omnia virtutum exercitia et studia, velut altera natura. Postmodum Dominus adveniens et versatus cum eo, et ille cum Domino, ipse perficit in eo sua mandata citra omnem laborem, replens eum fructu Spiritus. Quod si vero ad solam precationem se quis adigit, donec consequatur gratiam hanc a Deo; ad ea vero, quæ prædicta sunt, se non compellat, cogat et assuefaciet ille vere pure, ac sine reprehensione hæc adimplere nequit. Verum ita convenit se præparare pro viribus ad id quod bonum est. Interdum enim pervenit ad eum petentem ac precantem gratia divina. Bonus enim et benignus est Deus, ac petentibus a se largitur quæ petierant. Verum qui caret iis, de quibus locuti sumus antea, nec se ad ea assuefacit, aut præparat, gratiam, quam consecutus jam erat, perdit, ac cadit præ nimia arrogantia; aut nihil proficit, nec augetur in gratia sibi concessa, quoniam mandatis Domini deliberato animo se non dedit; domus enim et requies Spiritus est humilitas, dilectio et mansuetudo, et reliqua Domini mandata.

VII. Debet ergo quicumque Deo vere placere cupit, ab eoque recipere cœlestem Spiritus gratiam et in Spiritu sancto crescere ac perfici, ad omnia præcepta Dei se ipsum compellere, et vel invitum animum subjugare, secundum quod dicitur: « Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui[1]. » Quemadmodum enim aliquis ad perseverandum in precatione se ipsum compellit atque adigit, donec id recte constituerit:

[1] Psal. cxviii, 104.

eodem modo, si libuerit, ad omnia quoque virtutum exercitia se ipsum compellit atque adigit, bonæ consuetudini assuescens; et sic, ubi assidue Dominum obtestatus ac deprecatus, et quæ petierit, adeptus fuerit, Deum gustare cœpit, ac Spiritus sancti particeps factus fuerit, hoc agit, ut crescat et foveat gratiam sibi concessam, requiescentem in humilitate, in dilectione et mansuetudine ejus.

VIII. Ipse Spiritus largitur hæc ei, atque instruit eum vera precandi ratione, vera dilectione, vera mansuetudine, ad quæ antea vi se compellebat, quæ inquirebat, de quibus sollicitus erat, ac quæ meditabatur, quæque donata tandem ei sunt: et ita auctus et consummatus in Deo, qui hæres regni evadat, dignus habetur. Humilis enim nunquam labitur. Unde enim labi liceret ei, qui sub omnibus est? Nimia itaque animi elatio summa est humilitas: humilitas vero magna est exaltatio, existimatio atque dignitas. Nos ergo quoque nos compellamus atque cogamus nos ipsos ad humilitatem, vel invito animo, et ad mansuetudinem, et ad dilectionem, precantes atque obsecrantes Deum in fide, spe ac dilectione, indesinenter hac expectatione atque scopo freti, ut mittat Spiritum suum in corda nostra, quo precemur et adoremus Deum in Spiritu et veritate.

IX. Ipse quoque Spiritus docebit nos veram precum rationem, quas nunc, ne vi quidem adhibita, possumus facere. Viscera quoque misericordiæ, benignitatem, et omnia mandata Domini, docebit nos facere revera absque ulla molestia aut coactione, prout novit Spiritus ille replere nos fructu suo. Atque hoc pacto mandatis Dei a nobis impletis beneficio Spiritus sui, qui solus novit voluntatem Domini, quique Spiritus nos consummat in se, ac perfectus in nobis, purificatis ab omni inquinamento, ac sordibus peccati, velut sponsas venustas, animas nostras puras et immaculatas Christo exhibebit, requiescentibus nobis in

Digitized by Google

Deo, in regno ejus, ac Deo requiescente in nobis in infinita sæcula. Gloria sit miserationibus ejus, misericordiæ ac dilectioni, quod tanto honore et gloria dignatus sit genus humanum, quos dignos judicaverit, ut vocaret filios Patris cœlestis ac proprios fratres. Ipsi gloria in sæcula Amen.

HOMILIA XX.

Solus Christus, verus medicus interioris hominis, sanare potest animam, eamque vestimento gratiæ suæ exornare.

I. Si quis nudus sit et careat indumento divino ac cœlesti, quod est potentia Spiritus, sicut dictum est: « Si » quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est » ejus[1] : » ploret atque obsecret Dominum, ut cœlitus consequatur spirituale indumentum, quo induat animam divina virtute spoliatam : quia multo pudore ac infamia affectionum induitur, qui vestimento Spiritus amictus non est. Quemadmodum enim in rebus externis, si quis nudus sit, summo pudore atque infamia afficitur; et amici nudos aversantur amicos, et germani suos, et liberi viso nudo patre, averterunt facies suas, ne intuerentur nudum corpus patris, et retrorsum progressi operuerunt eum [2], et sic averterunt vultum : eodem modo Deus aversatur animas, non exornatas indumento Spiritus cum fidei certitudine, eos inquam, qui non induerunt Dominum Jesum Christum in virtute et veritate.

[1] Rom. VIII, 9. — [2] Gen. IX, 23.

Digitized by Google

II. Primus quoque homo, conspiciens se nudum esse, erubuit[1]. Tanta ignominia nuditatem comitatur. Si ergo in rebus corporalibus tantum dedecus conciliat nuditas, quanto majore anima, quæ denudata est virtute divina, nec gestat, aut exornata est ineffabili, incorruptibili ac spirituali indumento, ipso scilicet Domino Jesu Christo in veritate; quanto majore, inquam, pudore atque ignominia affectionum circumdata et amicta est! Quicumque ergo caret divina illa gloria, ita debet sui ipsius pudore duci, atque agnoscere suam ipsius ignominiam, sicut Adam erubuit, corpore nudus cum esset; quamvis construxisset sibi ex foliis ficus amictum, nihilominus pudore afficiebatur, mendicitate et nuditate sua cognita atque perspecta. Postulet igitur ejusmodi anima a Christo, qui largitur atque exornat eam gloria in lumine arcano; nec consuta sibi veste vanarum cogitationum arbitretur, propriæ justitiæ opinione decepta, se habere vestimentum ipsius salutaris.

III. Si enim in sua justitia atque redemptione solum quis perstiterit, frustra ac temere labores ille suscipit. Omnis enim opinio justitiæ ejus, velut pannus menstruatæ apparet in extremo die, ut inquit propheta Isaïas: « Facta » est universa justitia nostra tanquam pannus menstruatæ[2]. » Obsecremus igitur Deum atque rogemus, ut amiciamur indumento ipsius salutaris, Domino nimirum Jesu Christo, arcano lumine, quem gestantes animæ non exuentur in sæculum; sed in resurrectione corpora quoque eorum glorificabuntur gloria luminis, quo amictæ nunc sunt fideles ac generosæ animæ, sicut Apostolus ait: « Qui ex- » citavit Christum ex mortuis, vivificabit et mortalia cor- » pora nostra, propter ipsius Spiritum inhabitantem in » nobis[3]. » Gloria sit ineffabili ejus miserationi, atque innarrabili misericordiæ ejus.

[1] Gen. III, 7. — [2] Isaï. LXIV, 6. — [3] Rom. VIII, 11.

Digitized by Google

IV. Et iterum, quemadmodum mulier fluxu sanguinis laborans cum crederet fide vera, et fimbriam vestimenti Domini contingeret, statim sanitatem consecuta est[1], atque exsiccatus est fluxus impuri fontis sanguinis : sic omnis anima incurabili vulnere peccati percussa, ac fonte obscœnarum pravarumque cogitationum obrupta, si progressa ad Christum supplices preces fecerit, eique vere crediderit, sanitatem salutarem consequitur ab incurabili fonte affectionum, atque exsiccatur fons ille deficiens, qui immundas cogitationes ejaculabatur, virtute solius Jesu : alius vero hoc vulnus curare prorsus nequit. Tantam enim operam ac diligentiam adhibuit hostis in Adæ transgressione, ut vulneraret ac tenebris offunderet interiorem hominem, mentem nimirum ducem hominis, quæ Deum intuebatur. Respexerunt ergo postmodum oculi ejus ad vitia et affectiones, a bonis cœlestibus exclusi.

V. Tantis igitur vulneribus affectus est, ut nemini datum sit ea curare, nisi soli Domino, cui soli possibile est. Ipse enim veniens «Sustulit peccata mundi[2],» hoc est, impurum illum fontem cogitationum animæ exsiccavit. Quemadmodum enim illa, quæ sanguinis profluvio laborabat, cum omnia sua bona in medicos impendisset, a nullo tamen eorum curata est[3]; donec progressa ad Dominum, et credens in veritate, tetigit fimbriam vestimenti ejus; et sic mox sanitatem se consecutam esse sensit, ac stetit profluvium sanguinis : sic quoque animam sauciatam ab initio vulnere incurabili vitiosarum affectionum, nullus nec justorum, nec patrum, nec Prophetarum, nec Patriarcharum curare potuit.

VI. Moses quidem venit, sed sanitatem perfectam conferre nequivit. Sacerdotes, munera, decimationes, sabba-

[1] Matth. IX, 20. — [2] Joan. I, 29. — [3] Matth. IX, 20.

Digitized by Google

tismi, neomeniæ, ablutiones, sacrificia, holocausta, et universa reliqua justitia consummabatur in lege; nec tamen anima sanari ac purificari ab impuro fluxu pravarum cogitationum potuit; nec universa justitia ejus curare ipsum valuit, donec venit Salvator, verus medicus, qui gratis sanat: qui se ipsum pro humano genere in pretium redemptionis tradens, solus ipse magnam et salutarem redemptionem ac sanitatem animæ operatus est: ipse liberavit eam a servitute, et eduxit eam ex tenebris; suo lumine eam illustrans; ipse exsiccavit in ea fontem immundarum cogitationum. « Ecce enim, inquit, Agnus » Dei, qui tollit peccata mundi[1]. »

VII. Non enim potuerunt terrena ejus medicamenta, hoc est, justificationes ejus solæ curare et sanare illam a tanta invisibili plaga; sed cœlestis et divinæ naturæ beneficio, doni nimirum Spiritus sancti, hujus medicamenti solius ope potuit sanitatem consequi homo, et ad vitam pervenire, purificato corde a Spiritu sancto. Cæterum, quemadmodum ibi mulier, quamvis vulnerata, curari non poterat; nihilominus pedes habebat, quibus accederet ad Dominum, et veniens sanationem consequeretur: itidem et cæcus ille, quamvis incedere non poterat, et venire ad Dominum, eo quod visu destituerctur, acutiorem tamen Angelis emisit vocem. Aiebat enim: « Fili David, miserere » mei: » et ita credens sanitatem consecutus est, veniente ad illum Domino, eique visum restituente: sic quoque anima, quamvis sauciata sit ignominiosarum affectionum vulneribus, quamvis obcæcata sit tenebris peccati, nihilominus habet voluntatem clamandi et invocandi Jesum, ut ipse veniens æternam redemptionem animæ procuret.

VIII. Quemadmodum enim cæcus ille, nisi clamasset, et nisi quæ profluvio sanguinis laborabat, ad Dominum ac-

[1] Joan. 1, 29.

Digitized by Google

cessisset, sanationem non fuissent consecuti: eodem modo, nisi quis proprio motu ac integro proposito ad Dominum accedat, et cum plenitudine fidei eum deprecetur, nullo modo sanationis fit particeps. Cur enim illi simul ac crederent sanabantur; nos autem nondum revera visum recepimus, nec ab occultis affectionibus sanati sumus? Verum Dominus majorem gerit curam immortalis animæ, quam corporis. Quæ quidem visui restituta, secundum eum, qui dicit: «Revela oculos meos[1],» in æternum non amplius excæcabitur, et sanata non amplius vulnerabitur. Si enim corruptibilium corporum curam suscepit Dominus, in mundum cum venisset; quanto magis animæ immortalis et secundum imaginem ejus conditæ? Propter incredulitatem autem nostram et seditionem nostram, quod non diligamus eum ex toto corde, neque vere ei credamus, nondum spiritualem sanitatem ac salutem consecuti sumus. Credamus ergo ei, et accedamus in veritate, ut velociter veram sanationem in nobis adimpleat. Promisit enim se largiturum «Postulantibus a se Spiritum sanctum, »ac pulsantibus aperturum, et a quærentibus inventum »iri[2]. Atque non mentitur, qui promisit[3].» Ipsi gloria et potentia in sæcula. Amen.

[1] Psal. cxviii, 18. — [2] Luc. xi, 13, et Matth. vii, 7. — [3] Tit. i, 2.

Digitized by Google

HOMILIA XXI.

Christiano homini duplex incumbit bellum, internum videlicet et externum. Hoc quidem, cum recedit ipse a distractionibus terrenis; illud vero in corde adversus cogitationes spirituum malorum.

I. QUICUMQUE vere Deo placere exoptat, ac veras adversus adversariam partem inimicitias suscipit, hunc duplici conflictu, ac duplici certamine dimicare oportet: tum in rebus visibilibus hujus vitæ, a distractionibus terrenis, ac dilectione vinculorum mundanorum, atque affectionibus peccati abhorrentem: tum in occultis contra ipsos malitiæ Spiritus præliantem, de quibus Apostolus aiebat: « Non est nobis colluctatio adversus sanguinem » et carnem, sed adversus principatus, adversus potestates, » adversus mundi dominos, rectores tenebrarum sæculi » hujus, adversus spirituales astutias in cœlestibus[1]. »

II. Duobus enim modis et vinculis devinctus homo est, postquam mandatum transgressus extra limites paradisi projectus est. In hac nimirum vita, rebus ad vitam pertinentibus, ac dilectione mundi, carnalium nempe voluptatum et affectionum, divitiarum et gloriæ, ac creaturarum, uxoris et liberorum; consanguinitatis, patriæ, locorum, et indumentorum, et ut summatim dicam, omnium, quæ visui patent, a quibus verbum Dei præcipit eum exolvi propria voluntate (quia ea, quæ oculis sub-

[1] Ephes. VI, 12.

Digitized by Google

jecta sunt, sponte quisque sectatur,) ut ab iis omnibus se expedians ac liberans, perfecto mandatum observare possit. Intus vero intricata, circumvallata, muris cincta, atque catenis tenebrarum devincta est anima, per spiritus malitiæ, ita ut non possit pro lubitu diligere Dominum, nec pro lubitu credere, nec pro lubitu adorare. Nam penitus contrarietas tam in manifestis quam in occultis rebus post transgressionem primi hominis nos invasit.

III. Si quis itaque audito verbo Dei pugnam inierit, atque ad hanc vitam spectantia ot laqueos mundi a se projecerit, omnesque carnis voluptates repudiaverit, ex his se ipsum expediens; tum in Domini intentione perseveraverit; cognoscere hic poterit esse in corde aliam luctam, aliam contrarietatem occultam, aliud bellum cogitationum spirituum nequitiæ, atque aliud certamen impendere. Qui sic perseverat in invocatione Domini, in fide indubitata, ac tolerantia multa, ejusque auxilium expectat, poterit inde consequi interiorem liberationem a laqueis, tricis, vallis, et tenebris spirituum nequitiæ, quæ sunt occultarum affectionum operationes.

IV. Hoc autem bellum per gratiam et virtutem Dei confici potest. Sua enim virtute a contrarietate, et errore cogitationum, et affectionum invisibilium, et machinationibus illius nequissimi, se aliquis liberare nequit. Quod si quis scæularibus hujus mundi rebus detentus, variisque vinculis terrenis implicatus, affectionibus malitiæ seducatur; prorsus non cognoscere potest aliam esse luctam, pugnam et bellum internum. Fieri enim potest, ut, si quis dimicando se eximat atque exolvat ab his externis vinculis mundanis, ac materialibus rebus, et voluptatibus carnis, incipiatque Domino adhærere, spolians se hoc sæculo, utique tunc possit dignoscere pugnam affectionum intus castrametantem, intestinum bellum, atque pravas

Digitized by Google

cogitationes. Nisi enim, ut prædiximus, dimicando abnegaverit mundum, et expedierit se ipsum e terrenis cupiditatibus ex toto corde, totusque omnino Domino agglutinari voluerit, non cognoscet occultorum spirituum malitiæ deceptionem, atque occultas malitiæ affectiones; sed est alienus sibi ipsi, ut qui non cognoscat vulnera, atque affectiones habeat occultas, vel ignorans: adhuc enim rebus externis deditus est, atque hujus mundi occupationibus volens tenetur.

V. Qui enim mundo revera abnegato dimicaverit, ac pondus terrenum a se projecerit ac a vanis cupiditatibus, ac voluptatibus carnis, gloriæ, principatus, et honorum humanorum se ipsum expedierit, atque ex toto corde se ipsum avocaverit, posteaquam in hoc aperto certamine Dominus secreto suppetias fert, pro modo voluntatis abnegantis mundum: atque ille perstiterit in cultu Domini, ac totus omnino, corpore inquam et anima, perduraverit; ille vero reperit repugnantiam, affectiones occultas, laqueos invisibiles, bellum occultum, certamen atque pugnam internam. Atque sic Deum obsecrans accipit cœlitus arma Spiritus, quæ recensuit beatus Apostolus: « Thoracem justitiæ, galeam salutaris, scutum fidei, et gladium »Spiritus [1]. » Quibus armis succinctus stare potest adversus occultas technas diaboli malitiis imminentibus. Quibus armis omni oratione, perseveratione, obsecratione, ac jejunio, imo vero per fidem acquisitis, bellum adversus principatus ac potestates, ac rectores mundi gerere poterit: sicque devictis adversariis potestatibus, beneficio et auxilio Spiritus, proprioque virtutum omnium studio, æternæ vitæ dignus fiet, glorificans Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; cui sit gloria et potentia in sæcula. Amen.

[1] Ephes. VI, 14.

Digitized by Google

HOMILIA XXII.

De duplici statu eorum, qui ex hac vita decedunt.

Quando egreditur e corpore anima hominis, mysterium quoddam magnum illic perficitur. Si enim fuerit rea peccati, accedunt chori dæmonum, et angeli sinistri, ac potestates tenebrarum; abripiunt animam illam, atque subjugatam in suas partes pertrahunt: nec debet quis propterea velut re quapiam insolita in admirationem duci. Si enim, dum viveret homo, et in hoc sæculo degeret, illis subjectus fuit et obtemperavit, ac servus illorum factus est, quanto magis cum egreditur ex mundo, detinetur ac subjugatur ab ipsis? Ex parte autem, quæ melioris est conditionis potes cognoscere rem ita sese habere. Sanctis siquidem servis Dei ab hoc tempore astant Angeli, ac Spiritus sancti circumdant, easque custodiunt. Cumque exierint e corpore, chori Angelorum assumptas eorum animas in suam partem pertrahunt, in sæculum perpetuum, et sic adducunt eos ad Dominum.

HOMILIA XXIII.

Quemadmodum regiam ac pretiosam margaritam gestare solum possunt, qui ex regio semine sunt prognati: eodem modo cœlestem margaritam solum filiis Dei gestare licet.

I. Margarita illa splendida, pretiosa atque regia, quæ

Digitized by Google

ad diadema regium pertinet, soli regi convenit; solusque rex hanc margaritam gestare potest : alii vero homini gestare hujusmodi margaritam non licet. Ita nisi quis fuerit natus a regio ac divino Spiritu, et genus cœleste ac regium fiat, et Filius Dei, secundum quod scriptum est : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem » filios Dei fieri [1], » cœlestem et pretiosam margaritam, imaginem luminis, luminis inquam ineffabilis, quæ est Dominus, gestare nequit, quippe qui non sit regis Filius. Qui enim habent et gerunt margaritam, vivunt, et regnant una cum Christo in sæcula. Sic enim inquit Apostolus : « Sicut gestavimus imaginem terreni, gestabimus et » imaginem cœlestis [2]. »

II. Perinde enim ac equus, quandiu in sylvis cum agrestibus animalibus pascitur, sub jugo ac imperio hominum esse recusat. Si quando vero, ut mansuefiat, capiatur, injiciunt ei frenum gravo, donec composite et congrue progredi discat. Postmodum exercetur a sessore perito, ut ad bellum quoque commodus sit. Tandem exornant eum armis, thorace inquam, et lorica, eumque priore freno suspenso, et agitato ante oculos ejus, assuefaciunt, ne ullo terrore percutiatur. Atque sic edoctus ab insessore, nisi didicerit, prælio contendere nequit : ubi vero didicerit, et bello fuerit assuefactus, si modo subolucrit, et subaudierit sonum bellicum, ipse adeo prompte adversus hostes progreditur, ut sola voce terrorem incutiat hostibus.

III. Eodem quoque modo anima post transgressionem agrestis et indomita, in deserto hujus mundi conversatur cum feris, spiritibus scilicet nequitiæ, ministerium in peccato obiens. Ubi vero audierit verbum Dei, ac crediderit, refrenatur a Spiritu ac deponit mores agrestes, et

[1] Joan. I, 12. — [2] 1 Cor. XV, 49.

Digitized by Google

cogitationes carnis, gubernata ab insessore Christo. Postea in afflictionem, edomandi jugum, et angustiam incidit, ut probetur, ac paulatim a Spiritu mansuefiat, deficiente sensim atque exolescente in illa peccato. Sic et anima armata thorace justitiæ, et galea salutis, et scuto fidei, et gladio Spiritus, docetur prælium conserere cum hostibus suis : et sic armata Spiritu Domini, dimicat adversus Spiritus malitiæ et ignita nequissimi tela extinguit[1]. Absque enim armis Spiritus non progreditur in aciem : habens vero arma Domini, ubi audierit ac senserit vehementia bella, cum exultatione ac clarsore proficiscitur, sicut in libro Job dictum est : « Quod etiam ipsa voce oratio» nis occumbant inimici. » Et sic transacto bello, partaque victoria beneficio Spiritus, refert coronas victoriales cum plena fiducia, et ita requiescit cum cœlesti Rege. Cui gloria et potentia in sæcula. Amen.

HOMILIA XXIV.

Status Christianorum similis est mercaturæ et fermentationi. Perinde enim ac mercatores terrena colligunt luem; sic illi dispersas per hoc sæculum cogitationes. Et quemadmodum fermentum totam massam reddit fermentatam; sic fermentum peccati universum genus Adæ percurrit. Verum Christus cœleste bonitatis fermentum fidelibus animis infundit.

1. Similes sunt Christiani mercatoribus, qui ingentem

[1] Ephes. VI, 14.

quæstum ex mercatura faciunt. Quemadmodum enim hi e terra terrena colligunt lucra; eodem modo illi cordis sui dispersas cogitationes per hoc sæculum, omnium virtutum beneficio, ac vi Spiritus sancti, colligunt ex universa terra, quæ est maxima ac vera negotiatio. Mundus enim hic mundo superiori adversatur; et sæculum hoc sæculo superiori oppositum est. Oportet igitur Christianum secundum sacras Litteras mundum abnegantem transferri, ac mente transcendere ex hoc sæculo, in quo versatur animus, ac illecebris allicitur a tempore transgressionis Adæ in alterum sæculum, et intellectu in superiori ac divino mundo versari : sicut dictum est : « Nostra autem conver» satio in cœlis est[1]. »

II. Hoc autem nullo modo obtineri potest, nisi anima crediderit ex toto corde Domino, hoc sæculum abnegans : et virtus divini Spiritus colligere potest cor per universam terram dispersum ad dilectionem Domini, et in mundum æternum intellectum traducere. A tempore enim transgressionis Adæ, dispersæ sunt a dilectione Dei cogitationes animæ per hoc sæculum, commixtæ crassis ac terrenis cogitationibus. Verum quemadmodum Adam transgressus mandatum, fermentum malitiosarum affectionum in se recipit : sic quoque participatione quadam, qui ex eo nati sunt, ac universum genus Adæ illius fermenti particeps factum est; cæterum postea pro ratione incrementi in tantum excreverunt, et adauctæ sunt in hominibus affectiones peccati, ut ad adulteria usque, libidines, idololatrias, cædes, et alia absurda devenerint, donec vitio fermentata esset humanitas. Et in tantum excrevit in hominibus malum, ut putarent neque Deum esse; verum inanimatos lapides adorarent, neque intellectu quidem Deum com-

[1] Philip. III, 20.

Digitized by Google

prehendere possent, tam alte conspersérat fermentum malitiosarum affectionum veteris Adæ progeniem.

III. Eodem modo placuit Domino in adventu suo pati pro omnibus, et redimere eos proprio sanguine, et fermentum cœleste bonitatis infundere fidelibus animabus sub jugum peccati redactis : et ita promotione, ac incremento omnem justitiam mandatorum, omnesque virtutes in eis complere, donec fermentarentur in unum in bono, et fierent « Cum Domino unus Spiritus [1], » juxta dictum Pauli, ita ut malitia, ac nequitia, ne pervenire quidem possit ad cogitationem animæ, Spiritu divino plane ac penitus fermentatæ, ut dictum est : « Charitas non cogitat malum [2], » et quæ sequuntur. Absque fermento vero cœlesti, quod est virtus divini Spiritus, fermentari bonitate Domini, et ad vitam pervenire animam, prorsus non potest. Sicut nec genus Adæ ad tantam malitiam, ac nequitiam converti poterat, nisi malitiæ fermentum, quod est peccatum, et facultas quædam animi Satanæ intellectiva, cum subintrasset.

IV. Quemadmodum enim, si quis farinam subigat, nec fermentum injiciat, quantopere videatur elaborare, invertere ac operari, fermenti expers est massa, et ad esum minus commoda. Ubi vero injiciatur fermentum, trahit ad se totam farinæ massam, redditque totam fermentatam; sicut et Dominus regnum assimilavit, dicens : « Simile est » regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abs» condit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur to» tum [3]. » Aut veluti, si quis carnes habeat, earumque conservandarum diligentem curam suscipiat, non condiat autem sale, qui vi vermes interimendi, et graveolentiam abolendi valet, illæ carnes graviter olent, ac putrefiunt, at-

[1] 1 Cor. VI, 17. — [2] Id. XIII, 7. — [3] Matth. XIII, 33, et Luc. XIII, 21.

Digitized by Google

que inutiles hominibus fiunt. Eodem modo, statuas mihi omnem humanitatem carnem esse, aut massam fermenti expertem; sal autem ac fermentum ex altero sæculo intelligas esse, divinam scilicet naturam Spiritus sancti. Nisi ergo permixtum, et immissum fuerit in humiliatam naturam hominum ex illo sæculo, et ex illa patria, cœleste Spiritus fermentum, sanctumque ac bonum Divinitatis sal, non exuet anima graveolentiam malitiæ, nec fermentabitur, ita ut deponat gravitatem, et vacua sit a fermento malitiæ.

V. Quæcumque enim videtur anima per se agere, elaborare, atque perficere, solis viribus suis freta, et existimans se posse perfectum opus a se ipsa, absque auxilio Spiritus peragere, toto cœlo aberrat. Non enim idonea est ad locos cœlestes, nec idonea ad regnum, quæ a se ipsa, et per se solam, absque Spiritu sancto, existimat, perfectam puritatem efficere. Nisi enim ad Deum accesserit, qui affectionibus affligitur homo, et mundum abnegaverit, ac in spe ac patientia crediderit, se suscepturum quoddam bonum aliud a sua natura, quod est virtus sancti Spiritus; ac desuper instillaverit animæ Dominus vitam divinam, is nequaquam veram vitam percipiet, neque resipiscet ab ebrietate materiæ; nec fulgebit splendor Spiritus in anima obtenebrata, aut illuminabit in ea sanctam diem, nec a somno profundissimo ignorantiæ excitabitur, ut hoc modo revera Deum cognoscat per virtutem Dei et efficaciam gratiæ.

VI. Nisi enim sic dignus habeatur homo per fidem gratiam consequi, inutilis est, nec aptus ad regnum Dei. Rursum vero, qui consecutus est gratiam Spiritus, nec ulla parte aversus gratiam contumelia afficit per negligentiam, aut delictum: et sic qui quovis tempore dimicans non contristat Spiritum, poterit æternæ vitæ particeps fieri. Quemadmodum enim quis sentit operatio-

Digitized by Google

nes malitiæ ex ipsis affectionibus, ira, inquam, concupiscentia, invidia, torpore, ac pravis cogitationibus, et reliquis absurditatibus: sic sentire quoque debet gratiam et virtutem Dei in virtutibus, dilectione, inquam, benignitate, bonitate, gaudio, simplicitate, et exultatione divina, ut assimilari possit, ac permisceri cum bona ac divina natura, cum benigna, ac sancta gratiæ efficacia. Intentio vero profectu ac incremento probata temporis successu, et opportunitate, si gratiæ semper unita et grata inventa fuerit, tota prorsus promovendo fit spiritualis, ac deinceps sancta, et pura per Spiritum effecta, regno digna efficitur. Gloria, et adoratio incontaminato Patri, et Filio, et Spiritui sancto, in sæcula. Amen.

HOMILIA XXV.

Docet hæc homilia nullum hominem, nisi a Christo corroboratum, scandala nequissimi superare posse: et quid iis, qui divinam gloriam appetunt, agendum. Docet quoque nos per inobedientiam Adæ ad servitutem carnis redactos esse, a qua per mysterium crucis liberamur. Instruit denique nos magnam esse lacrymarum, et ignis divini efficaciam.

I. Quibus inest divina lex, non atramento, aut litteris scripta, sed in cordibus carneis plantata, hi oculis intellectus illuminati, perpetuoque desiderio capti non sensibilis aut visibilis spei, sed invisibilis et intellectualis, superare nequissimi scandala possunt, per invictam tamen virtutem,

Digitized by Google

Qui vero verbo Dei ornati non sunt, nec divina lege instituti, frustra inflati, existimant ex proprio libero arbitrio se abolituros occasiones peccati, quod per solum crucis mysterium condemnatur. Illa enim libera voluntas, quæ in hominis facultate est, in eo, ut diabolo nimirum reniti possit, sita est, non autem, ut possit omnino imperium tenere in affectus. « Nisi enim Dominus ædificaverit, inquit, domum, et custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit, et frustra laborat, qui ædificat[1]. »

II. Impossibile est enim eum incedere super aspidem et basiliscum, et conculcare leonem ac draconem, qui prius, quantum in viribus hominis est, se non expurgarit, nec corroboratus fuerit ab eo, qui dicit Apostolis : « Ecce do » vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, » et super omnem virtutem inimici[2]. » Si enim valuisset humana natura, absque universa armatura Spiritus sancti, stare adversus insidias diaboli, non sane dictum fuisset ab Apostolo : « Deus autem pacis conteret Satanam sub pedi» bus vestris brevi[3]. » Et iterum : « Quem Dominus interfi» cict spiritu oris sui[4]. » Propterea quoque jussi sumus Deum obsecrare, « Ne inducas nos in tentationem, sed » libera nos a malo[5]. » Nisi enim præstantioris auxilii ope liberati ab ignitis telis nequissimi, consequi digni habeamur adoptionem filiorum, frustranea est conversatio nostra, ut qui procul a virtute Dei absimus.

III. Quicumque ergo cupit particeps fieri divinæ gloriæ, ac velut in speculo Christi imaginem, in principe animi sui facultate, contemplari, debet insatiabili dilectione, et inexplebili desiderio, ex toto corde et viribus, noctu diuque inquirere potentissimum Dei subsidium ; quod quidem consequi impossibile est, nisi, ut antea diximus, abstineat

[1] Psal. CXXVI, 1. — [2] Luc. X, 19. — [3] Rom. XVI, 20. — [4] 2 Thess. II, 8. — [5] Matth. VI, 13.

Digitized by Google

quis prius ab illecebris hujus mundi, ac concupiscentiis adversariæ potestatis, quæ lucis est expers, et effectrix inquitiæ est, ad bene agendum minime apta, ac prorsus exclusa. Quocirca si discere desideres, qua de causa, cum essemus in honore creati, et in paradiso constituti, tandem comparati simus cum insipientibus jumentis, et illorum similes facti, et excidimus ab incontaminata gloria, scito, quod cum per inobedientiam servi affectionum carnis effecti essemus, exclusimus nos ipsos a beata regione viventium, et in captivitatem redacti, adhuc juxta flumina Babylonis sedemus: et eo, quod adhuc in Ægypto detinemur, nondum hæreditario jure possidemus terram promissionis, fluentem lacte et melle. Nondum subacti sumus in fermento sinceritatis, sed adhuc in fermento malitiæ degimus. Nondum est aspersum cor nostrum sanguine Dei; adhuc enim laqueus inferni, et hamus malitiæ illi infixus est.

IV. Nondum accepimus exultationem super salute Christi: adhuc enim aculeus mortis radices in nobis infixas habet. « Nondum induimus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in sanctitate: quia nondum » exuimus veterem hominem, qui perit secundum desideria » fraudis[1]. Nondum gestantes imaginem cœlestis, consormes » gloriæ illius facti sumus. Nondum adoravimus in » Spiritu et veritate Deum, eo, quod dominetur peccatum » in mortali nostro corpore[2]. » Nondum contemplati sumus gloriam ejus qui incorruptibilis est; adhuc enim ab illuni nocte agitamur. Nondum induimus arma lucis; quia nondum exuimus arma, tela, et opera tenebrarum. Nondum transformati sumus per mentis renovationem: adhuc enim configuramur huic sæculo per mentis vanitatem. « Nondum

[1] Ephes. IV, 22 et 24. — [2] 1 Cor. XV, 49. Rom. VIII, 29. Joan IV, 24, et Rom. VI, 12.

Digitized by Google

» cum Christo glorificati sumus; quia non compatimur illi. » Nondum stigmata illius in corpore nostro gestamus[1], » versantes in mysterio crucis Christi : adhuc enim carnalibus affectionibus et concupiscentiis obnoxii sumus. « Non- » dum Dei hæredes, et cohæredes Christi facti sumus[2] : » Spiritus enim servitutis in nobis adhuc existit, et non adoptionis. « Nondum facti sumus templum Dei, et habita- »culum Spiritus sancti[3]; » sumus enim adhuc templum idolorum, et receptaculum spirituum malitiæ, propter impetum animæ ad affectiones.

V. Revera enim morum simplicitatem, animique lucem nondum consecuti sumus. Nondum digni sumus habiti sincero et intellectuali lacte, et intellectus incremento. Nondum illuxit nobis dies, neque lucifer in cordibus nostris ortus est. Nondum permixti sumus Sole justitiæ, nec adhuc illius radiis fulgemus. Nondum accepimus Domini similitudinem, « Nec participes divinæ naturæ facti sumus[4]. » Nondum facti sumus sincera purpura regia, nec genuina imago Dei. Nondum sauciati sumus amore divino, nec percussi spirituali charitate Sponsi. Nondum ineffabilem societatem cognovimus, neque vim et pacem, quæ in sanctificatione est, cognovimus. Et ut breviter omnia complectens dicam, « Nondum sumus genus electum, regale sacerdotium, gens » sancta, populus, qui acquirat possessionem[5] : quia adhuc » sumus serpentes, ac progenies viperarum[6]. »

VI. Quo pacto vero non serpentes sumus, qui in obedientia Dei necdum quidem reperimur, sed adhuc in inobedientia per serpentem inducta? Quapropter quo pacto satis digne lugeam calamitatem, non invenio, et quo pacto lacrymis effusis clamare debeam ad eum, qui potest errorem in me habitantem abigere, ignoro? Quo pacto vero

[1] Galat. VI, 17. — [2] Rom. VIII, 17. — [3] 1 Cor. III, 16. — [4] 2 Petr. I, 4. — [5] 1 Petr. II, 9. — [6] Matth. III, 7.

Digitized by Google

cantabo canticum Domini in terra aliena? Quo pacto lugebo Jerusalem? Quo pacto effugiam duram servitutem Pharaonis? Quo pacto relinquam obscœnum incolatum? Quo pacto abnegabo diram tyrannidem? Quo pacto egrediar e terra Ægypti? Quo pacto transibo rubrum mare? Quo pacto peragrabo ingens desertum? Quo pacto non peream, morsus a serpentibus? Quo pacto vincam alienigenas? Quo pacto delebo gentes apud me habitantes? Quo pacto suscipiam in tabulis meis eloquia divinæ legis? Quo pacto intuebor veram columnam lucis ac nubis a Spiritu sancto profectæ? Quo pacto vescar manna æternarum deliciarum? Quo pacto bibam aquam ex petra vivifica? Quo pacto transmisso Jordane ingrediar bonam terram promissionis? Quo pacto videbo principem exercitus Domini, quem contemplatus Jesus filius Nave, in genua provolutus continuo adoravit?

VII. Nisi enim in his omnibus versatus delevero habitantes in me gentes, nequaquam ingressus requiescam in sanctuario Dei, nec particeps fiam gloriæ regis. Quapropter contende diligenter, ut inculpatus filius Dei evadas, et illam requiem ingrediaris, quo præcursor Christus pro nobis introiit. Contende, ut describaris in Ecclesia cœlesti cum primogenitis, quo reperiaris in dextra magnificentiæ Altissimi. Contende, ut ingrediaris sanctam civitatem, pacis plenam, et supernam Jerusalem, ubi etiam est paradisus. Admirandis enim, ac beatis speciminibus his non aliter dignus reputabere, nisi lacrymas noctu diuque effundas, secundum eum qui dicit: « Lavabo per singulas » noctes lectum meum, in lacrymis meis stratum meum » rigabo[1]. » Non enim ignoras, quod, « Qui seminant in la- » crymis, in exultatione metent[2]. » Propterea fidenter inquit Propheta: « Lacrymas meas non silens[3]. » Et iterum:

[1] Psal. VI, 7. — [2] Id. CXXV, 5. — [3] Id. XXXVIII, 13.

Digitized by Google

«Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, sicut et in »promissione tua[4]. » Et illud : «Fuerunt mihi lacrymæ »meæ panis die ac nocte[2]. » Et in alio Psalmo : » Potum »meum cum fletu miscebam[3]. »

VIII. Lacryma enim illa, quæ revera ex summa contritione et angustia cordis effunditur, in agnitione veritatis, et cum ardore viscerum, cibus est animæ ex cœlesti pane comparatus : cujus maxime particeps fuit Maria, quæ sedit juxta pedes Domini, plorans, vel ipsius Salvatoris testimonio. Inquit enim : «Maria optimam partem elegit, »quæ non auferetur ab ea[4]. » O pretiosas margaritas illas, in defluxione beatarum lacrymarum! O rectum illum et obsequiosum auditum! O fortem, ac sapientem animum! O acumen Spiritus Domini, amoris erga sponsum incontaminatum vehementer affecti! O stimulum desiderii animæ erga Deum Verbum! O arctam societatem sponsæ erga Sponsum cœlestem!

IX. Imitare hanc, o fili, imitare inquam, nihil aliud intuens præter eum solum, qui dixit : «Ignem veni mis»surus in terram, quid volo, si jam accensus est[5]? » Est enim ardor Spiritus vivificans et accendens corda. Quapropter immaterialis et divinus ille ignis illuminat animas, et probare consuevit eas, velut aurum non adulteratum in camino : vitium vero consumit, veluti spinas et stipulam. «Deus enim noster ignis consumens est, infli»gens ultionem iis in flamma ignis, qui non noverunt »eum, et qui non obtemperant Evangelio[6]. » Hic ignis in Apostolis vim suam exercuit, quando loquebantur linguis igneis[7]. » Hic ignis per vocem Paulum splendore ac lumine circumfudit[8], mentem quidem illius illuminavit,

[1] Psal. LV, 9. — [2] Id. XLII, 4. — [3] Id. CI, 10. — [4] Luc. X, 42. — [5] Id. XII, 49. — [6] Deut. IV, 24. Hebr. XII, 29. 2 Thes. I, 8. — [7] Act. II, 4. — [8] Id. IX, 3, et seqq.

Digitized by Google

sensum autem visus ejus hebetavit. Neque enim sine carne vidit luminis illius virtutem. Hic ignis Mosi apparuit in rubo[1]. Hic ignis in specie currus Eliam a terra rapuit[2]. Hujus ignis efficaciam inquirens beatus David dixit : « Proba me, Domine, et tenta me. Ure renes meos, et cor » meum[3]. »

X. Hic ignis cor Cleophæ ac socii ejus inflammabat, cum loqueretur Salvator cum illis post resurrectionem[4]. Unde quoque Angeli et administratorii spiritus splendidi hujus ignis participes sunt, secundum id, quod dictum est : « Qui facit Angelos ejus spiritus, et ministros suos ignem » ardentem[5]. » Hic ignis trabem interioris oculi consumens, purum reddit animum, ut recepta naturali facultate videndi, conspiciat perpetuo mirabilia Dei, secundum eum, qui inquit : « Revela oculos meos, et considerabo mira » bilia de lege tua[6]. » Hic itaque ignis fugat dæmones, tollit peccata, resuscitandi vim habet; hic immortalitatem operatur, sanctas animas illuminat, et facultates rationales firmat. Hunc ignem obsecremus ad nos quoque pervenire, ut perpetuo in lumine ambulantes, nunquam vel tantisper offendamus ad lapidem pedes nostros, sed velut luminaria in mundo apparentia, verbum æternæ vitæ retineamus, ut bonis divinis fruentes cum Domino in vita requiescamus, glorificantes Patrem et Filium, et Spiritum sanctum, cui gloria in sæcula. Amen.

[1] Exod. III, 2. — [2] 2 Reg. II, 11. — [3] Psal. XXV, 2. — [4] Luc. XXIV, 32. — [5] Psal. CIII, 4, et Hebr. I, 7. — [6] Psal. CXVIII, 18.

Digitized by Google

HOMILIA XXVI.

De dignitate, præstantia, facultate et operationibus immortalis animæ, et qua ratione ea a Satana tentetur, et liberationem e tentationibus consequatur. Continet vero quæstiones quasdam summa doctrina refertas.

I. Ne leviter intellectivam animæ substantiam perpendas, dilecte. Pretiosum quoddam vas est immortalis anima. Vide quantum cœlum, et quanta terra, nec tamen delectatus est illis Deus, sed solum te! Conspice dignitatem et nobilitatem tuam, nempe non per Angelos, sed in sua ipsius persona venisse Dominum ad legationem pro te obeundam, ut te perditum ac vulneratum revocaret, et restitueret tibi primam formationem puri Adæ. Homo enim Dominus erat omnium a vertice cœli ad ima usque, præditus facultate discernendi affectiones, alienus a dæmonibus, purus a peccato et vitiis, ac similitudo Dei: per transgressionem vero periit, ac vulneratus et morti traditus est. Obfuscavit enim mentem Satanas; aliqua ex parte ita se habet, aliqua ex parte vivit, discernit, ac voluntatem habet.

INTERROGATIO.

II. *Nonne Spiritu sancto adveniente, naturalis quoque concupiscentia extirpatur una cum peccato?*

Digitized by Google

RESPONSIO.

Antea dixi peccatum simul eradicari, hominemque recipere primam formationem puri Adæ. Hic quidem per virtutem Spiritus, ac regenerationem spiritualem progreditur ad gradum perfectionis Adami primi, fitque præstantior eo: siquidem in deorum numerum refertur homo.

INTERROGATIO.

III. *Utrum Satanas ad certum modum immittatur, an pro lubitu belligeret?*

RESPONSIO.

Impetus ejus non solum adversus Christianos, sed etiam adversus idololatras, atque universum mundum fertur. Si ergo concederetur ei pro lubitu bellum gerere, omnes equidem deleret. Qui hoc? nempe quod opus ac desiderium ejus in hoc versetur. Quemadmodum autem figulus vasa missurus in fornacem, eam moderate succendit, non intensius, ne cocta plus, quam decet, elidantur; nec remissius, ne si cruda existant, dispereant ac dissolvantur. Itidem si argentarius, et aurifaber ad certum modum ignem mittit; si enim abundet ignis, solvitur aurum et argentum, liquefit ac perit. Itidem si humana mens novit certo quodam modo imponere onera jumento, camelo, aut alii cuidam animali, quatenus servata proportione onera ferre potest: quanto magis Deus, qui novit vasa hominum, immittit adversariam potestatem variis modis?

IV. Quemadmodum vero terra, quamvis sit una, hæc quidem est saxosa, illa vero pinguis: et alia quidem est

Digitized by Google

idonea ad plantationem vineæ; alia vero ad seminandum frumentum, aut hordeum; ita varia sunt hominum corda, atque voluntates; eodem quoque modo dona desuper conferuntur: huic quidem donatur administratio verbi, illi vero discretio, alii donum conferendi sanitatem. Novit enim Deus, quo pacto quis dispensare possit, atque ea ratione confert diversa dona. Similiter quoque ad bella certo quodam modo pro viribus hominis suscipienda ac sustinenda, ad hunc modum immittitur illis adversaria potestas.

INTERROGATIO.

V. *Utrum, qui accipit divinam virtutem, ac in parte mutatur, in natura sua permanet?*

RESPONSIO.

Ut voluntas post acceptam quoque gratiam probetur, quo tendat, cuive consentiat, natura remanet eadem, durus in duritie, et levis in levitate. Contingit vero plebeium quempiam regenerari spiritualiter, ac mutari in sapientem, et eidem revelari occulta mysteria, qui natura tamen plebeius est. Alius durus natura, applicat voluntatem suam ad cultum divinum, quem acceptat quoque Deus; remanet vero natura ejus in sua duritie, isque Deo placet. Alius est moribus benignis, æquus, bonus; offert se ipsum Deo, ac recipit eum Dominus; eo vero, qui non perseverat in bonis operibus, non delectatur; siquidem universa natura Adæ mutabilis est tum in bonum, tum in malum; capax quidem mali, quod tamen, si velit, in effectum non deducit.

VI. Quemadmodum est membrana litteris consita, in

Digitized by Google

qua varie, ut volueris, scripseris, ac rursus obliteraveris; capit enim membrana quamcumque scripturam : sic etiam durus voluntatem suam contulit in Deum, conversus est ad bonum, susceptus est a Deo. Deus enim, ut intima amoris viscera demonstraret, omnes recipit, omnemque voluntatem. Apostoli quamcumque civitatem ingrediebantur, morabantur in ea aliquantum temporis, et ex male affectis quosdam sanabant, quosdam vero non. Exoptabant vero ipsi Apostoli cunctos eorum mortuos in vitam postliminio revocare, et male habentes ad sanitatem perducere; verum voluntas eorum non per omnia implebatur. Non enim dabatur eis, quæcumque volebant, peragere. Similiter Paulus, cum detineretur a præfecto gentis [1], si voluisset gratia, qua præditus erat, fecisset præfectum illum gentis, atque murum dirumpi, et effringi, quippe qui homo erat Paracleto repletus; verum per sportam dimittitur Apostolus. Et ubi virtus divina, qua præditus erat? Hæc cum dispensatione fiebant, ut quibusdam in rebus miracula ac signa ederent ipsi, in aliquibus minus possent : ut in hisce discerneretur fides credentium, et non credentium, liberumque arbitrium probaretur, ac manifestaretur, num quidam ob ipsorum in quibusdam infirmitatem offensionem paterentur, nec ne. Si enim quæcumque volebant, fecissent Apostoli, vi quadam necessaria compulissent homines ad cultum divinum, per miracula, et liberam potestatem, nec amplius fides fuisset, aut infidelitas. Christianorum cultus enim lapis est offensionis, et petra scandali.

VII. Verum quod de Jobo scriptum est, non leve, aut omnino nullum est, quomodo nimirum Satanas eum expetiverit. Non enim potuit sine permissu a se ipso quidquam facere. Verum quid dicit Domino diabolus? « Da mihi

[1] Act. IX, 24.

Digitized by Google

» illum in manus, nisi in faciem tibi benedixerit [1]. » Hoc itaque modo nunc est idem Job, idem Deus, et idem diabolus. Eo ipso ergo momento, quo consecutus erat Domini auxilium et promptus erat et fervidus gratia expetebat illum Satanas, dicens Domino : « Quia juvas illum, » et succurris illi, servit tibi : relinque illum, et trade » mihi, nisi in faciem tibi benedixerit. » Superest ut, quia consolatione reficitur anima, gratia se subducat, atque anima tentationibus tradatur. Accedit ergo diabolus, inferens infinita mala, desperationem, abrenuntiationem, cogitationes pravas ; affligens animam, ut emolliat et abalienet eam a spe in Deum concepta.

VIII. Prudens autem anima hisce malis atque afflictionibus obruta, non desperat, sed tenet quod tenet : ac quæcumque ei illata fuerint per infinitas tentationes tolerat, inquiens : « Etiamsi moriar, ab eo non deficiam : » et tum, si sustineat homo usque ad finem, incipit Dominus disputare cum Satana : « Vides quanta mala, quantasque » afflictiones intuleris illi, nec paruit tibi : sed mihi servit ac me metuit. » Tum pudore suffusus Satanas, quod dicat ultra non habet. Quantum enim ad Jobum, si novisset, eum in tentationes illapsum, constanter perlaturum esse, nec superatum iri, non certe expetivisset eum, ne pudore afficeretur. Sic quoque nunc propter eos, qui perferunt afflictiones ac tentationes, confunditur Satanas, ac pœnitentia ducitur, quod nihil effecerit. Incipit enim Dominus eum sic alloqui : « Vide, permisi tibi eum » tentare, numquid præstitisti? numquid obtemperavit » tibi?

[1] Job. II, 12.

Digitized by Google

INTERROGATIO.

IX. *An utique cunctas hominis cogitationes et consilia novit Satanas?*

RESPONSIO.

Si homo, qui cum homine conversatur, novit quæ sunt ejus, et tu natus annos viginti novisti ea, quæ sunt proximi, numquid ergo Satanas ipse, qui a nativitate tibi conversatur, ignorat cogitationes tuas? Sexies enim mille annorum ætatem habet. Nec dicimus eum, prius quam tentet hominem, nosse quid facturus sit. Tentat enim tentator, non tamen cognitum habet, an obtemperaturus sit, nec ne, donec voluntatem servam ei tradat anima. Neque item dicimus cunctas cogitationes cordis et desideria nosce diabolum. Perinde enim ac si sit arbor, quæ multos ramos habeat, ac multa membra : ita quoque sunt quidam rami cogitationum, et consiliorum, quos comprehendit Satanas; sunt vero aliæ cogitationes et consilia, quæ a Satana non comprehenduntur.

X. In quadam enim re prævalet pars nequitiæ, ad generandum cogitationes; rursus in quadam re cogitatio hominis superior evadit, acceptoque auxilio, ac redemptione a Deo, contradicit malitiæ, quadam in re succumbit, et quadam in re voluntatem habet. Interdum enim accedit ad Deum fervens, scitque Satanas, ac videt eum sibi repugnare, nec tamen reprimere potest hominem. Qui hoc? Quia habet voluntatem clamandi ad Deum, habet fructus naturales, ut scilicet diligat Deum, ut credat, ut requirat, et ad eum accedat. In rebus enim externis visui subjectis, agricola terram exercet; sic quoque in re spirituali omnes res sub duabus personis intelliguntur. Oportet ergo homi-

Digitized by Google

nem dedita opera et consulto excolere terram cordis sui, et laborare. Requirit enim Deus laborem, fatigationem, ac operationem ab homine : verum nisi desuper apparuerint nubes cœlestes, ac pluviæ gratiæ, nihil proderit agricolæ labor.

XI. Hoc autem est indicium christiani cultus, quantos quis labores sustinuerit, et quantas justitias peregerit, ac si nihil effecisset, ita se gerere, et ubi quis jejunaverit, dicere : « Non jejunavi; » ubi precatus fuerit : « Non sum precatus : » ubi in oratione perseveraverit, « Non perseveravi, nunc adhuc incipio me exercere ac elaborare. » Et licet justus sit apud Deum, debet dicere : « Non sum justus, neque laboro, sed incipio quotidie. » Cæterum per singulos dies habere debet spem, gaudium, ac fiduciam de futuro regno ac redemptione, dicens : « Si hodie non » liberatus sum, cras liberabor. » Quemadmodum enim, qui plantat vineam, prius quam suscipiat laborem, spem fovet apud se ac gaudium, adumbratque in mente sua vindemias, atque supputat reditus, nondum nato vino : et hac ratione laborem aggreditur. Spes enim atque expectatio reddunt illum alacrem ad laborandum, et tandiu e re familiari magnos expendit sumptus. Itidem qui ædificat domum, aut terram excolit, primum de suo multa erogat, propter conceptam spem futuri reditus : eodem modo res hic se habet, nisi quis præ oculis habuerit gaudium ac spem, videlicet, « Consecuturus sum redemptionem ac vitam, » non poterit sustinere afflictiones, neque onus, nec angustam viam suscipere. Spes enim ac gaudium, si eum comitentur, efficiunt ut ipse laboret, ac perferat tribulationes, atque onus, et angustam viam suscipiat.

XII. Quemadmodum autem nonnisi summa cum difficultate, torris effugit ignem; sic quoque nec anima ignem mortis, nisi summo cum labore. Cæterum sæpenumero

Digitized by Google

Satanas, velut sub prætextu bonarum cogitationum, scilicet, « Ex eo potes placere Deo, » suggerit animæ, ac furtim deducit eam ad levia, atque in speciem probabilia consilia : et illa clam deducta nescit discernere, atque sic incidit in laqueum et exitium diaboli. Præcipua vero et maxime opportuna athletæ et decertantis arma sunt hæc, ut ex intimis penetralibus cordis bellum gerat adversus Satanam, odio prosequatur se ipsum, abneget animam suam, irascatur ei atque reprehendat eam, insitis cupiditatibus renitatur, reluctetur cogitationibus, atque pugnet secum.

XIII. Quod si exterius custodias corpus tuum a corruptione et stupro; intus autem adulterium aut stuprum committas in cogitationibus tuis, adulter es apud Deum, nec prodest tibi quidquam, quod corpus habeas virgineum. Quemadmodum si sit adolescentula ac juvenis, qui fraudulentis istam verborum illecebris illectam corrumpat; illa postmodum execrabilis fit sponso, eo quod adulterium commiserit : sic quoque anima incorporea, si societatem cum serpente, in interioribus animi recessibus abdito, spiritu nimirum pravo, incat, adulteratur ante Deum. Itaque scriptum est : « Omnis qui viderit mulierem, » ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde » suo [1]. » Est enim stuprum quod corpore perficitur : est quoque stuprum animæ cum Satana participantis. Eadem enim anima socia est et soror aut dæmonum, aut Dei et Angelorum ; quæ vero adulterium committit cum Satana, minus commoda est cœlesti Sponso.

INTERROGATIO.

XIV. *Utrum quiescit interdum Satanas, et homo liberatur a bello, aut quandiu vivit, bello infestatur ?*

[1] Matth. v, 28.

Digitized by Google

RESPONSIO.

Satanas nunquam cessat a bello gerendo, quandiu vivit aliquis in hoc sæculo, ac quandiu carnem gestat, bello lacessitur. Verum ubi tela nequissimi ignita fuerint extincta, in quo posthac illic lædere possit hominem? Licet venerit Satanas in judicium? Est aliquis amicus regis, et habet controversiam cum adversario; cum ergo regem habeat sibi propitium ac benignum, qui suppetias ferat illi, nullatenus lædetur. Ubi enim quis, omnes ordines ac gradus trangressus, regis amicus evaserit, hic posthac a quonam aut qua in re offendetur? In rebus conspicuis sunt civitates, quæ dona et annonas accipiunt; si ergo in munere obeundo pauxillulum erogent, nullam jacturam faciunt, cum tanta accipiant ac suscipiant a rege. Sic quoque Christiani, licet bello petantur ab hoste, divertunt tamen ipsi ad Divinitatem, atque induunt virtutem ac requiem ex alto, nec sunt quidquam solliciti de bello.

XV. Quemadmodum enim Dominus induit corpus, relinquens omnem principatum ac potestatem; eodem quoque modo Christiani induuntur Spiritu sancto, et requie fruuntur. Quod si quoque bellum exterius ingruat, ferit Satanas, verum ipsi interius virtute Domini muniti sunt, nec de Satana sunt solliciti. Sicut ille in deserto tentavit Dominum quadraginta dies[1], quid illi nocuit, quod exterius aggressus est corpus illius? Intus enim Deus erat. Sic quoque Christiani, licet exterius tententur, interius nihilominus Divinitate referti sunt, nec ullo damno injuriave afficiuntur. Hos gradus autem si quis consecutus est, ille ad perfectam dilectionem Christi, et plenitudinem Divinitatis, pervenit. At qui non est ejusmodi, adhuc interius

[1] Matth. IV, 1, et seqq.

Digitized by Google

bellum sustinet: hora quadam delectatur oratione, alia vero hora in afflictione ac periculo consistit; ita enim vult Dominus; cum enim adhuc sit infans, exercet illum ad prælium, ac duæ personæ interius scaturiunt, lumen et tenebræ, quies et afflictio: precantur in quiete, alia vero hora in perturbatione consistunt.

XVI. Non audis, quid ait Paulus: « Si habuero omnia » dona; si tradidero corpus meum, ut comburar; si linguis » Angelorum loquar, charitatem autem non habuero, nihil » sum [1]. » Siquidem hæc dona exhortatoria sunt: et qui in his consistunt, quamvis in luce sint, tamen infantes sunt. Multi enim fratres ad hos gradus pervenerunt, ac habuerunt dona sanationum, revelationem ac prophetiam; quoniam autem ad perfectam charitatem non pervenerunt, in qua « Vinculum est perfectionis [2], » prosiliit in eos bellum, quod cum negligerent, occubuerunt. Si vero quis pervenerit ad perfectam charitatem, hic postea devinctus ac captivatus est a gratia. Sin quis paululum ad gradum gratiæ appropinquaverit, nec dum eo pervenerit, ut a charitate devinciatur, talis adhuc est sub jugo timoris, belli ac casus, et nisi muniatur, projicit eum Satanas.

XVII. Hoc enim pacto permulti a gratia, qua exornati erant, aberrarunt. Existimantes se consecutos esse perfectionem, et dicebant: « Sufficit nobis, non egemus; » cum tamen Dominus nec finem habeat, nec comprehendatur. Atque Christiani non audent dicere se comprehendisse, sed humiliati permanent die noctuque. In rebus oculorum aciei subjectis, litteræ perfectionem consequi nequeunt; et nemini hoc perspectum, nisi scholastico, qui mediocriter litteras addidicit; sic quoque se res hic habet, nulli comprehensibilis est Deus; nec mensionem ab ullo admittit, præterquam ab iis, qui gustarunt ex eo ipso, quem

[1] 1 Cor. XIII, 1. — [2] Coloss. II, 14.

susceperunt, atque agnoscunt imbecillitatem suam. In rus si quis itaque abeat, pauca sciens de litteris, ubi sunt plebeii; celebratur tamen ab illis scholasticus ille; siquidem rustici sunt plane, nec dijudicare sciunt. Ipse vero qui paucas didicit litteras, si proficiscatur in urbem, ubi sunt oratores et scholastici, non audet in conspectum eorum prodire, nec proloqui; siquidem velut rusticus judicatur a scholasticis.

INTERROGATIO.

XVIII. *Si homo bello oppressus, et duplici persona in anima præditus, peccati videlicet et gratiæ, transferatur ex hoc mundo, quo pergit, a duabus partibus detentus?*

RESPONSIO.

Illuc, ubi intentionem suam habet animus, et ubi diligit, illuc inquam tendit. Solummodo, si ingruat afflictio aut bellum, contradicere debes, ac odio prosequi. Ut enim ingruat bellum, tuum non est; odisse tamen, tuum est. Ac tum Dominus, conspecto animo tuo, quod dimices ac diligas eum ex tota anima, segregat mortem ab anima tua hora una: (non enim est ei hoc difficile,) et assumit te in sinum suum ac lucem. Eripit te momento horæ e faucibus tenebrarum, ac confestim transfert te in regnum suum. Deo enim horæ momento omnia peragere facile est, modo amore ei soli devinctus sis. Nam Deus indiget opera humana, quia socia Divinitatis est anima.

XIX. Et ut sæpe diximus parabolam coloni, qui laborat, ac semen terræ committit; debet desuper accipere pluviam; nisi enim nubes emerserint, ac venti flaverint,

Digitized by Google

nihi juvat labor agricolæ; nudum semen enim subjacet: hoc transfer ad res spirituales. Si sua solum in operatione perseveret homo, nec suscipiat quidquam a natura sua extraneum, non potest fructus dignos Domino reddere. Quid ergo est hominis operatio? Abrenuntiare, egredi ex hoc mundo, perseverare in oratione, vigilare, diligere Deum ac fratres: hoc proprium est ejus sustinere. Si vero sua solum operatione contentus sit, nec spem foveat aliud quippiam suscipiendi; neque venti Spiritus sancti animam afflaverint; vel emerserint nubes cœlestes, ac descenderit e cœlo pluvia, et irriget animam, nequit homo fructus dignos reddere Domino.

XX. Scriptum itaque est: « Agricola cum viderit palmitem, ferentem fructum, purgat eum; ut copiosiorem fructum afferat: at non ferentem fructum evellit, et comburendum tradit[1]. » Verumtamen hoc hominem decet, ut, sive jejunet, sive vigilet, sive precetur, sive boni quid faciat, cuncta Domino ascribat, his verbis usus: « Nisi Deus corroborasset me, non potuissem jejunare, aut precari, aut ex hoc mundo egredi. » Sicque Deus bona animi tui intentione conspectu, nimirum te ea, quæ naturali instinctu peragis, Deo ascribere, ipse vicissim sua, spiritualia nempe, divina et cœlestia, tibi hæc largitur (4): quæ vero sunt illa? fructus Spiritus, exultatio et lætitia.

INTERROGATIO.

XXI. *Verum cum fructus naturales sint horum similes, fides nimirum et precatio, edissere nobis, quomodo se habeant naturalia, et quomodo spiritualia?*

[1] Joan. xv, 2.

Digitized by Google

RESPONSIO.

Ea, quæ te ipso auctore agis, honesta quidem sunt, et Deo grata, sed non pura : velut, diligis Deum, verum minus perfecte; venit Dominus, confert dilectionem immutabilem, cœlestem scilicet. Precaris naturaliter, occupationibus ac variis cogitationibus distractus ; confert tibi Dominus precationem puram in Spiritu et veritate. In rebus, quæ oculis subjacent, terra ut plurimum ex se ipsa profert spinas ; colonus autem fodit, exercet diligenter ac seminat; spinæ tamen vel non satæ propullulant et multiplicantur, (postquam enim transgressus est, dictum est Adamo : « Tribulos et spinas producet tibi terra[1]. ») Denuo colonus exercet terram, effodit spinas, quæ nihilominus adhuc multiplicantur. Accipe hoc spiritualiter. Nam post transgressionem terra cordis producit spinas et tribulos : excolit homo, elaborat, adhuc tamen spinæ pravorum spirituum enascuntur. Deinde sanctus ille Spiritus suppetias fert imbecillitati humanæ, et Dominus mittit in terram cordis semen cœleste, atque excolit eam : quo semine jacto, adhuc tribuli et spinæ pullulant. Denuo ipse Dominus ac homo exercent terram animæ, et septem mali spiritus ac spinæ exoriuntur illic, et repullulant, donec adveniat æstas, et abundet gratia, ac desiccentur ab æstu solis spinæ enatæ.

XXII. Etsi enim negaitia adhæret naturæ, sic tamen dominatur ei, quæ habet pastum. Teneras enim herbas frumenti potest lolium suffocare; ingruente vero æstate ubi fructus exsiccati fuerint, nihil lædit lolium frumentum. Itaque si evenerit, ut sint triginta modii frumenti puri, vix illic permixtio lolii, velut aliquota sextarii pars

[1] Gen. III, 18.

Digitized by Google

apparebit; obruta sunt enim nimia copia frumenti : sic quoque in gratia, cum donum Dei et gratia abundaverit in homine, atque ditescat erga Dominum, adsit tamen aliqua in parte nequitia; nequit illa lædere hominem, neque vim ullam aut imperium in eum obtinet. Adventus enim Domini et providentia est propterea, ut in servitutem malitiæ redactos, eique obnoxios et subjugatos liberaret, ac peccati et mortis victores efficeret. Non debent ergo fratres admiratione duci, si a quibusdam affligantur, id fit, ut vindicentur a malitia.

XXIII. Etenim quondam Moses et Aaron, cum potirentur sacerdotio, multa pertulerunt. Caïphas autem, qui eorum cathedram tenebat, ipse persecutus est, et condemnavit Dominum : Dominus tamen sacerdotium reverenter habens, permisit illud fieri. Itidem Prophetæ a gente sua persecutionem passi sunt. Postea Mosen excepit Petrus, cui nova Ecclesia Christi ac verum sacerdotium commissum est. Jam enim est baptisma ignis et Spiritus, et circumcisio quædam in corde fit. Divinus enim et cœlestis Spiritus commoratur in mente. Verum neque hi perfecti, quandiu sunt in carne, carent sollicitudine propter arbitrii libertatem; sed metu percutiuntur; atque propterea tentari permittuntur. Ubi vero anima ad illam civitatem sanctorum pervenerit, tum demum absque afflictionibus et tentationibus vitam agere potest. Illic enim non amplius est sollicitudo, aut afflictio, aut labor, aut senectus, aut Satanas, aut bellum : sed requies, gaudium, lætitia et salus. In medio enim illorum est Dominus, qui appellatur Salvator, quod liberet captivos : appellatur medicus, quod cœlestem ac divinam medicinam conferat, et affectiones animæ curet : aliquatenus enim imperium in hominem obtinent illæ. Uno verbo autem ut dicam, Jesus

Digitized by Google

est Rex et Deus; Satanas autem tyrannus et princeps nequitiæ.

XXIV. Quod superest, Deus et Angeli ejus hominem illum volunt una secum domesticum reddere in regno : itidem diabolus et Angeli ejus exoptant eum sibi adjungere, et in suas partes pertrahere. Media igitur est anima inter duas hypostases, atque utram in partem postea inclinarit voluntas animæ, ejus fit propria, ejusque filius. Perinde autem, ac si mittat pater quispiam in regionem peregrinam filium suum, ubi occurrant ei in via bestiæ, atque conferat illi pharmaca et antidota; ut si adoriantur eum belluæ aut dracones, oblato pharmaco illa interficiat : eodem quoque modo vos omnem nervum intendite, ut accipiatis cœleste pharmacum, quod mederi potest, et antidotum est animæ ; ut ejus beneficio interimatis venenum emittentes bestias immundorum spirituum. Non est enim facile purum cor possidere, nisi multo cum certamine et labore, ut conscientiam et cor purum habeat homo, ut penitus evellatur nequitia.

XXV. Contingit enim gratia aliquem præditum esse, cujus tamen cor nondum sit purificatum. Et propterea ceciderunt qui lapsi sunt, eo quod non crediderunt, post acceptam gratiam adhærere illis fumum ac peccatum. Omnes vero justi per angustam atque afflictionis plenam viam usque ad finem Deo placuere. Abrahamus cum esset dives, tum secundum Deum, tum secundum mundum, » Terram ac pulverem[1] » se ipsum nominavit. Et David, « Opprobrium hominum, inquit, et abjectio plebis. Et ver» mis et non homo[2]. » Similiter omnes Apostoli et Prophetæ male habiti summis afficiebantur contumeliis. Dominus ipse, qui via est et Deus, cum non propter se ipsum, sed propter te venerit, ut typus ac exemplum tibi

[1] Gen. xviii, 27. — [2] Psal. xxi, 7.

Digitized by Google

fieret omnis boni; perpende in quantam humilitatem se abjecerit, forma servi accepta, qui est Deus, Dei Filius, Rex, filius Regis, donans quidem ipse curantia pharmaca, sanansque vulneratos; exterius tamen velut unus vulneratorum apparens.

XXVI. Cæterum ne despicias divinam dignitatem, dum conspicis illum exterius humiliatum, ut similem nobis; propter nos sic apparuit, non propter se ipsum. Perpende, ea hora qua clamabant, « Crucifige, crucifige eum [1], » ac populus concurrebat, quam humiliatus erat præ omnibus! Quemadmodum in rebus aspectabilibus si quis sit improbus, postquam acceperit sententiam a magistratu ab universo populo execrationi devovetur, ac contemptui habetur: sic quoque Dominus hora crucis, tanquam homo vitam cum morte commutaturus, vilipendebatur a Pharisæis. Quando rursus conspuerunt in vultum ejus, et imposuerunt ei coronam spineam, et colaphis eum ceciderunt, quam non supergressus est humilitatem? Scriptum enim est: « Dorsum meum dedi flagellantibus, nec averti faciem » meam a turpitudine conspuentium, nec genas meas a » percutientibus [2]. » Quod si Deus tantas contumelias, passionem ac humilitatem subiit, tu, qui natura limus es et mortalis naturæ, quantumcumque humiliatus fueris, nihil, quod cum Domino tuo comparandum sit, feceris. Deus tui gratia se ipsum humiliavit; tu vero tui gratia non demittis te, sed extolleris atque insolescis. Venit enim, ut afflictiones et onera tua tolleret, ac requiem suam tibi conferret: tu vero labores sufferre ac pati renuis, quo possint hoc pacto tua vulnera sanitatem consequi. Gloria sit patientiæ et longanimitati ipsius in sæcula. Amen.

[1] Luc. xxiii, 21. — [2] Isai. l, 6.

Digitized by Google

HOMILIA XXVII.

[illegible] et statum christiani hominis copiosa [illegible] prosequitur hæc Homilia, ut et quæ præcedit. Deinde de libero arbitrio multa utilissima docet, permixtis quæstionibus quibusdam divina sapientia plenis.

I. AGNOSCE nobilitatem tuam, o homo, tuamque dignitatem : quam pretiosus sis, frater Christi, amicus regis, sponsa Sponsi cœlestis. Quicumque enim potuerit cognoscere dignitatem animæ suæ, ille poterit cognoscere potentiam et mysteria Divinitatis; quinimo inde humiliari poterit : quandoquidem beneficio virtutis divinæ aliquis suum ipsius lapsum intuetur. Cæterum quo pacto ipse per passiones et crucem transiit, et ita glorificatus est, ac sedit ad dextram Patris : sic quoque te compati necesse est, simulque crucifigi, et sic resurgere, et una sedere et conjungi corpori Christi, et perpetuo simul regnare in illo sæculo : « Siquidem simul cum eo patimur, ut et una cum » illo glorificemur[1]. »

II. Quicumque enim superare ac transilire potuerint septa nequitiæ, ingrediuntur in cœlestem civitatem, pacis ac multorum bonorum plenam; ubi spiritus justorum requiescunt. Super hoc igitur maxime laborandum ac decertandum : siquidem non est æquum, sponsum tui gratia venientem, passum ac crucifixum esse; sponsam vero, propter quam sponsus venit, in mollitie versari et negligentia

[1] Rom. VIII, 17.

Digitized by Google

distrahi. Quemadmodum enim in rebus oculorum aciei subjectis, si sit meretrix quæpiam, quæ omnibus se ipsam turpiter prostituat : sic et anima, cuicumque se tradidit dæmoni, et corrumpitur a spiritibus. Non desunt enim qui peccato et malitiæ obnoxii sunt ex proposito, quidam vero præter propositum. Quid vero sibi volunt ista? Ex proposito quidem malitiæ obnoxii sunt hi, qui voluntatem suam malitiæ tradiderunt, illaque delectati, amicitiam cum ea ineunt : hujusmodi qui sunt, pacem colunt cum Satana, nec bellum inferunt cogitationibus. Qui vero præter propositum, hi habent quidem apud se peccatum, « Repugnans in membris eorum[1] » secundum Apostolum : estque nebulosa vis et caligo præter propositum; non tamen consentiunt in cogitationibus, nec una delectantur aut obtemperant, sed contradicunt et contrafaciunt, irascuntur sibi ipsi : hi longe præstantiores ac digniores sunt apud Deum, quam illi, qui de industria ac consulto voluntatem suam malitiæ tradiderunt, et una delectantur.

III. Quemadmodum si sit rex, qui inveniens puellam quamdam pauperem, pannis obsitam, non erubescat, ablatis sordidis ejus indumentis, nigredinem eluere, eamque exornet splendidis vestibus : asciscatque eam sibi sociam regis, atque mensæ suæ et convivii participem faciat : sic quoque Dominus offendit animam vulneratam ac percussam, adhibuitque ei pharmacum, et exuit eam atris indumentis, et turpitudine malitiæ, atque induit eam vestimentis regiis, cœlestibus, divinis, fulgidis et gloriosis : imposuitque illi coronam, sociamque constituit regiæ mensæ ad gaudium et exultationem. Et quemadmodum si sit hortus, qui consitus sit arboribus fructiferis undique bene olentibus : sint quoque ibi loca multa amœ-

[1] Rom. VII, 23.

HOMILIA XXVII.

Dignitatem et statum christiani hominis copiosa oratione prosequitur hæc Homilia, ut et quæ præcedit. Deinde de libero arbitrio multa utilissima docet, permixtis quæstionibus quibusdam divina sapientia plenis.

I. AGNOSCE nobilitatem tuam, o homo, tuamque dignitatem : quam pretiosus sis, frater Christi, amicus regis, sponsa Sponsi cœlestis. Quicumque enim potuerit cognoscere dignitatem animæ suæ, ille poterit cognoscere potentiam et mysteria Divinitatis; quinimo inde humiliari poterit : quandoquidem beneficio virtutis divinæ aliquis suum ipsius lapsum intuetur. Cæterum quo pacto ipse per passiones et crucem transiit, et ita glorificatus est, ac sedit ad dextram Patris : sic quoque te compati necesse est, simulque crucifigi, et sic resurgere, et una sedere et conjungi corpori Christi, et perpetuo simul regnare in illo sæculo : « Siquidem simul cum eo patimur, ut et una cum » illo glorificemur[1]. »

II. Quicumque enim superare ac transilire potuerint septa nequitiæ, ingrediuntur in cœlestem civitatem, pacis ac multorum bonorum plenam; ubi spiritus justorum requiescunt. Super hoc igitur maxime laborandum ac decertandum : siquidem non est æquum, sponsum tui gratia venientem, passum ac crucifixum esse; sponsam vero, propter quam sponsus venit, in mollitie versari et negligentia

[1] Rom. VIII, 17.

Digitized by Google

distrahi. Quemadmodum enim in rebus oculorum aciei subjectis, si sit meretrix quæpiam, quæ omnibus se ipsam turpiter prostituat : sic et anima, cuicumque se tradidit dæmoni, et corrumpitur a spiritibus. Non desunt enim qui peccato et malitiæ obnoxii sunt ex proposito, quidam vero præter propositum. Quid vero sibi volunt ista? Ex proposito quidem malitiæ obnoxii sunt hi, qui voluntatem suam malitiæ tradiderunt, illaque delectati, amicitiam cum ea ineunt : hujusmodi qui sunt, pacem colunt cum Satana, nec bellum inferunt cogitationibus. Qui vero præter propositum, hi habent quidem apud se peccatum, « Repugnans in membris eorum[1] » secundum Apostolum : estque nebulosa vis et caligo præter propositum; non tamen consentiunt in cogitationibus, nec una delectantur aut obtemperant, sed contradicunt et contrafaciunt, irascuntur sibi ipsi : hi longe præstantiores ac digniores sunt apud Deum, quam illi, qui de industria ac consulto voluntatem suam malitiæ tradiderunt, et una delectantur.

III. Quemadmodum si sit rex, qui inveniens puellam quamdam pauperem, paannis obsitam, non erubescat, ablatis sordidis ejus indumentis, nigredinem eluere, eamque exornet splendidis vestibus : asciscatque eam sibi sociam regis, atque mensæ suæ et convivii participem facit : sic quoque Dominus offendit animam vulneratam ac percussam, adhibuitque ei pharmacum, et exuit eam atris indumentis, et turpitudine malitiæ, atque induit eam vestimentis regiis, cœlestibus, divinis, fulgidis et gloriosis : imposuitque illi coronam, sociamque constituit regiæ mensæ ad gaudium et exultationem. Et quemadmodum si sit hortus, qui consitus sit arboribus fructiferis undique bene olentibus : sint quoque ibi loca multa amœ-

[1] Rom. VII, 23.

Digitized by Google

nitate jucunda, plane pulchra ac plena fragrantiæ et quietis ; et quicumque ingrediatur illuc, lætetur et quiescat : sic se habent animæ in regno hoc ; totæ fruuntur gaudio, lætitia et pace ; reges et domini sunt et dii. Scriptum enim est : » Rex regnantium, et Dominus dominantium[1]. «

IV. Non ergo Christianorum cultus est quippiam vulgare: mysterium enim hoc magnum est. Perpende ergo nobilitatem tuam, quod ad regiam dignitatem vocatus sis, «Genus » electum, regale sacerdotium et gens sancta[2].» Mysterium enim christianismi peregrinum est ab hoc mundo. Gloria regis quidem conspicua, ac divitiæ, terrena sunt, corruptibilia, fluxa et caduca. Regnum autem illud, et divitiæ, sunt res divinæ, res cœlestes atque gloriosæ, nunquam præteritaræ, numquam dissolvendæ. Regnant enim cum cœlesti Rege in cœlesti Ecclesia; ipseque «Primogenitus est ex mortuis[3], »primogeniti quoque ipsi. Cæterum licet tales sint electi et probati apud Deum ; apud se tamen sunt minimi, et valde reprobati ; quod illis est velut naturale et concretum, ut de se humiliter aut nihil sentiant.

INTERROGATIO.

V. *Ignorant-ne ergo se accessionem consecutos, ac quod non habebant, possidere a natura sua quidpiam alienum ?*

RESPONSIO.

Ego vero tibi dico illos non esse probatos, nec esse in progressu, atque ignorare se quod non habebant, possidere. Cæterum, qui tales sunt, eos ipsa gratia accedens docet, ne ullo in pretio habeant animas suas, dum pro-

[1] Apoc. xviii, 14. — [2] 1 Petr. ii, 9. — [3] Coloss. i, 18.

Digitized by Google

gressum faciunt, sed natura abjectos et infames se ipsos reputent. Itaque cum apud Deum præclari sint, apud se ipsos non sunt : cumque; sint in progressu et notitia Dei, perinde sunt, ac si sint omnium rerum ignari : et apud Deum cum sint locupletes, apud se sunt pauperes. Quemadmodum autem Christus, « Sumpta servi forma[1], » per humilitatem vicit diabolum : sic initio serpens per arrogantiam et fastum subvertit Adamum. Nunc quoque ille ipse serpens, in interioribus cordis recessibus abditus, per superbiam destruit ac dissolvit genus Christianorum.

VI. Quemadmodum enim si quis sit liber ac ingenuus in mundo, ac magnas possideat opes; insuper reditus percipiat, et fructus colligat; ille vesana quadam insolentia effertur, atque in se ipso fiduciam locat : cumque sit intolerabilis, omnes calce petit, et colaphis afficit : ita sunt quidam, nulla discretione præditi, qui paululum quietis ac precationis nacti, incipiunt altos sibi sumere spiritus, insolentia efferri, atque alios dijudicare : atque hoc modo delabuntur in profundissima terræ. Ille enim ipse serpens, qui deturbavit Adam per arrogantiam, dicens : « Eritis » sicut dii[2]: » ipse nunc quoque in cordibus suggerit arrogantiam, inquiens : « Perfectus es, sufficit tibi, factus » es locuples, nullius indiges, beatus es. » Non desunt alii more sæculi, qui opibus quidem dum opulenti sunt, quas ex nimiis fructuum reditibus accumulant, continent se ipsos in discretione, nec gloriantur, neque efferuntur; sed sunt æqui : norunt enim post ubertatem venturam sterilitatem. Et denuo ubi in damnum et sterilitatem inciderent, non afficiuntur tristitia, sed æqui remanent; norunt enim denuo successuram ubertatem, et in his utplurimum exercitati, nihil peregrini ipsis accidit, neque

[1] Philip. II, 7. — [2] Gen. III, 5.

Digitized by Google

susceperunt, atque agnoscunt imbecillitatem suam. In rus si quis itaque abeat, pauca sciens de litteris, ubi sunt plebeii; celebratur tamen ab illis scholasticus ille; siquidem rustici sunt plane, nec dijudicare sciunt. Ipse vero qui paucas didicit litteras, si proficiscatur in urbem, ubi sunt oratores et scholastici, non audet in conspectum eorum prodire, nec proloqui; siquidem velut rusticus judicatur a scholasticis.

INTERROGATIO.

XVIII. *Si homo bello oppressus, et duplici persona in anima præditus, peccati videlicet et gratiæ, transferatur ex hoc mundo, quo pergit, a duabus partibus detentus?*

RESPONSIO.

Illuc, ubi intentionem suam habet animus, et ubi diligit, illuc inquam tendit. Solummodo, si ingruat afflictio aut bellum, contradicere debes, ac odio prosequi. Ut enim ingruat bellum, tuum non est; odisse tamen, tuum est. Ac tum Dominus, conspecto animo tuo, quod dimices ac diligas eum ex tota anima, segregat mortem ab anima tua hora una: (non enim est ei hoc difficile,) et assumit te in sinum suum ac lucem. Eripit te momento horæ e faucibus tenebrarum, ac confestim transfert te in regnum suum. Deo enim horæ momento omnia peragere facile est, modo amore ei soli devinctus sis. Nam Deus indiget opera humana, quia socia Divinitatis est anima.

XIX. Et ut sæpe diximus parabolam coloni, qui laborat, ac semen terræ committit; debet desuper accipere pluviam; nisi enim nubes emerserint, ac venti flaverint,

Digitized by Google

nihi juvat labor agricolæ; nudum semen enim subjacet: hoc transfer ad res spirituales. Si sua solum in operatione perseveret homo, nec suscipiat quidquam a natura sua extraneum, non potest fructus dignos Domino reddere. Quid ergo est hominis operatio? Abrenuntiare, egredi ex hoc mundo, perseverare in oratione, vigilare, diligere Deum ac fratres: hoc proprium est ejus sustinere. Si vero sua solum operatione contentus sit, nec spem foveat aliud quippiam suscipiendi; neque venti Spiritus sancti animam afflaverint; vel emerserint nubes cœlestes, ac descenderit e cœlo pluvia, et irriget animam, nequit homo fructus dignos reddere Domino.

XX. Scriptum itaque est: « Agricola cum viderit palmitem, ferentem fructum, purgat eum; ut copiosiorem fructum afferat: at non ferentem fructum evellit, et comburendum tradit[1]. » Verumtamen hoc hominem decet, ut, sive jejunet, sive vigilet, sive precetur, sive boni quid faciat, cuncta Domino ascribat, his verbis usus: « Nisi Deus corroborasset me, non potuissem jejunare, aut precari, aut ex hoc mundo egredi. » Sicque Deus bona animi tui intentione conspectu, nimirum te ea, quæ naturali instinctu peragis, Deo ascribere, ipse vicissim sua, spiritualia nempe, divina et cœlestia, tibi hæc largitur (4): quæ vero sunt illa? fructus Spiritus, exultatio et lætitia.

INTERROGATIO.

XXI. *Verum cum fructus naturales sint horum similes, fides nimirum et precatio, edissere nobis, quomodo se habeant naturalia, et quomodo spiritualia?*

[1] Joan. xv, 2.

Digitized by Google

RESPONSIO.

Ea, quæ te ipso auctore agis, honesta quidem sunt, et Deo grata, sed non pura : velut, diligis Deum, verum minus perfecte; venit Dominus, confert dilectionem immutabilem, cœlestem scilicet. Precaris naturaliter, occupationibus ac variis cogitationibus distractus ; confert tibi Dominus precationem puram in Spiritu et veritate. In rebus, quæ oculis subjacent, terra ut plurimum ex se ipsa profert spinas ; colonus autem fodit, exercet diligenter ac seminat; spinæ tamen vel non satæ propullulant et multiplicantur, (postquam enim transgressus est, dictum est Adamo : « Tribulos et spinas producet tibi terra[1]. ») Denuo colonus exercet terram, effodit spinas, quæ nihilominus adhuc multiplicantur. Accipe hoc spiritualiter. Nam post transgressionem terra cordis producit spinas et tribulos : excolit homo, elaborat, adhuc tamen spinæ pravorum spirituum enascuntur. Deinde sanctus ille Spiritus suppetias fert imbecillitati humanæ, et Dominus mittit in terram cordis semen cœleste, atque excolit eam : quo semine jacto, adhuc tribuli et spinæ pullulant. Denuo ipse Dominus ac homo exercent terram animæ, et septem mali spiritus ac spinæ exoriuntur illic, et repullulant, donec adveniat æstas, et abundet gratia, ac desiccentur ab æstu solis spinæ enatæ.

XXII. Etsi enim neqaitia adhæret naturæ, sic tamen dominatur ei, quæ habet pastum. Teneras enim herbas frumenti potest lolium suffocare; ingruente vero æstate ubi fructus exsiccati fuerint, nihil lædit lolium frumentum. Itaque si evenerit, ut sint triginta modii frumenti puri, vix illic permixtio lolii, velut aliquota sextarii pars

[1] Gen. III, 18.

Digitized by Google

apparebit; obruta sunt enim nimia copia frumenti : sic quoque in gratia, cum donum Dei et gratia abundaverit in homine, atque ditescat erga Dominum, adsit tamen aliqua in parte nequitia; nequit illa lædere hominem, neque vim ullam aut imperium in eum obtinet. Adventus enim Domini et providentia est propterea, ut in servitutem malitiæ redactos, eique obnoxios et subjugatos liberaret, ac peccati et mortis victores efficeret. Non debent ergo fratres admiratione duci, si a quibusdam affligantur, id fit, ut vindicentur a malitia.

XXIII. Etenim quondam Moses et Aaron, cum potirentur sacerdotio, multa pertulerunt. Caïphas autem, qui eorum cathedram tenebat, ipse persecutus est, et condemnavit Dominum : Dominus tamen sacerdotium reverenter habens, permisit illud fieri. Itidem Prophetæ a gente sua persecutionem passi sunt. Postea Mosen excepit Petrus, cui nova Ecclesia Christi ac verum sacerdotium commissum est. Jam enim est baptisma ignis et Spiritus, et circumcisio quædam in corde fit. Divinus enim et cœlestis Spiritus commoratur in mente. Verum neque hi perfecti, quandiu sunt in carne, carent sollicitudine propter arbitrii libertatem; sed metu percutiuntur; atque propterea tentari permittuntur. Ubi vero anima ad illam civitatem sanctorum pervenerit, tum demum absque afflictionibus et tentationibus vitam agere potest. Illic enim non amplius est sollicitudo, aut afflictio, aut labor, aut senectus, aut Satanas, aut bellum : sed requies, gaudium, lætitia et salus. In medio enim illorum est Dominus, qui appellatur Salvator, quod liberet captivos : appellatur medicus, quod cœlestem ac divinam medicinam conferat, et affectiones animæ curet : aliquatenus enim imperium in hominem obtinent illæ. Uno verbo autem ut dicam, Jesus

Digitized by Google

est Rex et Deus; Satanas autem tyrannus et princeps nequitiæ.

XXIV. Quod superest, Deus et Angeli ejus hominem illum volunt una secum domesticum reddere in regno : itidem diabolus et Angeli ejus exoptant eum sibi adjungere, et in suas partes pertrahere. Media igitur est anima inter duas hypostases, atque utram in partem postea inclinarit voluntas animæ, ejus sit propria, ejusque filius. Perinde autem, ac si mittat pater quispiam in regionem peregrinam filium suum, ubi occurrant ei in via bestiæ, atque conferat illi pharmaca et antidota; ut si adoriantur eum belluæ aut dracones, oblato pharmaco illa interficiat : eodem quoque modo vos omnem nervum intendite, ut accipiatis cœleste pharmacum, quod mederi potest, et antidotum est animæ ; ut ejus beneficio interimatis venenum emittentes bestias immundorum spirituum. Non est enim facile purum cor possidere, nisi multo cum certamine et labore, ut conscientiam et cor purum habeat homo, ut penitus evellatur nequitia.

XXV. Contingit enim gratia aliquem præditum esse, cujus tamen cor nondum sit purificatum. Et propterea ceciderunt qui lapsi sunt, eo quod non crediderunt, post acceptam gratiam adhærere illis fumum ac peccatum. Omnes vero justi per angustam atque afflictionis plenam viam usque ad finem Deo placuere. Abrahamus cum esset dives, tum secundum Deum, tum secundum mundum, » Terram ac pulverem[1] » se ipsum nominavit. Et David, « Opprobrium hominum, inquit, et abjectio plebis. Et ver» mis et non homo[2]. » Similiter omnes Apostoli et Prophetæ male habiti summis afficiebantur contumeliis. Dominus ipse, qui via est et Deus, cum non propter se ipsum, sed propter te venerit, ut typus ac exemplum tibi

[1] Gen. xviii, 27. — [2] Psal. xxi, 7.

Digitized by Google

fieret omnis boni; perpende in quantam humilitatem se abjecerit, forma servi accepta, qui est Deus, Dei Filius, Rex, filius Regis, donans quidem ipse curantia pharmaca, sanansque vulneratos; exterius tamen velut unus vulneratorum apparens.

XXVI. Cæterum ne despicias divinam dignitatem, dum conspicis illum exterius humiliatum, ut similem nobis; propter nos sic apparuit, non propter se ipsum. Perpende, ea hora qua clamabant, « Crucifige, crucifige eum [1], » ac populus concurrebat, quam humiliatus erat præ omnibus! Quemadmodum in rebus aspectabilibus si quis sit improbus, postquam acceperit sententiam a magistratu ab universo populo execrationi devovetur, ac contemptui habetur: sic quoque Dominus hora crucis, tanquam homo vitam cum morte commutaturus, vilipendebatur a Pharisæis. Quando rursus conspuerunt in vultum ejus, et imposuerunt ei coronam spineam, et colaphis eum ceciderunt, quam non supergressus est humilitatem? Scriptum enim est: « Dorsum meum dedi flagellantibus, nec averti faciem » meam a turpitudine conspuentium, nec genas meas a » percutientibus [2]. » Quod si Deus tantas contumelias, passionem ac humilitatem subiit, tu, qui natura limus es et mortalis naturæ, quantumcumque humiliatus fueris, nihil, quod cum Domino tuo comparandum sit, feceris. Deus tui gratia se ipsum humiliavit; tu vero tui gratia non demittis te, sed extolleris atque insolescis. Venit enim, ut afflictiones et onera tua tolleret, ac requiem suam tibi conferret: tu vero labores sufferre ac pati renuis, quo possint hoc pacto tua vulnera sanitatem consequi. Gloria sit patientiæ et longanimitati ipsius in sæcula. Amen.

[1] Luc. xxiii, 21. — [2] Isai. l, 6.

Digitized by Google

HOMILIA XXVII.

Dignitatem et statum christiani hominis copiosa oratione prosequitur hæc Homilia, ut et quæ præcedit. Deinde de libero arbitrio multa utilissima docet, permixtis quæstionibus quibusdam divina sapientia plenis.

I. AGNOSCE nobilitatem tuam, o homo, tuamque dignitatem : quam pretiosus sis, frater Christi, amicus regis, sponsa Sponsi cœlestis. Quicumque enim potuerit cognoscere dignitatem animæ suæ, ille poterit cognoscere potentiam et mysteria Divinitatis; quinimo inde humiliari poterit : quandoquidem beneficio virtutis divinæ aliquis suum ipsius lapsum intuetur. Cæterum quo pacto ipse per passiones et crucem transiit, et ita glorificatus est, ac sedit ad dextram Patris : sic quoque te compati necesse est, simulque crucifigi, et sic resurgere, et una sedere et conjungi corpori Christi, et perpetuo simul regnare in illo sæculo : « Siquidem simul cum eo patimur, ut et una cum » illo glorificemur[1]. »

II. Quicumque enim superare ac transilire potuerint sepia nequitiæ, ingrediuntur in cœlestem civitatem, pacis ac multorum bonorum plenam; ubi spiritus justorum requiescunt. Super hoc igitur maxime laborandum ac decertandum : siquidem non est æquum, sponsum tui gratia venientem, passum ac crucifixum esse; sponsam vero, propter quam sponsus venit, in mollitie versari et negligentia

[1] Rom. VIII, 17.

Digitized by Google

distrahi. Quemadmodum enim in rebus oculorum acies subjectis, si sit meretrix quæpiam, quæ omnibus se ipsam turpiter prostituat : sic et anima, cuicumque se tradidit dæmoni, et corrumpitur a spiritibus. Non desunt enim qui peccato et malitiæ obnoxii sunt ex proposito, quidam vero præter propositum. Quid vero sibi volunt ista? Ex proposito quidem malitiæ obnoxii sunt hi, qui voluntatem suam malitiæ tradiderunt, illaque delectati, amicitiam cum ea ineunt : hujusmodi qui sunt, pacem colunt cum Satana, nec bellum inferunt cogitationibus. Qui vero præter propositum, hi habent quidem apud se peccatum, « Repugnans in membris eorum[1] » secundum Apostolum : estque nebulosa vis et caligo præter propositum; non tamen consentiunt in cogitationibus, nec una delectantur aut obtemperant, sed contradicunt et contrafaciunt, irascuntur sibi ipsi : hi longe præstantiores ac digniores sunt apud Deum, quam illi, qui de industria ac consulto voluntatem suam malitiæ tradiderunt, et una delectantur.

III. Quemadmodum si sit rex, qui inveniens puellam quamdam pauperem, pannis obsitam, non erubescat, ablatis sordidis ejus indumentis, nigredinem eluere, eamque exornet splendidis vestibus : asciscatque eam sibi sociam regis, atque mensæ suæ et convivii participem faciat : sic quoque Dominus offendit animam vulneratam ac percussam, adhibuitque ei pharmacum, et exuit eam atris indumentis, et turpitudine malitiæ, atque induit eam vestimentis regiis, cœlestibus, divinis, fulgidis et gloriosis : imposuitque illi coronam, sociamque constituit regiæ mensæ ad gaudium et exultationem. Et quemadmodum si sit hortus, qui consitus sit arboribus fructiferis undique bene olentibus : sint quoque ibi loca multa amœ-

[1] Rom. VII, 23.

nitate jucunda, plane pulchra ac plena fragrantiæ et quietis ; et quicumque ingrediatur illuc, lætetur et quiescat : sic se habent animæ in regno hoc ; totæ fruuntur gaudio, lætitia et pace ; reges et domini sunt et dii. Scriptum enim est : » Rex regnantium, et Dominus dominantium[1]. »

IV. Non ergo Christianorum cultus est quippiam vulgare: mysterium enim hoc magnum est. Perpende ergo nobilitatem tuam, quod ad regiam dignitatem vocatus sis, « Genus » electum, regale sacerdotium et gens sancta[2]. » Mysterium enim christianismi peregrinum est ab hoc mundo. Gloria regis quidem conspicua, ac divitiæ, terrena sunt, corruptibilia, fluxa et caduca. Regnum autem illud, et divitiæ, sunt res divinæ, res cœlestes atque gloriosæ, nunquam præteritaræ, numquam dissolvendæ. Regnant enim cum cœlesti Rege in cœlesti Ecclesia; ipseque « Primogenitus est ex mortuis[3], » primogeniti quoque ipsi. Cæterum licet tales sint electi et probati apud Deum; apud se tamen sunt minimi, et valde reprobati ; quod illis est velut naturale et concretum, ut de se humiliter aut nihil sentiant.

INTERROGATIO.

V. *Ignorant-ne ergo se accessionem consecutos, ac quod non habebant, possidere a natura sua quidpiam alienum ?*

RESPONSIO.

Ego vero tibi dico illos non esse probatos, nec esse in progressu, atque ignorare se quod non habebant, possidere. Cæterum, qui tales sunt, eos ipsa gratia accedens docet, ne ullo in pretio habeant animas suas, dum pro-

[1] Apoc. xviii, 14. — [2] 1 Petr. ii, 9. — [3] Coloss. i, 18.

Digitized by Google

gressum faciunt, sed natura abjectos et infames se ipsos reputent. Itaque cum apud Deum præclari sint, apud se ipsos non sunt : cumque; sint in progressu et notitia Dei, perinde sunt, ac si sint omnium rerum ignari : et apud Deum cum sint locupletes, apud se sunt pauperes. Quemadmodum autem Christus, « Sumpta servi forma[1], » per humilitatem vicit diabolum : sic initio serpens per arrogantiam et fastum subvertit Adamum. Nunc quoque ille ipse serpens, in interioribus cordis recessibus abditus, per superbiam destruit ac dissolvit genus Christianorum.

VI. Quemadmodum enim si quis sit liber ac ingenuus in mundo, ac magnas possideat opes; insuper reditus percipiat, et fructus colligat; ille vesana quadam insolentia effertur, atque in se ipso fiduciam locat : cumque sit intolerabilis, omnes calce petit, et colaphis afficit : ita sunt quidam, nulla discretione præditi, qui paululum quietis ac precationis nacti, incipiunt altos sibi sumere spiritus, insolentia efferri, atque alios dijudicare : atque hoc modo delabuntur in profundissima terræ. Ille enim ipse serpens, qui deturbavit Adam per arrogantiam, dicens : « Eritis » sicut dii[2] : » ipse nunc quoque in cordibus suggerit arrogantiam, inquiens : « Perfectus es, sufficit tibi, factus » es locuples, nullius indiges, beatus es. » Non desunt alii more sæculi, qui opibus quidem dum opulenti sunt, quas ex nimiis fructuum reditibus accumulant, continent se ipsos in discretione, nec gloriantur, neque efferuntur; sed sunt æqui : norunt enim post ubertatem venturam sterilitatem. Et denuo ubi in damnum et sterilitatem inciderent, non afficiuntur tristitia, sed æqui remanent; norunt enim denuo successuram ubertatem, et in his utplurimum exercitati, nihil peregrini ipsis accidit, neque

[1] Philip. II, 7. — [2] Gen. III, 5.

Digitized by Google

de reditibus aut ubertate ipsi superbiunt : neque si damnum ingruat, obstupescunt.

VII. Res igitur christianismi sic se habet : degustare veritatem, edere ac bibere de veritate, edere ac bibere insuper pro viribus et facultate. Quemadmodum si quis sit fons, et quis sitibundus illic ex eo incipiat bibere; deinde inter bibendum abstrahat eum quispiam, nec concedat impleri, quantum velit : postea vehementius inardescit, gustu aquæ percepto, et ardentius exoptat : sic quoque in re spirituali res se habet, degustat quispiam et particeps fit sibi cœlestis, tum inter gustandum subtrahitur, nullusque dat ei ut satietur.

INTERROGATIO.

VIII. *Quamobrem impleri non conceditur?*

RESPONSIO.

Novit Dominus imbecillitatem hominis, quod facile extollatur; propterea subtrahit et permittit exerceri et jactari hominem. Si enim modicum accipias, nec quis te tolerare possit, sed intumescis; quanto magis, si quis uno haustu tibi concederet exsaturari, nemo te ferret? Atqui Deus perspecta imbecillitate tua, ex dispensatione singulari exponit te afflictionibus, ut humilior reddaris, ac studiosior inquirendi Dei. More enim in mundo recepto mendicus quidam, invento marsupio auri pleno, præ lætitia incipit vociferari : « Inveni, inveni marsupium, dives sum. » Tum ex rumore audivit, qui perdiderat, ac recepit illud. Alius dives superbia quadam animi elatus, calcibus petere cœpit, omnesque contumelia afficere, et super quosdam efferri; quo audito rex ejus publicavit bona : sic se res habet in re spirituali. Paululum quietis

Digitized by Google

ubi quidam degustarint, administrare id nesciunt, sed perdunt id quoque quod acceperunt. Tentat enim eos peccatum, et obcæcat illorum mentem.

INTERROGATIO.

IX. *Post visitationem gratiæ factam, quo pacto labuntur nonnulli? nonne Satanas manifeste longe imbecillior est? nàm ubi dies, qua ratione potest nox esse?*

RESPONSIO.

Non quod extinguatur gratia, aut imbecillior reddatur; sed ut liberum arbitrium tuum ac libertas probetur, quo vergat, permittit te malitiæ: tuque rursus voluntate appropinquans Domino, admoneris, ut revisas gratiam. At quo pacto scriptum est: « Spiritum ne extinguatis[1]: » si ipse inextinguibilis est et lucidus? Tu vero voluntate tua negligens, et non consentiens, extingueris a Spiritu. Eodem modo dicit: « Ne contristetis Spiritum sanctum, per quem » obsignati estis in diem redemptionis[2]. » Vides in tua voluntate situm esse, et in libero arbitrio tuo, ut honore afficias Spiritum sanctum, et non contristes. Ego vero tibi dico, perfectis quoque Christianis, et quidem captivatis et inebriatis amore erga bonum, inesse liberum arbitrium, unde infinitis malis examinati, convertuntur ad bonum.

X. Perinde ac si sint primates quidam, divites ac nobiles, qui propria voluntate et instinctu relinquant divitias et nobilitatem suam ac dignitates, et abeant, ac induant sordida et vilia vestimenta, et ignominiam pro gloria, sintque miseri et abjecti; hoc situm est in eorum propria voluntate. Ego vero tibi dico, quod ipsos quoque Apostolos,

[1] 1 Thess. v, 19. — [2] Ephes. iv, 30.

vel consummatos in gratia, non prohibuerit gratia, quominus, quæ vellent, perficerent : etiamsi voluissent ipsi ea, quæ displicebant gratiæ, peragere. Natura enim nostra capax est tum boni tum mali : ac potestas adversaria exhortandi, non cogendi vim habet : quoad cætera tu habes liberum arbitrium vergendi quocumque volueris. Nonne perpendis « Petrum fuisse reprehensum[1], » et Paulum abeuntem arguisse illum ; qui quamvis talis esset, adhuc reprehensibilis erat ? Paulus quoque, qui erat spiritualis, propria voluntate disputationem suscepit cum Barnaba, et « Ira » exarcerbati discesserunt ab invicem[2]. » Itaque inquit idem : « Vos qui spirituales estis, instaurate hujusmodi Spiritu » mansuetudinis, considerans temetipsum, ne et tu ten- » teris[3]. » Ecce spirituales tentantur, quia superest adhuc arbitrium liberum ; et hostes instant, quandiu versantur in hoc sæculo.

INTERROGATIO.

XI. *Non poterant peccare Apostoli, si voluissent ; an vero ipsa voluntate potentior erat gratia ?*

RESPONSIO.

Peccare quidem non poterant ; non enim extollebantur, quippe qui erant lumine ac gratia prædíti. Non tamen dicimus imbecillem in iis fuisse gratiam ; sed dicimus gratiam permittere vel ipsis spiritualibus perfectis, ut habeant suas voluntates, ac potestatem faciendi quæcumque libuerint, et inclinandi quo voluerint. Ipsi quoque naturæ humanæ, ut imbécillis est, licet, etiamsi bonum illi inhæreat, converti et mutari. Quemadmodum si quidam universam

[1] Galat. II, 11. — [2] Act. XV, 13. — [3] Galat. VI, 1.

Digitized by Google

armaturam, thoracem, et arma fuerint induti, quoad cætera, intus sunt muniti, nec hostes insultant illis : aut si insultarint, in eorum voluntate situm est, aut uti armis, repugnare ac reluctari hostibus, et victoriam referre; aut deliciari et pacem inire cum hostibus, et non decertare, quamvis habeant arma : sic quoque Christiani perfectam virtutem induti, et arma cœlestia obtinentes, si velint, oblectantur cum Satana, et pacem cum eo contrahunt, nec bellum inferunt. Mutabilis enim est natura, et si velit quis, fit filius Dei; sin contra, filius interitus : eo quod supersit liberum arbitrium.

XII. Aliud est de pane et mensa disserere; et aliud edere ac sumere suavitatem panis, ut corroborentur inde omnia membra. Aliud est disputare verbis de potu suavissimo : et aliud abire, et ex ipso fonte capere, ipsoque gustu suavissimi potus repleri. Aliud est disserere de bello, strenuis athletis et bellatoribus : et aliud abire quempiam in aciem militarem, cum hostibus manus conserere, ingredi, egredi, accipere, dare, et victoriam reportare. Sic quoque se res habet in spiritualibus. Aliud est notitia quadam et intellectu explicare sermones : et aliud in hypostasi et opere, ac certitudine fidei, et in interiori homine et animo possidere thesaurum, gratiam, gustum, et efficaciam Spiritus sancti. Qui enim nuda verba proferunt, imaginatione jactant se et intumescunt animo suo. « Sermo » enim meus, inquit, et prædicatio mea, non erat in » persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione » Spiritus ac potentiæ [1]. » Et rursum alibi dicit : « Finis » præcepti est charitas ex puro corde, et conscientia bona » et fide non simulata [2]. » Hujusmodi qui est non cadit. Multis enim, qui Deum quæsierant, aperta est janua, ac viderunt thesaurum ac ingressi sunt in eum. Et cum gau-

[1] 1 Cor. II, 4. — [2] 1 Tim. I, 5.

Digitized by Google

dio perfunderentur dicentes : « Invenimus thesaurum, » occlusit illis fores : cœperunt clamare, lugere, et inquirere, « Thesaurum invenimus et perdidimus. » Dispensatione enim singulari subducit se gratia, ut diligentius inquiramus. Thesaurus enim monstratur pro modo indagationis.

INTERROGATIO.

XIII. *Cum asserant nonnulli, quod accepta gratia transeat quispiam a morte in vitam, num potest aliquis lumine donatus habere sordidas cogitationes?*

RESPONSIO.

Scriptum est, « Cum Spiritum acceperitis, nunc carne » consummamini [1]. » Iterum autem inquit : « Induite uni» versam armaturam Spiritus, ut possitis stare adversus » assultus diaboli [2]. » Per eum sermonem duo sunt loca, tum ubi erat, cum induit arma; tum ubi est, cum bellum gerit adversus principatus et potestates : in lumine nempe aut in tenebris. Et, « Ut possitis omnia jacula mala illius » ignita extinguere [3]. » Et rursum, « Ne contristetis Spi» ritum sanctum Dei [4]. » Et iterum, » Fieri non potest, » ut, qui semel fuerint illuminati, et gustaverint donum » Dei, ac participes facti fuerint Spiritus sancti, si prola» bantur, renoventur [5]. » Ecce, qui sunt illuminati, et gustaverunt, labuntur. Vides, quod homo habeat voluntatem consentiendi Spiritui, et habeat voluntatem cum contristandi. Omnino enim assumit arma, ad prodeundum in bellum, et confligendum cum hostibus : omnino illuminatus est, ut militet adversus tenebras.

[1] Galat. III, 3. — [2] Ephes. VI, 11. — [3] Ibid. 16. — [4] Ibid. 30. — [5] Hebr. VI, 4.

Digitized by Google

INTERROGATIO.

XIV. *Qua ratione dicit Apostolus:* « Si habuero omnem » scientiam, et omnem prophetiam, ac loquar linguis An» gelorum, nihil sum[1]? »

RESPONSIO.

Non ita debemus opinari, quasi nihil sit Apostolus; sed quoad illam charitatem, quæ est perfecta, hæc esse exigua : et eum, qui hosce gradus adeptus est, labi posse : qui vero charitatem habuerit, cadere nequit. Ego vero tibi dico me vidisse viros omnibus donis accumulatos, ac Spiritus participes factos, qui, cum non pervenissent ad perfectam charitatem, lapsi sunt. Quidam enim e nobilibus, cum renuntiasset terrenis, vendidit bona sua, servos libertate donavit, prudens quidem ac sobriæ mentis, percelebris alioqui ob honestam vitam : interea se ipsum magnifaciens, arrogantia intumuit, ac tandem ad scelera et infinita mala prolapsus est.

XV. Alius tempore persecutionis corpus suum tradidit, et cum esset confessor, postea pace facta solutus est, eratque magni nominis : palpebræ enim ejus læsæ sunt, quoniam fumo erant perustæ. Hic postmodum gloria illustratus, cum ad preces vocaretur, frumentum accepit, deditque id puero suo, eoque devenit ejus mens, ac si nunquam audivisset verbum Dei. Alius præbuit corpus suum tempore persecutionis, et suspensus est atque efferbuit, ac postea conjectus in carcerem. Ministrabat igitur ei juxta fidem quædam canonica, cum qua familiaritate contracta, in carcere dum esset, delapsus est in stuprum.

Digitized by Google

Vide, dives qui vendiderat bona sua, et qui tradiderat corpus suum ad martyrium, quo pacto ceciderit?

XVI. Alius quidam athleta sagax, qui conservabatur mecum in domo, mecumque preces faciebat, adeo locuples erat gratia, ut inter orandum juxta me compungeretur. Fervebat enim in illo gratia. Donatum quoque ipsi erat donum sanationum, nec solum dæmones expellebat, verumetiam vinctos manibus ac pedibus, ac gravibus morbis laborantes, per impositionem manuum curabat. Postea cum negligentia diffluueret, atque gloriam nactus a mundo, sui ipsius delectatione teneretur, superbia intumuit, atque delapsus est in ipsa profundissima peccati. Vide, quod etiam ille, qui donum sanationum habebat, ceciderit? Vides, quomodo antequam perveniant ad mensuram charitatis, labantur. Qui enim charitatem assecutus vincitur et inebriatur, hic demergitur et captivatur in alium mundum, ac si propriam naturam non sentiat.

INTERROGATIO.

XVII. *Quid est?* « Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt[1]. »

RESPONSIO.

Illo tempore magnates, justi, reges, et Prophetæ (5), venturum esse Salvatorem noverant : passurum autem esse, crucifigendum, ac sanguinem profusurum in cruce non noverant, neque audierant; neque ascendit in eorum cor futurum baptisma ignis ac Spiritus sancti; item, in Ecclesia offerendum esse panem et vinum, typum seu figuram carnis ejus ac sanguinis : atque eos, qui participant

[1] Cor. II, 9.

Digitized by Google

de pane visibili, spiritualiter (6) carnem Domini esuros: item, Apostolos et Christianos suscepturos Paracletum, atque induendos virtute ex alto, ac replendos Divinitate: commiscendas quoque animas cum Spiritu sancto. Hoc ignorabant Prophetæ ac reges, neque ascenderat in cor illorum. Nunc enim Christiani alio pacto ditescunt, ac desiderio rapiuntur ad Divinitatem; at licet hoc gaudio et consolatione perfruantur, timore tamen ac tremore concutiuntur.

INTERROGATIO.

XVIII. *Quo timore ac tremore?*

RESPONSIO.

Ne aberrent in aliquo, sed concordent gratiæ. Perinde ac si quis, qui habeat thesauros, et proficiscatur ad loca, ubi sunt latrones, gaudet quidem propter opes et thesaurum, sub metu nihilominus est, ne supervenientes latrones deprædentur se, et perinde est, ac si gestet manibus suum proprium corpus. Ecce enim, quoad ea, quæ oculis patent, omnes renuntiavimus, ac sumus peregrini, atque inopes, carnalique societate privati: quoad cætera vide, corpus ad orationem propendet; debent fratres attendere, num cori mens quoque consonet: quemadmodum utplurimum in mundo artifices, atque architectorum principes habent corpus devinctum ad artem, itidem et animum noctu diuque. Tu ergo perpende te ipsum, qui habes corpus peregrinum ab hoc mundo, num etiam habeas mentem alienam ab hoc sæculo, ac non occupationibus mundi detinearis? Quilibet enim sæcularis, sive miles, sive mercator, ubi corpus habet, ibi quoque habet mentem devinctam,

Digitized by Google

Vide, dives qui vendiderat bona sua, et qui tradiderat corpus suum ad martyrium, quo pacto ceciderit?

XVI. Alius quidam athleta sagax, qui conservabatur mecum in domo, mecumque preces faciebat, adeo locuples erat gratia, ut inter orandum juxta me compungeretur. Fervebat enim in illo gratia. Donatum quoque ipsi erat donum sanationum, nec solum dæmones expellebat, verumetiam vinctos manibus ac pedibus, ac gravibus morbis laborantes, per impositionem manuum curabat. Postea cum negligentia diffluueret, atque gloriam nactus a mundo, sui ipsius delectatione teneretur, superbia intumuit, atque delapsus est in ipsa profundissima peccati. Vide, quod etiam ille, qui donum sanationum habebat, ceciderit? Vides, quomodo antequam perveniant ad mensuram charitatis, labantur. Qui enim charitatem assecutus vincitur et inebriatur, hic demergitur et captivatur in alium mundum, ac si propriam naturam non sentiat.

INTERROGATIO.

XVII. *Quid est?* « Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt[1]. »

RESPONSIO.

Illo tempore magnates, justi, reges, et Prophetæ (5), venturum esse Salvatorem noverant : passurum autem esse, crucifigendum, ac sanguinem profusurum in cruce non noverant, neque audierant; neque ascendit in eorum cor futurum baptisma ignis ac Spiritus sancti; item, in Ecclesia offerendum esse panem et vinum, typum seu figuram carnis ejus ac sanguinis : atque eos, qui participant

[1] Cor. II, 9.

Digitized by Google

de pane visibili, spiritualiter (6) carnem Domini esuros : item, Apostolos et Christianos suscepturos Paracletum, atque induendos virtute ex alto, ac replendos Divinitate : commiscendas quoque animas cum Spiritu sancto. Hoc ignorabant Prophetæ ac reges, neque ascenderat in cor illorum. Nunc enim Christiani alio pacto ditescunt, ac desiderio rapiuntur ad Divinitatem; at licet hoc gaudio et consolatione perfruantur, timore tamen ac tremore concutiuntur.

INTERROGATIO.

XVIII. *Quo timore ac tremore?*

RESPONSIO.

Ne aberrent in aliquo, sed concordent gratiæ. Perinde ac si quis, qui habeat thesauros, et proficiscatur ad loca, ubi sunt latrones, gaudet quidem propter opes et thesaurum, sub metu nihilominus est, ne supervenientes latrones deprædentur se, et perinde est, ac si gestet manibus suum proprium corpus. Ecce enim, quoad ea, quæ oculis patent, omnes renuntiavimus, ac sumus peregrini, atque inopes, carnalique societate privati : quoad cætera vide, corpus ad orationem propendet; debent fratres attendere, num corpori mens quoque consonet : quemadmodum utplurimum in mundo artifices, atque architectorum principes habent corpus devinctum ad artem, itidem et animum noctu diuque. Tu ergo perpende te ipsum, qui habes corpus peregrinum ab hoc mundo, num etiam habeas mentem alienam ab hoc sæculo, ac non occupationibus mundi detinearis? Quilibet enim sæcularis, sive miles, sive mercator, ubi corpus habet, ibi quoque habet mentem devinctam,

Digitized by Google

ibique thesaurus ejus est. Scriptum enim est : « Ubi the-» saurus, ibi etiam cor[1]. »

XIX. Reliquum est, tuus animus quali thesauro sit intentus, an totus plane Deo nec ne? sin minus est, exponatis mihi, quid impediat? Profecto Satanas et dæmones sunt spiritus nequam, qui detinent mentem atque animam subvertunt. Versutus enim est diabolus, instructus machinis, foribus tergeminis, ac vafritie multa, occupata tenet pascua animæ atque cogitationes, nec permittit recte precari, et accedere ad Deum; quoniam ipsa natura particeps est dæmonum, ac spirituum nequitiæ; itidem Angelorum ac Spiritus sancti : templum est Satanæ, ac templum sancti Spiritus. Cæterum expendite animum vestrum, fratres, cujusnam estis participes, Angelorum an dæmonum? cujus templum et domicilium estis, Dei an diaboli? cor quali thesauro sit repletum, gratiæ an Satanæ? Velut igitur domus cum referta est graveolentia ac stercore, convenit illam penitus purgari atque exornari, ac repleri quavis fragrantia et thesauris; ut Spiritus sanctus veniat pro Satana, ac requiescat in animis Christianorum.

XX. Verum enimvero, non statim audito verbo Dei, aliquis fit bonæ partis. Si enim simul audiendo efficeretur partis bonæ, nequaquam extitissent certamina, aut occasiones bellorum, aut cursus; sed sine labore, modo audisset, pervenisset ad quietem ac gradum perfectum. Nequaquam autem ita res se habet. Tollis enim voluntatem hominis, dum hoc asseris, et reluctantem facultatem esse negas, quæ repugnet animo. Nos autem hoc asserimus, eum qui verbum audit, venire in compunctionem; ac postea, subducente se gratia, per dispensationem ad emolumentum hominis, ingredi in exercitationem ac dis-

[1] Matth. VI, 21.

Digitized by Google

ciplinam militarem ; tum luctam committere, ac certamen inire adversus Satanam, ac multo cursu et certamine reportata victoriæ palma, evadere Christianum. Si quis enim ex auditu solum, absque ullo labore efficeretur bonæ partis, etiam qui theatrica pompa gaudent, et scortatores omnes, ingressuri sunt in regnum ac vitam : at nemo eis largietur eam absque labore ac pugna, siquidem « Angusta » est ac afflictionis plena via[1] ; » per ipsam asperam viam transire, tolerare et affligi oportet, et sic ingredi vitam.

XXI. Si enim absque labore prospero successu uti licuisset, non amplius lapis offensionis ac petra scandali esset christianismus; nec fides et infidelitas. Constituis insuper quoque hominem devinctum, immutabilem tum ad bonum, tum ad malum. Etenim ei, qui mutari potest in utramque partem, lex data est; ei nimirum, qui liberum arbitium habet, ut bellum gerat adversus contrariam potestatem. Devinctæ enim naturæ lex non imponitur : neque enim sol, neque cœlum aut terra lege tenentur : quia creaturæ sunt ligatæ naturæ ; unde nec præmio, nec supplicio subjacent. Honor enim et gloria præparata est ei, quod converti potest ad bonum : e diverso vero gehenna et supplicium eidem mutabili naturæ præparatum est, quæ nempe potest evitare malum, ac vergere ad bonam et dextram partem. Ecce asseris cum ligatæ naturæ : bonum ergo virum non constituis laude dignum. Qui enim a natura mansuetus ac bonus est, non erit laude dignus, quamvis sit desiderabilis. Non enim laudabile, licet desiderabile, quod non est ex proposito bonum. Ille enim laude dignus est, qui proprio studio non absque certamine ac pugna amplectitur quod bonum est, libera arbitrii voluntate ductus.

XXII. Perinde ac si sit acies Persarum, atque acies

[1] Matth. VII, 14.

Digitized by Google

Romanorum, atque prodeant ex iis pennati adolescentes duo, viribus æquales, qui lucta contendant; ita adversaria potestas et mens æquas vires obtinent adversus se invicem : ac parem facultatem habet Satanas adhortandi et alliciendi animam ad voluntatem suam, atque anima e diverso pugnam habet, ut contradicat, et in nulla re ei obsequatur. Exhortatione enim excitari possunt ambæ facultates, tum ad bonum, tum ad malum, non tamen compelli. Huic igitur liberæ electioni datur divina remuneratio, potestque dimicando sumere arma de cœlo, atque eorum beneficio eradicare ac superare peccatum. Contradicere enim peccato potest quidem anima : sine Deo vero superare aut extirpare vitium nequit. Verum qui asserunt peccatum esse velut strenuum gigantem, animam vero velut pusillum, perperam dicunt. Si enim adeo essent res dissimiles, ut peccatum sit velut gigas, anima vero velut pusillus, iniquus esset legislator, qui legem tulit homini, ut pugnam incat adversus Satanam.

XXIII. Hoc autem est fundamentum viæ ad Deum deducentis, in tolerantia multa, in spe, in humilitate, in paupertate spiritus, in mansuetudine viam vitæ peragrare; et horum beneficio quis obtinere potest justitiam in se ipso : dicimus autem justitiam, ipsum Dominum[1]. Hæc enim mandata, quæ hunc in modum præcipiunt, sunt tanquam lapides miliares fixi, et signa regiæ viæ, deducentis ad cœlestem civitatem inambulantes. Inquit enim : « Beati » pauperes spiritu; Beati mites; Beati misericordes; Beati » pacifici[2]. » Hunc dicito esse christianismum. Si vero quis hac via non inambulet, per devia errat, malo fundamento usus. Gloria miserationibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti in sæcula. Amen.

[1] Jerem. xxiii, 6. — [2] Matth. v, 3, et seqq.

Digitized by Google

HOMILIA XXVIII.

Describit ac deplorat hæc Homilia calamitatem animæ, in qua propter peccatum non habitat Christus. Et de Joanne Baptista, quod inter natos mulierum nullus eo sit major.

I. Quemadmodum olim Deus infensus Judæis tradidit Jerusalem in spectaculum hostibus, et dominati sunt eos, qui oderant illos, nec erat amplius ibi festum, neque oblatio : sic etiam iratus animæ, propter transgressionem mandati, tradidit eam hostibus, dæmonibus et affectionibus : qui cum sic seduxissent eam, penitus eam deformarunt : nec amplius illic erat festum, nec incensum, nec oblatio per eam Deo offerebatur, repletis in viis insignibus ejus diris feris, ac reptilibus spiritibus in ea diversantibus. Et quemadmodum domus, si careat Domino inhabitante, tenebras, probrum ac contumeliam induit, sordibusque ac stercore repletur; sic quoque anima destituta Domino suo, cum Angelis in se tripudiante, tenebris peccati, turpitudine affectionum atque omni ignominia repletur.

II. Væ viæ, si nemo in ea ambulet, nec audiat in ea vocem hominis ! quia receptaculum est bestiarum. Væ animæ, si non ambulet in ea Dominus, atque voce sua fuget ex ea spirituales nequitiæ bestias ! Væ domui, si non dominus eam inhabitet ! Væ terræ, si caruerit, qui exerceat eam, colono ! Væ navi, si destituatur gubernatore, quoniam fluctibus et tempestate maris jactata perit ! Væ animæ, cum verum gubernatorem Christum in se non

Digitized by Google

Romanorum, atque prodeant ex iis pennati adolescentes duo, viribus æquales, qui lucta contendant; ita adversaria potestas et mens æquas vires obtinent adversus se invicem : ac parem facultatem habet Satanas adhortandi et alliciendi animam ad voluntatem suam, atque anima e diverso pugnam habet, ut contradicat, et in nulla re ei obsequatur. Exhortatione enim excitari possunt ambæ facultates, tum ad bonum, tum ad malum, non tamen compelli. Huic igitur liberæ electioni datur divina remuneratio, potestque dimicando sumere arma de cœlo, atque eorum beneficio eradicare ac superare peccatum. Contradicere enim peccato potest quidem anima : sine Deo vero superare aut extirpare vitium nequit. Verum qui asserunt peccatum esse velut strenuum gigantem, animam vero velut pusillum, perperam dicunt. Si enim adeo essent res dissimiles, ut peccatum sit velut gigas, anima vero velut pusillus, iniquus esset legislator, qui legem tulit homini, ut pugnam incat adversus Satanam.

XXIII. Hoc autem est fundamentum viæ ad Deum deducentis, in tolerantia multa, in spe, in humilitate, in paupertate spiritus, in mansuetudine viam vitæ peragrare; et horum beneficio quis obtinere potest justitiam in se ipso : dicimus autem justitiam, ipsum Dominum[1]. Hæc enim mandata, quæ hunc in modum præcipiunt, sunt tanquam lapides miliares fixi, et signa regiæ viæ, deducentis ad cœlestem civitatem inambulantes. Inquit enim : « Beati » pauperes spiritu; Beati mites; Beati misericordes; Beati » pacifici[2]. » Hunc dicito esse christianismum. Si vero quis hac via non inambulet, per devia errat, malo fundamento usus. Gloria miserationibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti in sæcula. Amen.

[1] Jerem. xxiii, 6. — [2] Matth. v, 3, et seqq.

Digitized by Google

HOMILIA XXVIII.

Describit ac deplorat hæc Homilia calamitatem animæ, in qua propter peccatum non habitat Christus. Et de Joanne Baptista, quod inter natos mulierum nullus eo sit major.

I. Quemadmodum olim Deus infensus Judæis tradidit Jerusalem in spectaculum hostibus, et dominati sunt eos, qui oderant illos, nec erat amplius ibi festum, neque oblatio : sic etiam iratus animæ, propter transgressionem mandati, tradidit eam hostibus, dæmonibus et affectionibus : qui cum sic seduxissent eam, penitus eam deformarunt : nec amplius illic erat festum, nec incensum, nec oblatio per eam Deo offerebatur, repletis in viis insignibus ejus diris feris, ac reptilibus spiritibus in ea diversantibus. Et quemadmodum domus, si careat Domino inhabitante, tenebras, probrum ac contumeliam induit, sordibusque ac stercore repletur; sic quoque anima destituta Domino suo, cum Angelis in se tripudiante, tenebris peccati, turpitudine affectionum atque omni ignominia repletur.

II. Væ viæ, si nemo in ea ambulet, nec audiat in ea vocem hominis ! quia receptaculum est bestiarum. Væ animæ, si non ambulet in ea Dominus, atque voce sua fuget ex ea spirituales nequitiæ bestias ! Væ domui, si non dominus eam inhabitet ! Væ terræ, si caruerit, qui exerceat eam, colono ! Væ navi, si destituatur gubernatore, quoniam fluctibus et tempestate maris jactata perit ! Væ animæ, cum verum gubernatorem Christum in se non

Digitized by Google

Romanorum, atque prodeant ex iis pennati adolescentes duo, viribus æquales, qui lucta contendant; ita adversaria potestas et mens æquas vires obtinent adversus se invicem : ac parem facultatem habet Satanas adhortandi et alliciendi animam ad voluntatem suam, atque anima e diverso pugnam habet, ut contradicat, et in nulla re ei obsequatur. Exhortatione enim excitari possunt ambæ facultates, tum ad bonum, tum ad malum, non tamen compelli. Huic igitur liberæ electioni datur divina remuneratio, potestque dimicando sumere arma de cœlo, atque eorum beneficio eradicare ac superare peccatum. Contradicere enim peccato potest quidem anima : sine Deo vero superare aut extirpare vitium nequit. Verum qui asserunt peccatum esse velut strenuum gigantem, animam vero velut pusillum, perperam dicunt. Si enim adeo essent res dissimiles, ut peccatum sit velut gigas, anima vero velut pusillus, iniquus esset legislator, qui legem tulit homini, ut pugnam ineat adversus Satanam.

XXIII. Hoc autem est fundamentum viæ ad Deum deducentis, in tolerantia multa, in spe, in humilitate, in paupertate spiritus, in mansuetudine viam vitæ peragrare; et horum beneficio quis obtinere potest justitiam in se ipso : dicimus autem justitiam, ipsum Dominum[1]. Hæc enim mandata, quæ hunc in modum præcipiunt, sunt tanquam lapides miliares fixi, et signa regiæ viæ, deducentis ad cœlestem civitatem inambulantes. Inquit enim : « Beati » pauperes spiritu; Beati mites; Beati misericordes; Beati » pacifici[2]. » Hunc dicito esse christianismum. Si vero quis hac via non inambulet, per devia errat, malo fundamento usus. Gloria miserationibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti in sæcula. Amen.

[1] Jerem. xxiii, 6. — [2] Matth. v, 3, et seqq.

Digitized by Google

HOMILIA XXVIII.

Describit ac deplorat hæc Homilia calamitatem animæ, in qua propter peccatum non habitat Christus. Et de Joanne Baptista, quod inter natos mulierum nullus eo sit major.

I. Quemadmodum olim Deus infensus Judæis tradidit Jerusalem in spectaculum hostibus, et dominati sunt eos, qui oderant illos, nec erat amplius ibi festum, neque oblatio : sic etiam iratus animæ, propter transgressionem mandati, tradidit eam hostibus, dæmonibus et affectionibus : qui cum sic seduxissent eam, penitus eam deformarunt : nec amplius illic erat festum, nec incensum, nec oblatio per eam Deo offerebatur, repletis in viis insignibus ejus diris feris, ac reptilibus spiritibus in ea diversantibus. Et quemadmodum domus, si careat Domino inhabitante, tenebras, probrum ac contumeliam induit, sordibusque ac stercore repletur; sic quoque anima destituta Domino suo, cum Angelis in se tripudiante, tenebris peccati, turpitudine affectionum atque omni ignominia repletur.

II. Væ viæ, si nemo in ea ambulet, nec audiat in ea vocem hominis ! quia receptaculum est bestiarum. Væ animæ, si non ambulet in ea Dominus, atque voce sua fuget ex ea spirituales nequitiæ bestias ! Væ domui, si non dominus eam inhabitet ! Væ terræ, si caruerit, qui exerceat eam, colono ! Væ navi, si destituatur gubernatore, quoniam fluctibus et tempestate maris jactata perit ! Væ animæ, cum verum gubernatorem Christum in se non

Digitized by Google

habuerit! quoniam in acerbo tenebrarum mari degens, et fluctibus affectionum quassata, atque a spiritibus nequam, velut hyemali tempestata jactata, tandem interitum consequitur. Væ animæ, si caruerit, qui excolat illam diligenter, Christo, ut bonos fructus Spiritus producere possit! quia cum sit deserta, spinis ac tribulis plena, tandem exustionem ignis pro fructu producit ac consequitur. Væ animæ, si non habuerit Dominum suum Christum in se habitantem! quia cum sit deserta, ac fœtore affectionum scateat, diversorium existit vitiorum.

III. Quemadmodum enim colonum, si accingat se ad excolendam terram, oportet instrumenta atque indumenta ad culturam accommoda sumere : ita Christus, rex ille cœlestis ac verus agricola, veniens ad desolatam per vitium humanitatem, assumpto corpore, ac pro instrumento crucem portando, excoluit animam desertam, et ex ea decerpsit spinas et tribulos pravorum spirituum, et lolia peccati evulsit, atque omne fœnum peccatorum ejus igni combussit : cumque sic exercuisset illam ligno crucis, plantavit in ea pulcherrimum hortum Spiritus, omnis generis suavissimum et gratissimum fructum Deo velut Domino producentem.

IV. Et sicut in Ægypto, triduis tenebris factis, non videbat filius patrem, nec frater fratrem, nec amicus sincerum ac germanum amicum, tenebris obvelantibus eos : sic postquam Adamus transgressus est mandatum, et a pristina gloria excidit, ac spiritui mundi obnoxius est factus, velamine quoque tenebrarum veniente in animam ejus, ipsius culpa, vel usque ad postremum Adamum, nempe Dominum, non videbat verum patrem cœlestem, bonam ac benignam matrem, gratiam Spiritus; dulcem ac desideratum fratrem, Dominum; amicos et germanos, sanctos Angelos, quibuscum gaudebat tripudians, et

Digitized by Google

festa celebrans. Non solum autem usque ad postremum Adamum; sed etiamnum hi, quibus non est exortus Sol justitiæ Christus, quorumque oculi animæ non sunt aperti, a vero lumine illuminati, sub iisdem adhuc hærent tenebris peccati, eadem voluptatum agente vi prædíti, eidem supplicio subjecti, oculos, qui patrem videant, nondum consecuti.

V. Hoc enim quilibet perspectum habere debet, esse oculos interiores horum oculorum, et interiorem auditum hujus auditus. Et quemadmodum hi oculi sensibiliter conspiciunt ac cognoscunt faciem amici aut dilecti : sic quoque pretiosæ ac fidelis animæ oculi spiritualiter illuminati divino lumine, intuentur ac cognoscunt verum amicum, suavissimum, multisque votis desideratum sponsum Dominum, et quidem illuminata anima a Spiritu adorando. Quæ sic intellectu conspiciens desideratam ac solam inenarrabilem pulchritudinem, amore divino sauciatur, atque ad omnes virtutes Spiritus dirigitur, atque adeo immensam et perpetuam consequitur dilectionem erga sæpius a se desideratum sponsum. Quid igitur beatius æterna voce illa Joannis, monstrantis ob oculos Dominum, ac dicentis : « Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi[1] ?

VI. Revera « Inter natos mulierum nullus major Joanne » Baptista[2]. » Complementum enim est omnium Prophetarum. Et omnes quidem vaticinati sunt de Domino, procul monstrantes eum venturum. Ipse vero de Salvatore prophetans, commonstrabat ante omnium oculos, clamans ac dicens : « Ecce Agnus Dei? » Quid erat suavis ac præclara vox recta monstrantis eum, quem prædicabat? « Ma» jor Joanne inter eos qui nascuntur e mulieribus nullus; » qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo[3]. » Qui desuper ex Deo nati sunt Apostoli et primitias Spiri-

[1] Joann. 1, 29. — [2] Matth. 11, 11. — [3] Ibid.

Digitized by Google

ritus Paracleti acceperunt : hi siquidem, ut una judices essent, ac in eodem throno sederent, digni reputati sunt : hi redemptores hominum facti sunt. Invenis eos dividentes mare pravarum potestatum, atque educentes fideles animas. Invenis eos colonos, vineam animæ excolentes. Invenis eos paranymphos, desponsantes animas Christo. « Despondi enim, inquit, vos uni viro[1]. » Invenis eos largientes vitam hominibus, et summatim invenis eos variis ac diversis modis ministrantes Spiritui. Hic igitur est ille parvus, qui major est Joanne Baptista.

VII. Quemadmodum enim agricola jugum boum dirigens excolit terram : eodem quoque modo Dominus Jesus, præclarus ac verus agricola, binos Apostolos copulans, emisit eos, cum illis excolens terram audientium ac vere credentium. Cæterum hoc quoque dictu dignum est, non in solo verbo auditus regnum Dei, et Apostolorum prædicationem esse, veluti si quis dicendi facultate polleat, atque apud alios peroret ; sed in virtute atque efficacia Spiritus regnum consistere. Hæc enim obtigerunt quoque Israëlitarum filiis, continuo meditantibus Scripturas, utpote qui de Domino meditationem suscipiebant, ipsam vero hæreditatem aliis tradebant : ita qui sermones Spiritus aliis enarrant, cum ipsi verbum in virtute non possideant, aliis tradunt hæreditatem. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto in sæcula. Amen.

[1] 2 Cor. xi, 2.

Digitized by Google

HOMILIA XXIX.

Duplici ratione dispensationem gratiæ in genus humanum exercet Deus, fructus ejus justo judicio iterum repetiturus.

I. Sapientia Dei, cum sit infinita et incomprehensibilis, incomprehensibili et impervestigabili modo dispensationes gratiæ erga genus humanum varie exercet, ad liberam arbitrii voluntatem probandam, ut manifestentur, qui ex toto corde Deum diligunt, atque omne periculum ac laborem ejus causa sustinent. Quos enim præoccupant charismata, ac Spiritus sancti dona, hi quamprimum accesserunt cum fide et postulatione, absque labore, sudore et fatigatione interdum in mundo degunt. Insuper largitur gratiam illam Deus non otiose, non frustra, neque fortuito; sed arcana quadam et incomprehensibili sapientia ad probandam intentionem ac liberam arbitrii voluntatem eorum, qui statim divinam gratiam consequuntur, an perceperint beneficium, et sibi præstitam benignitatem ac dulcedinem Dei, juxta proportionem gratiæ absque propriis laboribus oblatæ; qua digni habiti, debent studium, cursum, conatum ac fructum dilectionis a voluntate et proposito perfectum, demonstrare, ac retributionem charismatum rependere, hoc est, se totos dilectioni Domini addictos dedere, ipsius voluntatem solam peragere, et ab omni carnali concupiscentia penitus recedere.

II. Quibus vero, quamvis secesserint a mundo, et renuntiarint huic sæculo secundum Evangelium, atque assidue in continuatione precum, jejunii, diligentiæ, reliqua-

Digitized by Google

rumque virtutum perseverarint, non statim Deus concedit gratiam, requiem et exultationem Spiritus, longanimitate erga eos usus, donumque retinens : nec quoque hoc otiose; neque intempestive, neque fortuito facit, sed secreta quadam sapientia ad probandam liberi arbitrii voluntatem, ut videat, an fidelem ac veracem reputent Deum, qui pollicitus sit se daturum petentibus, ac pulsantibus aperturum januam vitæ; ut perspiciat quoque, an qui vere credunt verbo suo, ad finem usque permansuri sint in plena fiducia fidei ac industriæ, postulantes ac quærentes : annon afflicti, et remissiores facti avertantur, ac diffidentes et desperantes contemnant, non perdurantes ad finem usque propter interjectionem temporis, ac probationem voluntatis et propositi.

III. Qui enim non confestim accipit, propter dilationem ac longanimitatem Dei, ardentius accenditur, vehementiusque appetit cœlestia bona, atque majus desiderium, studium, cursum, certamen, omnem virtutis statum, esuriem et sitim ad bonum quotidie apponit, non factus remissior a malitia cogitationum animæ inhærentium, et in contemptum, impatientiam ac desperationem conversus : aut contra, prætextu longanimitatis, socordiæ se ipsum dedat, hac cogitatione usus, nempe, « Quando consequar gratiam Dei ? » inde ad negligentiam a malitia subreptus. At vero quanto magis Dominus ipse differendo longanimum se præstat erga eum, examinans fidem ac dilectionem voluntatis ejus; tanto acrius, tanto diligentius, irremisse ac indefatigabiliter inquirere debet donum Dei, semel credens, ac certa fiducia sibi persuadens Deum mendacii expertem ac veracem esse, qui promisit se daturum gratiam suam in fide eam petentibus, usque ad finem cum omni patientia.

IV. Fideles enim animæ fidelem ac veracem existimant

Digitized by Google

Deum, « Et obsignaverunt, quod verax sit[1], » ut verus sermo perhibet. Consequenter igitur juxta prædictam fidei notitiam dijudicant se ipsas, quarum rerum inopiam patiantur, quantum possunt, sive labore, sive certamine, sive studio, sive fide, sive dilectione, sive reliqua virtutum acie : et ubi se examinarint omnino accurate et subtiliter, compellunt, pro viribus, atque adigunt se ipsas ad bene placendum Domino ; quippe quæ semel crediderunt Deum, qui verax est, non privaturum eas dono Spiritus, si permanserint usque ad finem in cultu atque expectatione cum omni diligentia, sed dignas se reputatum iri cœlesti gratia, ut adhuc in carne existentes, atque vitam æternam consecuturas.

V. Atque hoc pacto mota omni dilectione sua ad Dominum, repudiatisque omnibus, eum solum summo desiderio, esurie et siti expectant ; et recreationem et consolationem gratiæ perpetuo præstolantos, in nulla re hujus mundi consolationem accipiunt et requiescunt, ac ultro ligatæ sunt ; sed crassis semper cogitationibus contradicentes, auxilium atque remunerationem Dei tantum expectant, cum hujusmodi studio, intentione ac patientia præditis animis ipse Dominus jam occulte adsit, suppetias ferat, conservet et suffulciat omnem virtutis fructum : ac licet in labore et afflictione sint, et in cognitione veritatis et illustratione animæ, nondum tamen consecutæ sunt gratiam Spiritus, ac recreationem cœlestis doni, nec in plena fide constitutæ perceperunt eam, propter arcanam sapientiam, et inenarrabilia judicia Dei, qui variis modis fideles animas probat, et dilectionem ex voluntate et proposito manantem intuetur. Termini enim quidam sunt, mensuræ ac trutinæ, liberæ intentionis, et voluntariæ dilectionis, atque affectionis erga omnia sancta ejus mandata, quantum licet. Quo fit, ut animæ, quæ implent amoris atque officii sui

[1] Joan. III, 33.

Digitized by Google

rumque virtutum perseverarint, non statim Deus concedit gratiam, requiem et exultationem Spiritus, longanimitate erga eos usus, donumque retinens: nec quoque hoc otiose; neque intempestive, neque fortuito facit, sed secreta quadam sapientia ad probandam liberi arbitrii voluntatem, ut videat, an fidelem ac veracem reputent Deum, qui pollicitus sit se daturum petentibus, ac pulsantibus aperturum januam vitæ; ut perspiciat quoque, an qui vere credunt verbo suo, ad finem usque permansuri sint in plena fiducia fidei ac industriæ, postulantes ac quærentes : annon afflicti, et remissiores facti avertantur, ac diffidentes et desperantes contemnant, non perdurantes ad finem usque propter interjectionem temporis, ac probationem voluntatis et propositi.

III. Qui enim non confestim accipit, propter dilationem ac longanimitatem Dei, ardentius accenditur, vehementiusque appetit cœlestia bona, atque majus desiderium, studium, cursum, certamen, omnem virtutis statum, esuriem et sitim ad bonum quotidie apponit, non factus remissior a malitia cogitationum animæ inhærentium, et in contemptum, impatientiam ac desperationem conversus: aut contra, prætextu longanimitatis, socordiæ se ipsum dedat, hac cogitatione usus, nempe, «Quando consequar gratiam Dei?» inde ad negligentiam a malitia subreptus. At vero quanto magis Dominus ipse differendo longanimum se præstat erga eum, examinans fidem ac dilectionem voluntatis ejus; tanto acrius, tanto diligentius, irremisse ac indefatigabiliter inquirere debet donum Dei, semel credens, ac certa fiducia sibi persuadens Deum mendacii expertem ac veracem esse, qui promisit se daturum gratiam suam in fide eam petentibus, usque ad finem cum omni patientia.

IV. Fideles enim animæ fidelem ac veracem existimant

Digitized by Google

Deum, « Et obsignaverunt, quod verax sit[1], » ut verus sermo perhibet. Consequenter igitur juxta prædictam fidei notitiam dijudicant se ipsas, quarum rerum inopiam patiantur, quantum possunt, sive labore, sive certamine, sive studio, sive fide, sive dilectione, sive reliqua virtutum acie : et ubi se examinarint omnino accurate et subtiliter, compellunt, pro viribus, atque adigunt se ipsas ad bene placendum Domino ; quippe quæ semel crediderunt Deum, qui verax est, non privaturum eas dono Spiritus, si permanserint usque ad finem in cultu atque expectatione cum omni diligentia, sed dignas se reputatum iri cœlesti gratia, ut adhuc in carne existentes, atque vitam æternam consecuturas.

V. Atque hoc pacto mota omni dilectione sua ad Dominum, repudiatisque omnibus, eum solum summo desiderio, esurie et siti expectant ; et recreationem et consolationem gratiæ perpetuo præstolantes, in nulla re hujus mundi consolationem accipiunt et requiescunt, ac ultro ligatæ sunt ; sed crassis semper cogitationibus contradicentes, auxilium atque remunerationem Dei tantum expectant, cum hujusmodi studio, intentione ac patientia præditis animis ipse Dominus jam occulte adsit, suppetias ferat, conservet et suffulciat omnem virtutis fructum : ac licet in labore et afflictione sint, et in cognitione veritatis et illustratione animæ, nondum tamen consecutæ sunt gratiam Spiritus, ac recreationem cœlestis doni, nec in plena fide constitutæ perceperunt eam, propter arcanam sapientiam, et inenarrabilia judicia Dei, qui variis modis fideles animas probat, et dilectionem ex voluntate et proposito manantem intuetur. Termini enim quidam sunt, mensuræ ac trutinæ, liberæ intentionis, et voluntariæ dilectionis, atque affectionis erga omnia sancta ejus mandata, quantum licet. Quo fit, ut animæ, quæ implent amoris atque officii sui

[1] Joan. III, 33.

Digitized by Google

mensuram, regno cœlesti ac vita æterna indoneæ judicantur.

VI. Justus enim Deus est, et justa judicia ejus, neque respectus personarum apud eum ullus: sed pro modo beneficiorum, sive corporalium, sive spiritualium, sive scientiæ, sive intellectus (quæ Deus naturæ quoque humanæ varie indidit) judicaturus unumquemque, fructus virtutis requiret, et pro dignitate reddet cuique juxta opera ejus; et «Po» tentes potenter tormenta patientur[1].» Minimus enim venia ac misericordia dignus. Et Dominus ait: «Servus, qui cog» novit voluntatem Domini sui, et non se præparavit, nec » fecit secundum voluntatem ejus, plagis vapulabit multis. » Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit » paucis. Porro cuicumque multum datum est, multum » quæretur ab eo, et cui commendaverunt multum, plus » petent ab eo[2].» Scientiam autem et intellectum diversimode intellige, tam secundum gratiam et donum cœleste Spiritus, quam secundum naturalem progressum intellectus et discretionis, atque e sacris Litteris profectæ institutionis. Ab unoquoque enim reposcentur fructus virtutis, pro modo a Deo in se collatorum beneficiorum, sive naturalium, sive a divina gratia concessorum. Inexcusabilis ergo est omnis homo apud Deum in die judicii. A quolibet enim, prout novit, fructus fidei, et dilectionis, atque omnis sibi concessæ virtutis, intentionis ac voluntatis ratione habita, restitutio exigetur, sive auditu perceperit, sive nunquam\verbum Dei audiverit.

VII. Anima enim fidelis, ac veritatis amans, intuens æterna bona justis reposita, atque ineffabile venturæ gratiæ divinæ beneficium, se ipsam, ac studium suum, laborem atque fatigationem indignam statuit arcanis promissionibus Spiritus. «Hic pauper est spiritu, quem Dominus bea» tum prædicat[3]: » hic esurit et sitit justitiam: hic est contri-

[1] Sap. VI, 7. — [2] Luc. XII, 47, 48. — [3] Matth. V, 3.

Digitized by Google

tus corde. Qui hujusmodi intentionem suscipiunt, studium, laborem, ac desiderium virtutis, et ad finem usque in eo permanent, vitam et regnum æternum vere consequi poterunt. Ne igitur quis fratrum extollatur adversus fratrem, nec ad arrogantem sui existimationem procedat, a malitia subreptus, inquiens nempe : «Ego donum spirituale consecutus sum ! » Non enim decet Christianos hæc cogitare. Quid enim crastina lux illi allatura sit ignoras : et quis finis ejus, quisve tuus futurus sit, nescis. Verum quisque sibi attendat, et propriam conscientiam assidue dijudicet, ac probet opus cordis sui, quo studio, quove conatu mens sua Deum prosequatur : et ad perfectum scopum libertatis, et affectionum vacuitatis, atque quietis spiritualis collimans, citra omnem intermissionem ac segnitiem currat, in nullo charismate aut justificatione collocata fiducia. Gloria et adoratio Patri, et Filio, et Spiritui sancto in sæcula. Amen.

HOMILIA XXX.

Ex Spiritu sancto renasci oportet animam, quæ regnum Dei ingressura est, et quo pacto hoc fiat.

I. Qui verbum audiunt, opus verbi in suis ipsorum animis demonstrare debent. Verbum enim Dei non est otiosum, sed opus habet, quod in anima perficitur : propterea enim opus appellatur, ut opus quoque inveniatur apud eos, qui audiunt. Exhibeat igitur Dominus opus veritatis audientibus, ut verbum fructuosum reperiatur in nobis. Perinde enim ac umbra præcedit corpus ; umbra

Digitized by Google

autem corpus demonstrat, at veritas est ipsum corpus: sic quoque est verbum velut umbra veritatis Christi. Præcedit itaque verbum veritatem. Patres, qui in terris sunt, e sua ipsorum natura generant liberos, e corpore suo et anima, eosque natos omni studio, et accurata diligentia instituunt, ut suos filios, donec perfecti viri evadant, et successores ac hæredes. Omnis enim scopus patrum, et omne studium, ab initio eo tendit, ut procreent liberos, ac hæredes habeant; et nisi genuerint, summa tristitia ac mœrore afficiuntur; sicut e diverso, ubi procreaverint liberos, gaudio perfunduntur: gaudent quoque cognati et vicini.

II. Eodem modo Dominus noster Jesus Christus de hominis salute sollicitus, omnem dispensationem ac studium perfecit a principio, ministerio patrum Patriarcharum, Legis ac Prophetarum, postremo quoque ipse adveniens, ac crucis ignominiam spernens, mortem pertulit. Omnis itaque labor ille, et studium ejus in eo fuit, ut generaret ex se ipso, e sua ipsius natura filios e Spiritu, placide acquiescens, quod supernitus nascerentur e sua Divinitate. Et quemadmodum patres hi, nisi genuerint, tristitia et dolore afficiuntur: eodem modo Dominus, qui diligens genus hominum ut propriam imaginem, voluit eos ex ipso semine divino procreare. Si qui ergo renuerint ad hujusmodi generationem venire, et de ventre Spiritus divini nasci, summum dolorem suscipit Christus, qui propter eos passus est, ac pertulit, ut eos servaret.

III. Omnes enim homines vult Dominus hanc nativitatem consequi: pro omnibus siquidem mortuus est, et omnes ad vitam vocavit. Vita vero est desuper ex Deo generatio: absque hac enim vivere animam impossibile, ut inquit Dominus: «Nisi quis natus fuerit e supernis, non poterit videre regnum Dei[1].» Ut contra, quicumque Domino crediderint, et accedentes nativitatem hanc consecuti

[1] Joan. III, 3.

Digitized by Google

fuerint, gaudium conciliant et summam exultationem in cœlis parentibus, qui eos procrearunt. Et omnes Angeli sanctæque Virtutes lætantur de anima, quæ e Spiritu prognata et Spiritus effecta est. Hoc enim corpus similitudo est animæ; anima vero imago Spiritus existit. Et quemadmodum corpus absque anima mortuum est, nec quid peragere valet: sic absque cœlesti anima, absque divino Spiritu, mortua est a regno anima, nec potest quidquam peragere eorum, quæ ad Deum pertinent, absque Spiritu.

IV. Quemadmodum enim statuarius attendit ad faciem regis, tum pingit: ac, si ex adversa parte sit facies regis, intendens in ipsum pictorem, facile atque eleganter ille imaginem ad vivum depingit: sin vero faciem avertat, pingere nequit; eo quod intentis oculis non intuebatur pingentem: eodem quoque modo insignis ille pictor, Christus, credentibus ei, et fixis eum oculis semper intuentibus, confestim depingit ad imaginem suam hominem cœlestem, ex ipso Spiritu, ex substantia ipsius luminis arcani, pingit imaginem cœlestem, et largitur ei præclarum et bonum illius sponsum. Si quis ergo immotis oculis eum non semper intueatur, spretis omnibus, nequaquam pinget Dominus imaginem ejus e suo ipsius lumine. Oportet ergo fixis oculis intueri nos eum, credere, et diligere illum, omnia projicere eique attendere, ut pingat sui ipsius imaginem cœlestem et immittat animis nostris: atque sic nos gestantes Christum, vitam æternam consequamur, et hinc certiori fiducia fulti requiescamus.

V. Perinde ac moneta aurea, nisi impressam habuerit regiam imaginem, non in commercio versari potest, nec in regis thesauros reconditur, sed rejicitur: sic quoque anima, nisi habuerit imaginem cœlestis Spiritus in lumine arcano, Christum in se insculptum, non est commoda ad supernos thesauros, et a mercatoribus regni, præclaris

Digitized by Google

Apostolis, respuitur. Qui enim invitatus fuerat, non exornatus veste nuptiali, tanquam alienus ejectus est in exteriores tenebras, eo quod non gestaret imaginem cœlestem. Hoc enim est signum ac sigillum Domini animis impressum, Spiritus nimirum luminis arcani. Et quemadmodum mortuus inutilis est, nec omnino quid commodat iis, qui hic vivunt; quapropter exportant quoque eum ex urbe, et humi deponunt: sic quoque anima, quæ non gestat cœlestem divini luminis imaginem, vitam scilicet animæ, velut reproba ac plane rejectitia evadit. Non enim commodat illi civitati Sanctorum anima mortua, quæ non gerit lucidum ac divinum Spiritum. Quemadmodum enim in mundo vita corporis est anima: sic quoque in æterno ac cœlesti mundo animæ vita est Spiritus divinus.

VI. Oportet igitur quærentem credere, et accedere ad Dominum, obsecrare, ut hinc consequatur Spiritum divinum: ipse enim est vita animæ, et propterea advenit Dominus, ut hinc vitam largiretur animæ, Spiritum nempe suum. « Dum enim, inquit, lucem habetis, credite in lucem. Venit nox, quando nemo potest operari [1]. » Si quis ergo non quæsierit hinc, et consecutus fuerit vitam animæ, divinum lumen Spiritus, ille ubi migrabit e corpore, in sinistra loca tenebrarum jam segregatur, in regnum cœlorum non ingrediens, nactus finem in gehenna cum diabolo et angelis ejus. Aut quemadmodum aurum vel argentum, conjectum in ignem, purius et probatius efficitur; nec quidquam potest illud mutare, nempe vel lignum vel herba. Omnia enim sibi adjecta consumit, quæ quidem in ignem evadunt: sic quoque anima in igni Spiritus, et in lumine divino conversans, nihil a quoquam pravorum spirituum patitur: et licet appropinquet quidpiam illi, consumitur id a cœlesti igne Spiritus. Aut veluti volucris, si in

[1] Joan. IX, 4.

Digitized by Google

altum evolarit, secura est, velut nihil metuens aucupes, aut noxias bestias ; siquidem supra dum est, deridet omnes : sic quoque anima, acceptis alis Spiritus in sublimes cœli regiones evolans, cum sit omnibus sublimior, omnia risui habet.

VII. Et quidem populus Israël secundum carnem, cum tunc divideret Moses mare, deorsum trajecit : hi vero, cum sint filii Dei, sursum deambulant super mare acerbissimum perversarum potestatum. Corpus enim et anima illorum domus Dei facta sunt. Die illa, qua lapsus est Adam, accessit Deus, ambulans in paradiso, lamentatus est, ut ita dicam, conspecto Ada, ac dixit : « Quibus e bonis qualia excitasti mala? E qua gloria quale dedecus geris? Cur tenebrosus es modo? cur deformis? cur putridus? quali ex lumine tales tenebræ obvelaverunt te? » Et quidem, cum cecidisset Adam, et a facie Dei mortuus esset, luxit eum Creator, Angeli, Virtutes omnes, cœli, terra, et omnes creaturæ luxerunt mortem et casum ejus : eum enim, qui datus erat illis rex, servum videbant factum esse adversariæ et pravæ potestatis. Tenebris igitur induit suam animam, et quidem tenebris acerbis ac pravis: siquidem redactus est sub imperium principis tenebrarum. Is erat, qui vulneratus a latronibus, semimortuus relictus est, cum descenderet ab Jerusalem versus Jericho[1].

VIII. Quinimo Lazarus quoque, quem Dominus excitavit, adeo multo fœtore plenus, ut nemo posset monumento appropinquare[2], typus erat Adæ, qui multum fœtoris et graveolentiæ in animam ascivit, et caligine ac tenebris repletus fuit. Cæterum tu, cum audieris de Adamo, de vulnerato, et Lazaro, ne dimittas mentem tuam velut in montem, sed intus in anima tecum habita; quia tu quoque eadem vulnera, eumdem fœtorem, easdem-

[1] Luc. x, 30. — [2] Joan. xi, 39.

Digitized by Google

que tenebras gestas. Omnes enim filii sumus illius tenebrosi generis, et omnes illius graveolentiæ participes sumus. Qua igitur laboravit affectione ille, eadem omnes, qui ex semine Adæ sumus, laboramus. Talis enim affectio contigit, uti Isaïas inquit : « Non est vulnus, non est cicatrix, » non est plaga, quæ saniem emittat. Non datur fomentum » apponere vel oleum, nec obligaturam facere[1] : » Usque adeo incurabili vulnere sauciati sumus, quod nonnisi solus Dominus potuit curare. Propterea enim ille ipse venit, quia nemo ex veteribus, neque lex ipsa, nec Prophetæ illud potuerunt sanare. Hic vero solus cum venisset, curavit plagam illam animæ insanabilem.

IX. Suscipiamus ergo ipsum Deum ac Dominum, verum medicum, qui solus veniens, potest sanare animas nostras, postquam ingentes nostri causa sustinuit labores. Pulsat enim perpetuo fores cordium nostrorum, ut aperiamus ei, quo ingressus requiescat in animis nostris; ut et abluamus et ungamus pedes ejus; et mansionem ipse apud nos faciet. Etenim illic exprobrat Dominus ei, qui non laverat pedes ejus[2]. Et rursum alibi dicit : « Ecce sto » ad ostium, et pulso, si quis audierit vocem meam, et » aperuerit januam, intrabo ad illum[3]. » Propterea enim multa perpessus sustinuit, tradens suum ipsius corpus morti, nos redimens a servitute, ut veniret ad animam nostram, et mansionem faceret in ea. Quapropter ad illos, qui a sinistris stantes in judicio, ab eo mittuntur in gehennam cum diabolo, ait Dominus : « Hospes eram, et non » collegistis me. Esurivi, et non dedistis mihi cibum. Si» tivi, et non dedistis mihi potum[4]. » Cibus enim et potus, indumentum, domicilium et requies ejus est in animis nostris. Semper ergo pulsat, volens ad nos ingredi. Quo-

[1] Isai. I, 5, 6. — [2] Luc. VII, 44. — [3] Apoc. III, 20. — [4] Matth. XXV, 42, 43.

Digitized by Google

circa suscipiamus eum, et introducamus intra nos; siquidem noster cibus, vita, potus et vita æterna ipse est. Itaque omnis anima, quæ non susceperit nunc eum intus ac requieverit, imo in ipso recreata fuerit, in regno cœlorum cum sanctis hæreditatem non cernit, neque in cœlestem civitatem ingredi potest. Ipse vero, Domine Jesu Christe, introduc nos in illam, glorificantes nomen tuum cum Patre et sancto Spiritu, in sæcula. Amen.

HOMILIA XXXI.

Fidelem oportet mutari animo, atque in Deum omnes cogitationes colligere, in quibus vere omne obsequium divinum consistit.

I. Oportet eum, qui credit, obsecrare Deum, ut immutetur intentione sua per mutationem cordis, quod vertatur ab acerbitate in dulcedinem; et recordari, quo pacto sanatus est cæcus; itidem, quæ sanguinis profluvio laborabat, tacta fimbria vestimenti, sanitatis particeps est facta, leonum natura mansuefacta est, et ignis natura extincta. Deus enim summum bonum est, in quem debes colligere mentem et cogitationes, nec quid aliud animo concipere, quam expectationem ejus intueri.

II. Sit igitur anima, perinde atque filios vagantes colligit, et castigans dispersas a peccato cogitationes, inducatque in domum corporis sui, semper expectans Dominum in jejunio et dilectione : quando veniens vere eos colligat. Futurum autem cum sit incertum, eo amplius speret, in gubernatore spe recte collocata; et revocet in memoriam, quomodo Raab cum alienigenis conversans,

Digitized by Google

credidit Israëlitis, eorumque societate digna habita est. Israëlitæ autem ex amore in Ægyptum reversi sunt. Quemadmodum ergo nihil nocuit Raab habitatio cum alienigenis, sed fides eam domesticam reddidit partibus Israëlitarum : ita peccatum nihil lædit eos, qui in spe et fide Redemptorem expectant, qui adveniens immutat cogitationes animæ, redditque eas divinas, cœlestes, bonas; et docet animam verum precandi modum, non distractum, nec vagabundum. « Ne timeas, inquit, ego ante te » ibo, et montes adæquabo, portas æneas conteram, et » vectes ferreos confringam[1]. » Et rursum : « Attende tibi » ipsi, ait, ne quando verbum absconditum in corde tuo » fiat iniquitas : ne dicas in corde tuo; Gens hæc numerosa est et potens[2]. »

III. Si nos socordia non dissolvamur, nec pabula præbeamus incompositis cogitationibus malitiæ; sed voluntate nostra trahamus animum, et compellamus cogitationes ad Dominum; dubio procul Dominus sponte sua veniet ad nos, et revera congregabit nos ad se ipsum. Omnis enim complacentia et ministerium in cogitationibus consistit. Quocirca contende, ut placeas Domino, expectans eum perpetuo interius, quærens eum in cogitationibus, et compellens atque adigens tuam ipsius voluntatem atque intentionem, ut in eum perpetuo intendant : et expende, qua ratione venit ad te, et mansionem facit apud te. Quanto enim magis colligis animum tuum ad eum quærendum, tanto magis ipse compelletur a propria misericordia atque benignitate, ut veniat ad te, et te resocillet. Fixus enim intuetur mentem tuam, cogitationes et meditationes; considerans, quomodo quæras eum, et an ex tota anima tua, an non segniter, an non negligenter.

IV. Et ubi viderit diligentiam tuam, in eo quærendo

[1] Isai. XLV, 2. — [2] Deut. VII, 27.

Digitized by Google

adhibitam, tunc manifestatur et apparet tibi, auxiliumque suum impertitur, ac victoriam tibi præparat, liberans te ab hostibus tuis. Conspiciens enim prius tuum quærendi eum ardorem, et quo pacto omnem tuam spem indesinenter in eo locatam habeas, hic docet atque largitur verum precandi modum, dilectionem veram, quæ est ipse, qui omnia apud te fit, paradisus, lignum vitæ, margarita, corona, architectus, agricola, patibilis, impatibilis, homo, Deus, vinum, aqua viva, ovis, sponsus, bellator, arma, omnia in omnibus Christus. Quemadmodum vero infans non novit se ipsum curare vel ornare, sed solum oculos convertit ad matrem, flens, donec misericordia commota illum suscipiat : sic fideles animæ in solo Domino spem habent perpetuo, omnem justitiam ei tribuentes, quia sicut sine vite palmes arescit, sic quoque qui absque Christo vult justificari. Et quemadmodum latro est et fur, « Qui » per ingressum non intrat, sed aliunde ascendit [1] : » ita qui sine justificante se ipsum justificat.

V. Tollamus ergo corpus nostrum, et construamus altare et superimponamus omnes nostras cogitationes, ac deprecemur Dominum, ut mittat e cœlo invisibilem et magnum ignem, qui consumat altare, et omnia quæ in eo sunt : omnesque sacerdotes Baal cadant, quæ sunt adversariæ potestates : tumque visu percipiemus spiritualem pluviam, velut vestigium hominis, venientem in animam, ut impleatur in nobis divina promissio, quemadmodum dictum est apud Prophetam : « Erigam et reædificabo » tabernaculum David, quod collapsum est : et diruta ejus » reædificabo [2] : » ut animam in nocte ac tenebris agentem, in ebrietate nempe ignorantiæ, sua benignitate Dominus illustret, quæ postea ad sobrietatem rediens absque offendiculo ambulet, diei vitæque opera peragens. Illic

[1] Joan. x, 1. — [2] Amos. ix, 11.

Digitized by Google

enim alitur anima, ubi quoque edit sive de hoc sæculo, sive de Spiritu divino : et illic Deus nutritur, vivit, requiescit et versatur.

VI. Cæterum quisque, si velit, probare se ipsum potest, unde nutriatur, ubi vivat, et apud quos degat, ut, ubi hoc pacto intellexerit, et accuratam discernendi facultatem consecutus fuerit, toto, ad id quod bonum est, impetu plene se ipsum tradat. Insuper inter precandum atque orandum attende tibi ipsi, observans cogitationes atque operationes unde sint, a Deo, an ab adversario? et quis præbeat alimentum cordi, Dominus, an principes mundi et sæculi hujus? Quod ubi probaveris et cognoveris, o anima, pete a Domino cum labore et desiderio cibum cœlestem, et incrementum atque operationem Christi, juxta id quod dictum est : « Nostra autem conversatio in cœlis » est [1] : » non autem in typo et figura, ut quidam existimant. Ecce enim eorum, qui speciem pietatis solum habent, animus atque intellectus similis est mundo : ecce commotio et fluctuatio voluntatis eorum, inconstans animus, timiditas, et metus, secundum quod dictum est : « In angustia et tremore eris super terram [2] : » infidelitate et confusione fluxarum cogitationum quanto tempore agitantur, ut reliqui omnes homines; specie solum, non etiam animi sententia dissident hi a mundo; et corporea prosperitate exterioris hominis; corde vero et animo in mundo distrahuntur, et laqueis terrenis, et inutilium curarum implicantur, pacem cœlestem in corde non consecuti, quemadmodum inquit Apostolus : « Pax Dei palmam ferat » in cordibus vestris [3], » quæ regnat, ac renovat fidelium animos in dilectione Dei, et omni fraternitate. Gloria et adoratio Patri, et Filio, et Spiritui sancto in sæcula. Amen.

[1] Philip. III, 20. — [2] Gen. IV, 12. — [3] Colos. III, 15.

Digitized by Google

HOMILIA XXXII.

Gloria Christianorum nunc in illorum animis latet, quæ tempore resurrectionis emerget, et illustrabit corpora pro modo eorum pietatis.

I. Linguæ hujus mundi variæ sunt. Quilibet enim populus propriam linguam habet. Christiani vero et nunc unam ediscunt linguam, et omnes sub una sapientia eruditiuntur, sapientia nimirum divina, non hujus mundi, neque sæculi prætereuntis. Et licet in his creatis rebus ambulent Christiani, in novas tamen divisiones cœlestes incidunt, in gloriam, et in mysteria, a conspicuis rebus sumpta occasione. Animalium mansuetorum genera sunt, equus et bos : unumquodque horum proprium habet corpus, et propriam vocem. Idem in bestiis ; leo proprium habet corpus, vocem propriam : itidem et cervus. In reptilibus quoque differentia non exigua, atque in volucribus multiplicia sunt corpora, aliud corpus et vox aquilæ, et aliud corpus et vox oxypteri. Eadem quoque sunt in mari ; corpora multa inter se dissimilia, et in terra semina sunt multa : verum unumquodque semen peculiarem habet fructum. Itidem multæ sunt arbores, verum sunt arbores quædam altiores, quædam arbores humiliores. Ipsi quoque autumni fructus magnum inter se obtinent discrimen ; quilibet enim eorum peculiarem habet gustum. Sunt quoque inter herbas discrimina multa : hæ quidem ad sanitatem conducunt, illæ vero ad fragrantiam duntaxat. Unaquæque vero arborum intus producit indumenta,

Digitized by Google

quæ videmus folia, flores et fructus : item semina intus producunt indumenta, quæ videntur. Ipsa quoque lilia intus proferunt tegmina, et exornant terram.

II. Sic quoque quotquot Christianorum hinc digni sunt habiti consequi cœlestem amictum, illum ipsum habent in animis suis commorantem. Et quoniam a Deo præfinitum est, ut dissolvatur creatura hæc, atque cœlum et terra transeant, indumentum cœleste nunc tegens et illustrans animam, quod obtinent in corde, illud nuda quoque corpora, quæ resurgent ex sepulcris, in illa die, qua corpora excitabuntur, illa videlicet induet gloria [1]; quod donum et indumentum invisibile ac cœleste nunc consequuntur Christiani. Quemadmodum autem oves aut cameli in fœnum incidentes, incontinenter et celeriter accedunt ad pabulum, atque includunt sibi alimentum : hora autem famis illud ipsum e ventriculo reducunt et ruminant, habentque velut alimentum, quæ ante reposuerant : sic quoque quicumque nunc regnum cœlorum rapuerunt, et cœlestem cibum in Spiritu viventes degustarunt, tempore resurrectionis eum ipsum habent tegentem et foventem omnia eorum membra.

III. Quemadmodum ergo diximus discrimen esse inter semina, quia multiplicia in unam terram seminata diversos producunt fructus, inter se dissimiles : itidem de arboribus sic se res habet, videlicet quasdam earum esse majores, quasdam minores, unam autem terram radices omnium continere : sic quoque cœlestis Ecclesia cum sit una, innumera est : quisque autem peculiariter exornatur a gloria Spiritus. Perinde enim ac volucres e corpore indumenta alarum producunt, discrimen autem inter eas non est exiguum ; quædam enim propius terram volant, quædam vero in aërem evolant : aut quemadmodum cœ-

[1] 1 Thess. IV, 15, 16.

Digitized by Google

lum unum est, et multas in se stellas continet, has quidem splendidiores; illas majores, illas vero minores : universæ vero in cœlo fixæ sunt : sic quoque sancti in uno cœlo divino, et in invisibili terra diversimode radices egerunt. Itidem quæ Adæ obveniunt cogitationes, diversæ sunt : at Spiritus in cor veniens, unam producit cogitationem, et unum cor : siquidem qui deorsum sunt, et qui sursum ab uno gubernantur Spiritu.

IV. Quid vero sibi volunt animalia bifida? quoniam duobus unguibus celeriter viam conficiunt, in figuram posita sunt eorum, qui in lege recte ambulant. Quemadmodum autem umbra corporis in eodem corpore est, at officium carnis implere nequit : umbra enim vulnera alligare nequit, nec cibum præbere aut loqui : ab ipso nihilominus corpore manat, et præcedens præsentiam corporis declarat : ad eumdem modum lex vetus umbra est Novi Testamenti [1]. Præmonstrat autem umbra veritatem, at ministerium Spiritus non obtinuit [2]. Non enim potuit Moses carne amictus penetrare cor, et auferre sordida vestimenta tenebrarum : sed solum Spiritus a Spiritu, et ignis ab igni dissolvit vim perversarum tenebrarum. Circumcisio ergo, quæ erat in lege, significat appropinquantem veram circumcisionem cordis, et baptisma legis umbra est verarum rerum. Illic enim abluebat corpus : hic vero animum cœno coinquinatum baptisma ignis et Spiritus purgat et abluit.

V. Illic sacerdos imbecillitate circumdatus ingrediebatur in sancta, et pro se et pro populo offerens victimam; hic vero verus pontifex Christus semel ingressus est in non manu factum tabernaculum, et supernum altare, promptus ad purgandum eos, qui postulant ab eo, et inquinatam conscientiam. Inquit enim : « Vobiscum sum usque ad

[1] Colos. II, 17. — [2] Hebr. X, 1.

Digitized by Google

» consummationem, sæculi[1]. » Habebat pontifex in pectore duos lapides pretiosos, qui continebant nomina duodecim Patriarcharum. Hlic quod fiebat, est figura : sic enim quoque Dominus indutus duodecim Apostolis, misit eos Evangelistas et præcones universi mundi. Vides quomodo umbra appropinquans veritatem indicet ; quemadmodum autem umbra nihil confert, nec laboribus medetur : sic neque antiqua lex vulnera animæ ac molestias sanare potuit : siquidem vitam non habebat.

VI. Duæ enim personæ conjunctæ perfectam rem quampiam efficiunt, videlicet, duo Testamenta. Ad imaginem et similitudinem Dei homo factus est, duos oculos habet, duas nares, duas manus, duos pedes : quem si contingat unoculum aut unimanum esse, aut altero pede carere, velut reprehendendus est. Aut quemadmodum avis, si unicam habuerit alam, ea sola volare nequit; sic quoque humana natura, si nuda quoad se maneat, et non recipiat mixtionem et communionem cœlestis naturæ, nihil laude dignum efficit; sed nuda manet, et culpanda in sua natura, et sordibus multis. Ipsa enim anima templum Dei et domicilium appellata est, sponsa regis. Inquit enim : « Inhabitabo in illis et inambulabo[2]. » Ita Deo placuit, ut descendens e sanctis cœlis, assumeret naturam tuam rationalem, carnem nempe terrenam, quam temperavit cum divino suo Spiritu, ut quoque tu terrenus cœlestem susciperes animam. Et ubi anima tua cum Spiritu communicaverit, et ingressa fuerit anima cœlestis animam tuam, tum perfectus homo in Deo es, et hæres, et filius.

VII. Quemadmodum vero majestatem Dei, et incomprehensibilem ejus naturam, neque superiora sæcula capiunt, neque inferiora : sic e converso humilitatem Dei,

[1] Matth. XXVIII, 20. — [2] 2 Cor. VI, 16.

Digitized by Google

et quo pacto exinaniat se cum humilibus et parvis, nec superni mundi, nec terreni consequi possunt. Quemadmodum enim majestas ejus non comprehenditur, sic neque ejus humilitas. Itaque contingit, ut si ex dispensatione subjiciaris affectionibus, passionibus et stigmatibus, aut aliis, quæ tibi adversa videntur, ea grata animæ tuæ accidant. Si in mundo versari velis, et ditescere, occurrunt tibi infortunata omnia : incipis tecum rationari : « Quoniam feliciter res meæ non successerunt in mundo, decedo ac renuntio, et Deo inservio. » Postmodum ubi huc perveneris, audis mandatum quod dicit : « Vende facultates tuas, odio prosequitor carnalem societatem, inservi Deo[1] : » Tum incipis gratum se exhibere adversæ fortunæ, qua in mundo obruebaris, inquiens : « Illius sane occasione deprehendor, obediens mandato Christi. » Cæterum si ex parte, quoad res externas, mutasti animum, et a mundo ac carnali commercio secessisti : sic igitur oportet te quoque quoad animum immutari, a sapientia carnali in cœlestem sapientiam. Postmodum ex eodem auditu discernere incipies, nec amplius habet requiem, sed solam curam et laborem, ut nancisceris quod audieris.

VIII. Ubi putaveris te perfecisse omnia, eo quod renuntiaris, sermonem confert tecum Dominus : « Quid gloriaris? nonne corpus tuum et animam tuam ego creavi? quid fecisti tu? » Incipit anima confitendo rogare Dominum, et dicere : videlicet, « Tua sunt omnia, domus, in qua dego, tua est : indumenta mea tua sunt ; a te nutrior, et a te dirigor ad omne emolumentum. » Tum incipit Dominus ad hæc dicere, « Habeo tibi gratiam, facultates tuæ sunt : bona voluntas tua est ; et ob tuum in me amorem, quoniam confugisti ad me, cedo, insuper dabo tibi, quæ neque tu hactenus possedisti, nec, qui super terram sunt

[1] Matth. XIX, 21.

Digitized by Google

homines, habent. Accipe me Dominum cum anima tua, ut sis perpetuo mecum in lætitia et exultatione. »

IX. Perinde enim ac mulier viro desponsata, omnia bona sua, et totam dotem offert præ summo amore, et in manus viri projicit, atque hoc ait : « Meum quod sit, nihil habeo, bona mea tua sunt : dos quoque tua est, et anima mea, et corpus meum, tuum est : » sic quoque temperans anima est virgo Domini, participans cum Spiritu ejus sancto. Oportet autem, perinde ac ipse, cum venisset supra terram, passus et crucifixus est, te quoque simul pati. Ubi enim recesseris a mundo, ac Deum quærere cœperis, et discernere, superest, ut pugnam ineas cum natura tua, antiquis nimirum moribus, et consuetudine tibi innata. Et inter pugnandum cum consuetudine, reperis cogitationes, reluctantes tibi, et repugnantes animo tuo : quæ cogitationes te trahunt, et occupatum reddunt rebus, unde exivisti, oculis subjectis. Deinceps incipis prælium conserere ac bellum, cogitationes movens adversus cogitationes, mentem adversus mentem, animam adversus animam, Spiritum adversus Spiritum : cæterum illic æterna quoque anima præsto est.

X. Latet enim occulta quædam et subtilis facultas tenebrarum, insidens cordi. Dominus quoque prope animam et corpus tuum est, spectans pugnam tuam, et arcanas cœlestes cogitationes indit tibi, atque incipit clam te refocillare. Dimittit autem te, donec erudiaris, et in ipsis afflictionibus dirigit te gratia : quæ ubi a pugna ad quietem perveneris, cognoscendam tibi se ipsam tradit, et commonstrat tibi se ad emolumentum tuum permisisse, ut exercearis. Perinde ac si sit divitis cujusdam puer, qui habeat pædagogum, tandiu quidem loris illum cædit; et castigatio, vulnera ac plagæ molestæ ei videntur, donec evadit in virum; tunc vero incipit gratum se exhibere pæ-

Digitized by Google

dagogo: sic quoque gratia cum dispensatione castigat, donec in perfectum virum evadas.

XI. Agricola semen in quamcumque partem projicit, et qui plantat vineam, cupit, ut tota fructum proferat; postmodum ergo illata falce, si non inveniat fructum, mœrore afficitur: sic quoque Dominus verbum suum seminari vult in cordibus hominum. Verum perinde ac agricola ob regionem inanem angitur; sic quoque Dominus de vacuo corde, nec fructus producente, contristatur. Quemadmodum venti perflant ubique cunctam creaturam; et quemadmodum sol omnem terram illustrat; sic Deitas ubique est, et ubique reperitur. Si quæras illum in cœlis, illic reperitur in cogitationibus Angelorum; si quæras eum in terra, hic quoque reperitur in cordibus hominum. E multis vero pauci reperiuntur, qui placeant Deo Christiani. Gloria et magnificentia Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Amen.

HOMILIA XXXIII.

Indesinenter et attente oportet Deo vota facere et precari.

I. Oportet nos, non ex more corporeo, nec pro more vociferandi, nec ex consuetudine silendi, aut genua flectendi, preces facere; verum sobrie animum attendentes expectare Deum, quando aderit et visitabit per omnes egressiones animam, per semitas ejus ac sensuum organa; et ita quando conveniat tacere, et quando conveniat clamare, et cum vociferatione precari, modo mens sit firmata in Deum. Perinde enim ac corpus cum operatur quippiam,

Digitized by Google

totum penitus occupatum incumbit operi, et omnia ejus membra se invicem adjuvant : sic quoque anima tota prorsus consecretur postulationi et charitati Domini, quæ nec vagis occupetur, aut circumferatur cogitationibus, et spem atque expectationem omnem collocatam habeat in Christo.

II. Atque hoc pacto illucescet ille, qui purum docet petendi modum, et suggerit orationem puram, spiritualem, Deo dignam, et quæ fit « In spiritu et veritate, adorationem [1]. » Quemadmodum vero, qui mercatoriam artem elegit, non unicum solum lucri faciendi excogitat inventum, sed undecumque augere et cumulare lucrum cogitur, ab hac ad aliam transiens solertiam et inventum; et inde aliud iter suscipiens, et ab eo, quod nihil prodest, semper transiliens, ad id, quod quæstuosius est, currit : sic quoque nos animam nostram varie et artificiose adornemus, ut lucrifaciamus verum ac summum lucrum, Deum nimirum, qui doceat nos in veritate precari. Ad hunc enim modum requiescit Dominus in bona animæ intentione, thronum gloriæ eam constituens, insidens, et requiescens in ea. Sic enim apud Ezechielem prophetam audivimus de spiritualibus animalibus [2], subjugatis currui Domini. Tota enim oculata nobis proponit ea, cujusmodi est anima quæ Deum gestat, quinimo quæ gestatur a Deo. Fit enim tota oculus.

III. Et quemadmodum domus, quæ dominum præsentem habet, omni abundat ornatu, pulchritudine et decore; eodem modo anima, quæ Dominum suum apud se ipsam habet, et in se manentem, omni pulchritudine et decore repleta est ; siquidem Dominum cum spiritualibus suis thesauris inhabitantem habet, et aurigam. Væ domui, cujus dominus peregrinatur, cuique dominus non præsto

[1] Joan. IV, 24. — [2] Ezech. I, 1. X, 2. Hom. I, 1, et seqq.

Digitized by Google

est, quia desolata est, diruta, plena omni impuritate et perturbatione. Illic « Sirenes et dæmonia [1] » secundum Prophetam habitant. In deserta enim domo feles, canes, et omnis immunditia latet. Væ animæ, quæ non resurgit a gravi lapsu suo; et intra se habet, qui persuadeant ei, atque adigant eam inimicitias suscipere cum suo ipsius sponso, et qui exoptent corrumpere ejus animi sensa a Christo.

IV. Cum vero Dominus viderit, quod colligat se ipsam pro viribus suis, semper Dominum quærens, noctu diuque expectans, atque clamans ad eum, quemadmodum mandavit « Citra intermissionem in omni negotio precari, » faciet vindictam ejus [2], » ut promisit, atque eam expurgatam ab omni militia sua, « Irreprehensibilem et immaculatam sponsam ipse sibi constituet eam [3]. » Cæterum si credis hæc vera esse, ut quoque sunt, attende tibi ipse, num consecuta sit anima tua lumen dirigens eam, verum cibum et potum, qui est Dominus; sin minus nactus sis, quære noctu diuque, ut consequaris. Si ergo aspexeris solem, inquirito verum solem; cæcus siquidem es. Si spectaveris lumen, respice animam tuam, num verum et bonum lumen nactus sis. Omnia enim, quæ visui patent, sunt umbra verarum rerum ad animam pertinentium. Est enim præter hominem conspicuum, alius homo interior, et alii oculi, quos occæcavit Satanas; et aures, quas surdas effecit. Itaque venit Jesus, ut interiori huic homini restituat sanitatem. Cui gloria et imperium cum Patre, et Spiritu sancto in sæcula. Amen.

[1] Isai. XXXIV, 14. — [2] Luc. XVIII, 1, 7. — [3] Ephes. V, 26, 27.

Digitized by Google

HOMILIA XXXIV.

De gloria Christianorum, quam corpora illorum in resurrectione consequentur, et qua cum anima illustrabuntur.

I. Quemadmodum oculi corporei clare omnia conspiciunt: sic quoque animis sanctorum manifesta et conspicua sunt ornamenta Divinitatis, quibus permixti Christiani sapiunt. At vero corporeis oculis occulta est illa gloria; animæ vero credenti perspicue revelatur, quam Dominus necatam excitat a peccato, quemadmodum suscitat et mortua corpora; cui præparat cœlum novum, et terram novam, et Solem justitiæ, cui largitur omnia e Divinitate sua. Ipse est mundus verus, terra vivens, vitis fructifera, panis vitæ, et aqua vivens, ut scriptum est: « Credo videre » bona Domini in terra viventium [1]. » Et rursum: « Orie» tur timentibus Dominum Sol justitiæ, et sanitas in alis » ejus [2]. » Et Dominus quoque inquit: « Ego sum vitis » vera [3]. » Et rursum: « Qui biberit ex hac aqua, quam » ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æter» nam [4]. »

II. Adventus enim Domini totus penitus propter hominem fuit, qui mortuus jacebat in sepulcro tenebrarum, peccati, spiritus impuri, et perversarum potestatum, ut in hoc sæculo nunc resuscitet ac vivificet hominem, emundet ab omni nigredine, illuminet eum suo lumine, atque amiciat eum suis ipsius indumentis divinis et cœlestibus.

[1] Psal. xxvi, 13. — [2] Malach. iv, 2. — [3] Joan. xv, 1, et vi, 48. — [4] Id. iv, 4.

Digitized by Google

In resurrectione autem corporum, quorum ante resurrexerint et gloria illustratæ fuerint animæ, tunc quoque corpora simul glorificabuntur et illustrabuntur cum anima, quæ nunc illuminata et illustrata fuit. Dominus enim est eorum domus, tabernaculum et civitas; domicilio vero cœlesti, non manufacto, protecti sunt, gloria nimirum luminis divini velut filii lucis effecti. Non intuebuntur se invicem oculo pravo; malitia enim sublata est. Non est illic masculus et fœmina, servus et liber. In divinam enim naturam omnes transmutantur, benigni, dii et filii Dei facti. Illic absque ullo pudore tunc loquetur pacem frater cum sorore. Unum siquidem sunt in Christo omnes, et omnes in uno lumine requiescunt. Attendet alter in alterum, et inter attendendum confestim denuo in veritate splendebunt, in vera contemplatione luminis arcani.

III. Adeo multiplicibus figuris, multa et varia gloria divina se invicem aspicient: quisque stupore percutietur et exultabit exultatione ineffabili, animadversa alterius gloria. Vides quo pacto gloria Dei verbis explicari aut comprehendi nequeat, gloria scilicet luminis arcani, æternorum mysteriorum, et bonorum innumerabilium. Quemadmodum enim in rebus aciei oculorum subjectis, plantas terræ, semina aut flores varios non datum est cuipiam numero comprehendere, atque ut omnes opes terræ metiatur quispiam aut cognoscat, fieri non potest; aut veluti animalia in mari degentia, aut numerum, aut genera, aut differentiam, aut mensuram aquæ ejus, aut mensuram loci ejus impossibile est ulli hominum comprehendere; aut veluti per aërem volantium volucrium numerum, aut genera aut varietates non licet cognoscere; aut veluti magnitudinem cœli, aut positus astrorum, aut cursum eorum consequi impossibile est: sic quoque impossibile est enarrare aut explicare divitias Christianorum immen-

Digitized by Google

sas, infinitas et incomprehensibiles. Si etenim creaturæ istæ adeo infinitæ et incomprehensibiles hominibus sunt, quanto magis qui condidit et creavit illas? Debet igitur quispiam vehementius exultare et lætari, tantas opes et hæreditatem Christianis præparatam esse, ut nemo possit eloqui aut enarrare, Cæterum omni studio et animi humilitate accedere oportet ad certamen Christianorum, ac consequi illas divitias. Hæreditas enim et pars Christianorum, est ipse Deus. « Dominus enim, inquit, pars hæreditatis meæ et calicis mei [1]. » Gloria sit ei, qui se ipsum donat, atque permiscet sanctam animam suam animis Christianorum in sæcula. Amen.

HOMILIA XXXV.

De sabbato antiquo et novo.

I. In umbra legis per Mosen datæ mandavit Deus unumquemque requiescere in sabbato, et nihil agere. Hoc autem figura erat et umbra veri sabbati, quod animæ donatur a Domino. Anima enim, quæ digna censetur ab obscœnis et turpibus cogitationibus liberari, tum verum sabbatum celebrat, tum veram requiem requiescit, otium agens et liberata ab omnibus operibus tenebrosis. Illic enim in typici sabbati celebratione, etsi corpora quiescebant, verumtamen animæ nequitiis ac vitiis erant illigatæ. Hoc vero, verum sabbatum vera est requies animæ, quæ vacat et expurgata est a cogitationibus Satanæ, et requiescit in perpetua quiete et lætitia Domini (7).

II. Quemadmodum enim tunc mandavit, ut ipsa quó-

[1] Psal. xv, 5.

Digitized by Google

que bruta animalia sabbato quiescerent, ne bos sub jugum necessarium traheretur ; ne asino onera imponerentur ; quiescebant enim ipsa quoque animalia a duris operibus; sic quoque cum venisset Dominus, et verum æternumque sabbatum contulisset, refocillavit animam oneribus iniquitatis, immundarumque cogitationum gravatam et onustam, et operantem iniquitatis opera necessario, quippe quæ sub acerborum dominorum servitutem erat redacta ; et levavit eam ab oneribus intolerabilibus, variis atque obscœnis cogitationibus, sublatoque gravi jugo operum iniquorum recreavit eam, cogitationibus impuris laborantem.

III. Dominus enim vocat hominem ad recreationem, inquiens : « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati » estis, et ego refocillabo vos [1]. » Itaque quæcumque animæ crediderint et accesserint, reficiet eas ab his gravibus, molestis, et immundis cogitationibus, quæ vacantes ab omni iniquitate celebrant sabbatum verum, deliciarum plenum et sanctum : peragunt festum Spiritus, gaudii et exultationis inenarrabilis, et serviunt servitium purum et Deo gratum ex puro corde, hoc est, verum et sanctum sabbatum. Obsecremus ergo nos quoque Deum, ut ingrediamur in hanc requiem, ut feriemur a turpibus, malitiosis atque vanis cogitationibus, quo hoc pacto possimus servitium exhibere Deo ex puro corde, ac celebrare festum Spiritus sancti. Beatus ergo, qui ingressus est illam requiem. Gloria Patri, cui sic placuit, et Filio, et Spiritui sancto in sæcula. Amen.

[1] Matth. xi, 28.

Digitized by Google

HOMILIA XXXVI.

De duplici resurrectione animarum et corporum, et diversa resurgentium gloria.

I. Resurrectio mortuarum animarum ab hoc momento fit : resurrectio vero corporum in illa die. Quemadmodum vero in cœlo, quæ fixæ sunt stellæ, non sunt omnes æquales, sed una ab altera differt splendore et magnitudine; sic in rebus spiritualibus pro modo fidei sunt promotiones in ipso Spiritu, unus locupletior altero. Scriptura quoque ait : « Qui loquitur lingua, Spiritu Dei loquitur[1]. » Hic spiritualis est, qui cum Deo loquitur : « At qui prophetat, Ecclesiam ædificat[2]. » Iste abundantiam adeptus est gratiæ. Ille enim se ipsum duntaxat ædificat, hic vero se ipsum et proximum. Hoc porro se habet, ut granum frumenti in terram conjectum : idem ex uno corde plura et diversa grana producit. Et rursum ex spicis ipsis aliæ sunt ampliores, aliæ tenuiores; universæ vero in unam congregantur aream, in unum horreum; et licet diversæ sint, unus ex ipsis conficitur panis.

II. Aut quemadmodum in civitate sunt hominum multitudines, et nonnulli sunt pueri pusilli, alii vero viri vel adolescentes; omnes vero ex uno fonte aquam bibunt, unum panem comedunt, unumque aërem spirant. Aut perinde ut sunt lucernæ, et hæc quidem habet duo luminaria, illa vero septem; at ubi est abundantia lucis, ibi aliter illuminat : sic quicumque sunt in igne et lumine, nequeunt esse in tenebris : verum magna inter eos est dis-

[1] 1 Cor. XIV, 2.— [2] Ibid. 3.

Digitized by Google

crepantis. Veluti ac si pater quispiam habeat duos filios, hunc pusillum, alterum adolescentem, hunc quidem in urbes mittit et regiones, pusillum autem semper tuetur, quia nihil potest agere. Gloria Deo. Amen.

HOMILIA XXXVII.

De paradiso et lege spirituali (8).

I. « Amicitia hujus mundi, ut scriptum est, inimicitia est » Dei[1]. » Quapropter Scriptura jubet unumquemque omni custodia observare cor suum[2], ut quis, velut paradisum, conservans in eo verbum, fruatur gratia, nec audiat serpentem intus se implicantem, et consulentem quæ voluptati inserviunt, ex qua nascitur iracundia ad fratricidium committendum adigens, et moritur anima pariens; verum audiat Dominum dicentem : « Curam habete fidei ac spei, e quibus proficiscitur charitas, et Dei et hominum amans, quæ vitam æternam largitur. » In hujusmodi paradisum ingressus est Noë, mandatum observans atque exequens, atque per charitatem servatus est ab ira. Hunc conservans Abraham divinæ voci obtemperavit. Hunc custodiens Moses, gloriam in facie recepit. Itidem et David hunc custodiens, effecit, unde dominium in hostes adeptus est. Verumetiam Saül, quandiu custodivit cor, felici rerum successu utebatur; quando vero sub finem transgressus est, tandem est circumventus. Juxta mensuram enim et ex proportione pervenit ad unumquemque verbum Dei, quantum quis possiderit, tantum possidebitur : et quantum quis custodierit, tantum custodietur.

[1] Jacob. IV, 4. — [2] Prov. IV, 23.

Digitized by Google

II. Propterea universus chorus sanctorum Prophetarum, Apostolorum, et Martyrum verbum in cordibus suis custodierunt, de nulla re solliciti, sed despicientes terrena in mandato Spiritus sancti permanserunt, eligentes quod Deo Spiritui gratum et bonum erat : non verbo solo aut cognitione nuda, sed verbo et opere, ac rebus ipsis : pro divitiis eligentes paupertatem, pro gloria honorum contemptum, pro voluptate miseriam, unde etiam pro ira dilectionem : odio enim prosequentes quæ jucunda sunt in hac vita, eos qui hæc auferebant, vehementius diligebant, tanquam opitulantes sibi ad scopum attingendum, prohibiti a cognitione boni malique : neque enim bonos repellebant, nec improbos accusabant : eos omnes legatos administrationis dominicæ esse existimantes. Quocirca erga omnes gerebant animum benevole affectum. Cum enim audirent Dominum dicentem : « Remittite, et remit» tetur vobis[1], » tunc qui se læderent, beneficos reputabant, velut ab iis consecuti occasionem remittendi. Cum vero rursus audirent : « Quemadmodum vultis, ut faciant » vobis homines, ita vos quoque facite illis[2], » tunc quoque probos in conscientia diligebant. Relinquentes enim suam justitiam, et justitiam Dei quærentes, consequenter invenerunt et charitatem in ea naturaliter reconditam.

III. Dominus enim cum multa de charitate præciperet, jussit quærere justitiam Dei : novit enim hanc matrem charitatis esse. Non licet enim salvari, nisi per proximum : ut præcepit : « Remittite, et remittetur vobis. » Hæc est lex spiritualis, quæ in cordibus fidelibus scribitur, complementum nimirum prioris legis. « Non enim, inquit, » veni ad destruendam legem, sed ut compleam[3]. » Quo ergo pacto impleatur, accipe. Prior lex sumpta occasione benedicendi ei, qui peccaverat, fortius condemnavit eum,

[1] Luc. VI, 37. — [2] Matth. VII, 12. — [3] Id. V, 17.

Digitized by Google

qui læsus est. « In quo, inquit, judicas alterum, in eo te » ipsum condemnas : in quo vero remittit, remittetur ei[1]. » Ita enim lex inquit : « In medio judicii judicium, et in » medio remissionis remissio. »

Plenitudo ergo legis remissio est. Cæterum « Priorem » legem » diximus, non quod Deus duas leges præscripserit hominibus, sed unicam, et quidem illam spiritualem ex natura : quoad vindictam vero, justam inferens unicuique ultionem, remittenti remittit, et æmulum æmulatur. Inquit enim : « Cum electo, electus eris, et cum perverso, » perverse ages[2]. » Quapropter, qui spiritualiter eam implent, et pro modo participes sunt gratiæ, non beneficos solum, sed etiam conviciantes ac persecutores diligunt, spiritualem charitatem expectantes pro remuneratione bonorum : « Bonorum » autem dico, non quia offensas remiserunt, verum quia animas injuriam inferentium beneficio quoque affecerunt. Sic enim eos obtulerunt Deo, ac si per eos beatitudinem consecuti essent, quemadmodum inquit : « Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti » vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos, men- » tientes propter me[3]. »

V. A lege spirituali, ut sic sentirent, edocti sunt. Dum enim patienter ferunt, et animi mansuetudinem servant, Dominus intuens patientiam cordis, bello oppressi, et charitate minime labescente, diruit « Interstitium mace- » riæ[4], » atque adeo ingentem inimicitiam expulerunt, ut non amplius vi, sed cum auxilio charitatem sibi subjectam habeant. Dominus enim posthac coërcet versatilem gladium, excitantem cogitationes, et ingrediuntur interiora velaminis, quo præcursor pro nobis introiit Dominus : et cum delectatione fruuntur fructibus Spiritus, atque fu-

[1] Rom. II, 1, 2. — [2] Psal. XVII, 26. — [3] Matth. V, 11. — [4] Ephes. II, 14.

Digitized by Google

tura cum animi constantia contemplantes, nec, ut Apostolus ait, amplius « In speculo atque ænigmate[1] » versantes, inquiunt : « Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, » nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus » diligentibus se[2]. » Verum ego hanc admirandam quæstionem movebo.

INTERROGATIO.

VI. *Si in cor hominis non ascenderunt, vos quo pacto illa nostis; qui maxime confiteamini in Actis vos esse homines iisdem cum nobis affectionibus subjectos*[3].

RESPONSIO.

Sed audite, quid ad hæc respondeat Paulus : « Nobis » autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim » omnia scrutatur, etiam profunditates Dei[4]. » Verum ne quis dicat ipsis datum esse Spiritum tanquam Apostolis, a nobis vero secundum naturam comprehendi hoc non posse, alicubi deprecans ait : « Ut det vobis Deus juxta divitias » gloriæ suæ, ut fortitudine corroboremini in internum ho» minem, ut inhabitet Christus per fidem in cordibus ves» tris[5]. » Et rursum : « Dominus autem Spiritus est. Ubi » vero Spiritus Domini, ibi libertas[6]. « Et rursum : « Si quis » vero Spiritum Christi non habet, hic non est ejus[7]. »

VII. Obsecremus ergo quoque nos in certitudine fidei et sensu, ut participes fiamus Spiritus sancti, et ingrediamur unde egressi sumus : et ut in posterum avertatur a nobis serpens et interfector animi, superbus et vanus consultor, spiritus sollicitudinis et crapulæ : ut inde firmiter

[1] 1 Cor. XIII, 12. — [2] Id. II, 9. — [3] Act. XIV, 15. — [4] 1 Cor. II, 10. — [5] Ephes. III, 16, 17. — [6] 2 Cor. III, 17. — [7] Rom. VIII, 9.

Digitized by Google

credentes mandata Domini servemus, et crescamus in eo « In virum perfectum, in mensuram ætatis[1], » ne ultra dominetur nobis deceptio hujus sæculi, sed in certitudine fidei Spiritus simus, neque diffidamus : quia peccatores quoque resipiscentes gratia Dei benevole suscipit. Quod enim per gratiam donatur, id non licet amplius, comparando cum antecedente infirmitate, metiri; quia gratia jam non esset gratia, sed in Deum omnipotentem credentes simplici et curis vacuo corde accedamus ad eum, qui per fidem participationem Spiritus largitur, non per assimilationem operum fidei ; inquit enim : « Non ex operibus » legis Spiritum accepistis, sed ex auditu fidei[2]. »

INTERROGATIO.

VIII. *Dixisti omnia spiritualiter in anima esse recondita. Quid est ergo* : « Volo quinque verba in Ecclesia » mente mea loqui[3]? »

RESPONSIO.

Ecclesia in diabus personis intelligitur, congregatione scilicet fidelium, et in concretione animæ. Si ergo spiritualiter in homine accipiatur, Ecclesia est tota ejus compages. Quinque autem verba sunt virtutes, quibus comprehenditur, quæ totum hominem construunt, variis modis divisæ. Quemadmodum enim qui loquitur in Domino, per quinque verba omnem complectitur sapientiam ; sic qui sequitur Dominum per quinque virtutes summopere pietatis cultum ædificat. Quæ cum sint quinque, reliquas omnes comprehendunt, prima nimirum oratione. Cæteræ continentia, misericordia, paupertas, longanimitas, hæ desiderio

[1] Ephes. IV, 13. — [2] Galat. III, 2. — [3] 1 Cor. XIV, 19.

Digitized by Google

ac voluntate implentur; suntque verba animæ quæ a Domino proferuntur, et in corde exaudiuntur. Dominus enim operatur, et tunc Spiritus loquitur in intellectu : et cor quantum desiderat, tantum quoque in aperto operatur.

IX. Virtutes autem illæ, in quantum omnes comprehendunt, tantum sese mutuo generant. Sublata enim prima, tolluntur omnes. Itidem per secundam quæ sequuntur; et ita deinceps. Quo pacto enim quis precabitur non a Spiritu impulsus? Et attestatur mihi Scriptura, quæ dicit : « Nemo potest dicere Dominum Je» sum, nisi per Spiritum sanctum[1]. » Insuper quo pacto absque orationis auxilio continens permanebit? Et qui non est per omnia continens, quo pacto miserebitur esurientis aut injuriam passi? Verum qui misericordia non ducitur, illic neque spontaneo motu paupertatem suscipit. Rursum vero iracundia est alumna et nutrix cupiditatis pecuniarum; sive pecuniam habeat, sive non. Cæterum prædita virtutibus anima ita ædificatur in Ecclesia, non quia operata est, sed quia desideravit. Non enim proprium opus salvat hominem, sed qui operandi facultatem largitur. Si ergo quis stigmata Domini perfert, ne existimet aliquid esse, licet quidvis fecerit, vel etiam, quod summo amore atque animi conatu operi producendo incubuerit. Ne igitur existimes te in virtute prævenisse Dominum, secundum eum qui dicit : « Ipse est qui operatur in vobis velle et » perficere, pro bona voluntate[2]. »

INTERROGATIO.

X. *Quid igitur præcipit Scriptura homini facere?*

[1] 1 Cor. XII, 3. — [2] Philip. II, 13.

Digitized by Google

RESPONSIO.

Antea diximus promptitudinem animi hominem habere a natura, quam quoque Deus requirit. Præcipit igitur, ut primum cognoscat, et cum cognorit, diligat, et voluntate incumbat. Ut autem exerceatur mens, aut laborem toleret, aut opus aliquod perficiat, gratia Domini largitur volenti et credenti. Voluntas ergo hominis est velut adjutorium a natura insitum : absente vero voluntate, neque ipse Deus quippiam operatur, quamvis possit; propter liberam nimirum arbitrii voluntatem. Perfectio igitur operis Spiritus in voluntate hominis sita est. Rursum, si totam voluntatem concedamus, integrum opus nobis ascribit, mirabilis ille Deus in omnibus, et qui animo comprehendi omnino non potest : nos homines vero portiunculam aliquam mirabilium ejus explicare conamur, Scriptura nixi, quin potius ab illa edocti. « Quis enim, ait, » cognovit sensum Domini[1] ? » Ipse vero dixit : « Quoties » volui congregare filios tuos, et noluistis[2]. » Itaque ex hoc credamus, quod ipse nos congregat; a nobis autem solam requirit voluntatem. Quæ vero voluntatis erit declaratio nisi labor spontaneus?

XI. Quemadmodum enim ferrum, dum secat, scindit, arat, plantat, ipsum quidem quatenus impellitur, aliquid porrigit : alius tamen est, qui movet et agitat ferrum, et ubi fuerit attritum, inflammat atque renovat. Sic quoque homo, licet prematur et laboret, operans quod bonum est, Dominus tamen clam in ipso operatur, et dum labore defatigatur et atteritur ille, cor consolatur atque recreat, ut quoque Propheta inquit : « Num gloriabitur securis absque » scindente? aut in altum tolletur serra sine trahente[3] ? »

[1] 2 Cor. II, 16, et Rom. XI, 34. — [2] Matth. XXIII, 37, et Luc. XIII, 34. — [3] Isai. X, 15.

Digitized by Google

Eodem modo se res quoque habet in committendo malo : quando homo obtemperat, et promptum, se exhibet, tum quoque Satanas impellit et exacuit illum, velut latro ensem. Ferro autem assimilavimus cor, ob imperitiam rerum summamque duritiem. Tametsi non decebat nos ignorare eum, qui gubernat nos, velut ferrum sensu carens ; (quoniam celeriter ab agricolæ verbo ad malitiæ cogitationem non dilabimur,) sed potius veluti bos et asinus nosse debemu eum, qui impellit et dirigit pro mentis agitatione. Inquit enim : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præ» sepe domini sui; Israël autem me non cognovit[1]. » Precemur igitur, ut consequamur cognitionem Dei, et in spirituali erudiamur lege, ad obsequium sanctorum mandatorum ejus, glorificantes Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum in sæcula. Amen.

HOMILIA XXXVIII.

Accurato judicio atque intellectu opus est in discernendis veris Christianis, et quinam sint illi.

I. Multi, qui justi apparent, habentur pro christianis : verum artificum est et peritorum probare, num tales revera habeant signum et imaginem regis? an forsitan adulterino impresso signo causa sint artificum opera, an admirentur artifices, et reprehendant ; si vero defuerint artifices, non poterunt probari dolosi fabricatores : quoniam ipsi quoque gerunt habitum eorum, qui solitariam vitam agunt, aut Christianorum. Etenim pseudoapostoli pro Christo patiebantur, et ipsi annuntiabant regnum cœlorum. Qua propter inquit Apostolus : « In pe-

[1] Isai. 1, 1.

Digitized by Google

» riculis copiosius, in afflictionibus supra modum, in car- » ceribus abundantius[1] : » volens ostendere se plura, quam ipsi, passum esse.

II. Aurum facile reperitur; margaritæ vero et lapides pretiosi, commodi ad diadema regium, rarius inveniuntur; sæpenumero enim ex iis reperias, qui minus sint idonei : sic quoque inter Christianos, qui superstruuntur coronæ Christi, ut sociæ sanctorum fiant animæ illæ. Gloria sit ei, qui usque adeo dilexit animam hanc, et pro illa passus est, et suscitavit eam a mortuis. Quemadmodum autem Mosi velamen imponebatur in vultum, quia non poterat intendere in faciem ejus populus[2]; sic quoque nunc cordi tuo injectum est velamen, ne conspicias gloriam Dei. Ubi vero illud fuerit ablatum, tum apparet et manifestat se ipsum Christianis, et diligentibus se, et inquirentibus in veritate, ut ait : « Manifestabo ei me ipsum, et mansionem » apud eum faciam[3]. »

III. Contendamus ergo accedere ad Christum mendacii expertem, ut consequamur promissionem et Novum Testamentum, quod renovavit Dominus per crucem et mortem, effractis portis inferni et peccati; cum eduxisset animas fideles, donavit eisdem interius Paracletum, atque reduxit illas in regnum suum. Una ergo cum illo nos quoque regnemus, in Jerusalem civitate ejus, in cœlesti Ecclesia, in choro sanctorum Angelorum. Qui vero fratrum longo tempore exercitati et probati sunt, hi possunt rudibus suppetias ferre et compati.

IV. Quidam enim munientes se ipsos, et a gratiâ Dei imprimis agitati, adeo sanctificata membra sua repererunt, ut existimarent non contingere, ut in christianismum cadat cupiditas; sed eos possidere mentem sobriam

[1] 2 Cor. xi, 23. — [2] Exod. xxxiv, 33, 34, et 2 Cor. iii, 13. — [3] Joan. xiv, 21, 23.

Digitized by Google

et castam; et quoad reliqua interiorem hominem pendere a divinis et cœlestibus : ut omnino existimarent talem jam ad perfectum pervenisse gradum, qui cum putaret, appulisse se jam ad portum tranquillum, insurrexerunt ei fluctus, ut denuo inventus sit in medio pelagi, illucque delatus, ubi mare, cœlum et mors prompta : adeo peccatum ingressum produxerat omnem malam cupiditatem. Rursum vero tales, aliqua gratia digni habiti, et, ut ita dicam, ex imo maris profundo guttulis, quibusdam irrorati, reperiunt hoc ipsum singulis horis, singulisque diebus tam admirandam operationem fieri, ut qui operetur ob inopinatam, peregrinam et divinam effectionem obstupescat et admiretur, qua ratione deceptus sit. Porro gratia ipsum illuminat, dirigit, pacificum reddit, ac bonum efficit, quæ gratia per omnia divina et cœlestis; ut collatione ejus reges, potentes, sapientes, et in dignitate constituti velut minimi ac viles reputentur. Exiguo vero temporis aut horæ spatio post, res immutantur, ut revera is ipse se ipsum reputet graviorem peccatorem omnibus hominibus : et rursum alia hora videat se ipsum veluti regem maximum et ingentem, aut potentem amicum regis : rursum alia hora se ipsum videat infirmum et pauperem. Cæterum in perplexitatem labitur animus, quamobrem sic, et rursum sic. Quia Satanas, cum id quod bonum est odio prosequatur, mala suggerit his, qui virtutem consectantur, eosque avertere contendit; hoc enim ejus est opus.

V. Verum ne illi subjiciaris, sed operare justitiam, quæ in interiori homine perficitur, in quo Christi altare consistit una cum impolluto sanctuario, ut testimonium conscientiæ tuæ glorietur in cruce Christi, qui expurgat conscientiam tuam ab operibus mortuis, ut spiritu tuo Deo ministres, ut noris quid adoras, secundum eum qui dicit : « Nos adoramus quod scimus[1]. » Confide diri-

[1] Joan. IV, 22.

Digitized by Google

genti te Deo, consortium habeat anima tua cum Deo, ut sponsa societatem colit cum sponso. « Mysterium enim hoc » magnum est : Ego vero dico, inter Christum[1] » et incontaminatam animam. Cui gloria in sæcula. Amen.

HOMILIA XXXIX.

Ad quid Scriptura divina nobis a Deo donata sit?

I. Quemadmodum rex, qui scribit litteras ad eos, quibus vult codicillos et peculiaria munera largiri, notum facit omnibus, nempe : « Contendite confestim ad me venire, ut accipiatis a me munera regia : » qui nisi venerint et acceperint, nihil ipsis proderit, quod has legerint; quin potius mortis supplicio fiunt obnoxii, quod renuerint venire, et e manu regis honorarium consequi : sic quoque divinas Scripturas velut Epistolas misit rex Deus hominibus, iis significans, ut invocantes Deum, et credentes petant et consequantur donum cœleste ex hypostasi Divinitatis ejus. Scriptum enim est : « Quo fiamus divinæ consortes » naturæ[2]. » Si vero non accesserit, non petierit, nec acceperit, nihil ei proderit, quod legerit Scripturas, imo potius capitali supplicio tenebitur, quod a Rege cœlesti noluerit accipere donum vitæ; sine quo fieri nequit, ut vitam immortalem, quæ est Christus, consequatur. Cui gloria in sæcula. Amen.

[1] Ephes. v, 32. — [2] 2 Petr. i, 4.

Digitized by Google

HOMILIA XL.

Cunctas virtutes, et cuncta vitia inter se colligatas esse, et velut catenam unam ab altera dependere.

I. De exteriori exercitatione, et quodnam institutum sit potius et primum hoc scitote, dilecti, quod inter se devinctæ sint omnes virtutes. Velut enim quædam spiritualis catena una ab altera dependet; precatio a dilectione, dilectio a gaudio, gaudium a mansuetudine, mansuetudo ab humilitate, humilitas ab obsequio, obsequium a spe, spes a fide, fides ab auditu, auditus a simplicitate. Quemadmodum etiam ex adversa parte vitia, unum ab altero, dependent; odium ab ira, ira a superbia, superbia a vana gloria, vana gloria ab infidelitate, infidelitas a duritie cordis, durities cordis a negligentia, negligentia a pigritia, pigritia ab acedia, acedia ab impatientia, impatientia a voluptate, et reliqua membra vitiorum ab invicem dependentia: sic quoque in bona parte ab invicem dependent, et suspensæ sunt virtutes.

II. Caput autem totius boni instituti, et vertex honestarum actionum est perdurare in precatione, cujus ope cæteras quoque virtutes per postulationem a Deo quotidie consequi possumus. Hinc enim provenit iis, qui digni habentur, communicatio divinæ sanctimoniæ et spiritualis efficaciæ, et connexio affectionis animi erga Dominum, velut per arcanam dilectionem. Qui enim se ipsum quotidie ad perseverandum in oratione compellit, ille in amorem divinum et desiderium ardens a spirituali dilectione accen-

Digitized by Google

ditur erga Deum, et gratiam perfectionis sanctificantis Spiritus suscipit.

INTERROGATIO.

III. *Quoniam quidam vendunt facultates suas, servos libertate donant, et implent mandata, non tamen studeant consequi in hoc mundo Spiritum, num qui sic vivunt, non abeunt in regnum cœlorum?*

RESPONSIO.

Disputatio hæc subtilis est. Quidam enim aiunt unicum esse regnum, et unicam gehennam (9). Nos autem asserimus multos esse gradus, differentias atque mensuras, non solum in ipso regno, verumetiam in gehenna. Quemadmodum ergo est una anima in omnibus membris, nihilominus ea sursum in cerebro vim suam exerit, et deorsum pedes commovet: sic quoque Divinitas omnes creaturas, tum cœlestes, tum quæ subtus abyssum sunt, continet, et ubique plene est in creaturis, quamvis aliena a creaturis sit, eo quod sit dimensionis et comprehensionis expers. Attendit ergo ipsa Divinitas hominibus, et gubernat omnia cum ratione. Et quoniam nonnulli precantur, ignorantes quid quærant; quidam vero jejunant; alii consistunt in ministerio, unicuique pro modo fidei, Deus, qui justus judex est, reddit mercedem. Quæ enim faciunt, metu Dei peragunt: verum non omnes isti filii, aut reges, aut hæredes sunt.

IV. Cæterum in mundo alii sunt homicidæ, alii stupro dediti, alii raptores: rursum nonnulli sua pauperibus largiuntur; attendit quoque his et illis Dominus, et quidem bene agentibus, quietem et præmium largitur. Sunt enim

Digitized by Google

mensuræ exiguæ. Et in ipso lumine ac gloria discrepantia quædam est. In ipsa porro gehenna et supplicio inveniuntur venefici, latrones et alii, qui levia peccata commiserunt. Qui vero asserunt unicum esse regnum, et unicam gehennam, nec esse gradus, perperam loquuntur. Quot enim sunt modo mundani, qui spectaculis et aliis absurdis rebus hærent intenti? et quot sunt modo qui deprecantur ac metuunt Deum? His igitur et illis attendit Deus, et velut justus judex, his requiem, illis vero supplicium præparat.

V. Quemadmodum autem homines, qui jungunt equos, currus dirigunt, et adversus se invicem impellunt; quilibet enim eorum contendit, qua ratione prosternat et superet adversarium: ita se habet in corde certantium, spectaculum improborum spirituum cum anima luctantium, Deo et Angelis certamen spectantibus. Itaque singulis horis producuntur ab anima multæ recentes cogitationes; itidem a vitio quoque interius. Anima enim multas reconditas habet cogitationes, quas ad horam ipsam procreat et gignit. Ipsum quoque vitium permultas habet cogitationes et studia, et ad horam producit cogitationes novas adversus animam. Mens etenim auriga est, quæ jungit currum animæ, tenens habenas cogitationum: et currit illic contra currum Satanæ, ubi ipse quoque junxit currum adversus animam.

INTERROGATIO.

IV. *Si quies est anima, quo pacto dicunt aliqui, nos non posse orare, nec perseverant in oratione?*

RESPONSIO.

Ipsa requies si abundet, suppeditat viscera misericordiæ atque alia obsequia, velut, visitandi fratres, ministrandi

Digitized by Google

verbo. Ipsa quoque natura desiderat progredi, et visere fratres ad loquendum verbum. Nihil enim est, quod in ignem conjectum, potest permanere in sua natura, sed necesse est ipsum quoque in ignem converti: velut si projicias lapillos in ignem, pauxillum producitur calcis. Sin in mare mittas quempiam, fit utplurimum, ut demersus et delatus in medium pelagus, fluctibus obruatur, et visum effugiat. Qui vero per gradus ingreditur, denuo ascendere desiderat, annavigare et egredi ad portum, ut aspiciat, qui sunt in terris, homines; sic quoque in re spirituali, aliquis in profundum gratiæ ingressus, rursum recordatur sociorum suorum: quinimo ipsa natura desiderat accedere ad fratres, implere charitatem, et corroborare verbum.

INTERROGATIO.

VII. *Quo pacto possunt duæ personæ in corde consistere, gratia nimirum et peccatum?*

RESPONSIO.

Quemadmodum si sit ignis extra vas æneum, cæterum si subjeceris ligna, ecce accenditur ille, et quod intra vas est, coquitur, et fervet, igne extrinseco accenso: si vero quis negligat, nec ligna submittat, incipit tepidior evadere ignis, et propemodum extingui; sic quoque gratia, ignis nimirum cœlestis, intra te est: itaque si precatus fueris, ac contuleris cogitationes tuas ad dilectionem Christi, vide quo pacto subjeceris ligna, et evadunt cogitationes tuæ in ignem, et tinguntur desiderio Dei. Et licet secedat Spiritus, qui extra te est, nihilominus etiam intra te est, et extra te apparet. Quod si vero quis socordia diffluens, paulisper se ipsum tradat aut mundanis rebus aut occupa-

Digitized by Google

tionibus, denuo accedit vitium, induitque animam, ac totum hominem affligere incipit. Recordatur ergo anima prioris requiei, atque incipit affligi, et continuis ærumnis affici.

VIII. Iterum intendit animus in Deum, cœpit illi appropinquare prior requies, incipit vehementius inquirere. « Deprecor te, ait, Domine. » Paulatim apponitur ei ignis et accendens et recreans animam : quemadmodum hamus paulatim extrahit e profundo piscem. Nisi enim hoc ita esset, ac gustaret amaritudinem et mortem, quo pacto posset discernere amarum a dulci, et mortem a vita, et gratum se exhibere vivificanti Patri, et Filio, et Spiritui sancto in sæcula? Amen.

HOMILIA XLI.

Profunda valde sunt penetralia animæ, quæ paulatim incrementa gratiæ aut vitiorum accipit.

I. Pretiosum vas animæ in summa profunditate consistit, ut alicubi inquit : « Abyssum et cor ipse scrutatur[1]. » Ubi enim diverterit homo a mandato, et sententiæ iræ obnoxius factus fuerit, redigit illum in suam potestatem peccatum, quod cum sit velut abyssus quædam acerbitatis in subtilitate et profunditate consistens, ingressum intro, pascua animæ occupavit, usque ad ima ejus receptacula. Hunc autem in modum assimilabimus animam et peccatum permixtum, perinde ac si sit arbor ingens, quæ habeat multos ramos, habeat quoque radices profundæ terræ infixas : sic quoque pascua intimorum animæ receptaculo-

[1] Eccli. XLII, 18.

Digitized by Google

rum ubi penetrans peccatum occupavit, in consuetudinem abit et præoccupationem, cum unoquoque ab infantia simul augmentum sumens conversatur, et vitia edocet.

II. Ubi ergo gratiæ divinæ efficacia obumbraverit animæ pro modo uniuscujusque fidei, atque desuper auxilium receperit, adhuc aliqua in parte adumbrat gratia. Ne ergo arbitreris quempiam tota anima esse illuminatum : adhuc multum pabulum vitii intus latet, summoque labore indiget homo, et defatigatione, quæ consentiat collatæ ipsi gratiæ. Propterea enim particulatim incipit divina gratia adventare in animam, quæ vel unius horæ momento possit hominem, ubi expurgarit eum, perfectum reddere; verum ut probet intentionem hominis, an dilectionem erga Deum integram conservet, nullo prorsus habito commercio cum improbo, sed totum gratiæ se ipsum tradat : hocque pacto probata tempore et opportunitate anima gratiamque in nulla prorsus re contristans, nec ulla contumelia afficiens, a modico sumpto initio auxilium consequitur. Ipsa quoque gratia pastum in anima sumit, et ad profundissimas usque ejus partes et cogitationes radices mittit, cum in multis occasionibus probata sit, et consentiens gratiæ anima, donec tota anima absorpta est a cœlesti gratia, postmodum in ipso vase regnante.

III. Quod si vero quis non studuerit summæ humilitati, traditur istæ Satanæ, et denudatus divina sibi collata gratia, tentatur afflictionibus multis ; et tum manifestatur ejus existimatio, quod nudus et ærumnosus sit. Debet ergo, qui locuples est gratia divina, in multa humilitate et contritione cordis versari, et velut pauperem ac nihil habentem se ipsum existimare ; alienum est quod habet, aliusque sibi dedit, et quando vult, aufert illud. Qui hoc pacto se ipsum humiliat, tam apud Deum quam homines, potest conservare collatam sibi gratiam, ut inquit :

Digitized by Google

« Qui se humiliat, exaltabitur[1]. » Et quamvis sit electus Dei, apud se reprobatus esto : quamvis sit fidelis, velut indignum se ipsum reputet. Ejusmodi enim animæ Deo summopere placent, et vivificantur per Christum. Cui gloria et potentia in sæcula. Amen.

HOMILIA XLII.

Non externa sed interna promovent aut lædunt hominem, veluti Spiritus gratiæ, aut Spiritus nequitiæ.

I. Quemadmodum si fuerit urbs ingens, eaque sit deserta, muris videlicet dissolutis, atque ab hostibus capta, nulla magnitudinis est utilitas. Expetendum ergo est præter magnitudinem, ut habeat quoque muros firmos, ne hostes invadant; sic sane quoque animæ, exornatæ scientia et intellectu, et ingenio acutissimo, velut magnæ sunt urbes. Cæterum quærendum, an munitæ sint virtute Spiritus, ne quando hostes irruentes desolentur eas. Sapientes enim hujus mundi Aristoteles, Plato vel Socrates, qui rerum notitiam callebant, instar magnarum erant urbium; verum vastati erant ab hostibus, eo quod non esset Spiritus Dei in ipsis.

II. Quicumque vero ex idiotis participes sunt gratiæ, velut urbes parvæ sunt, munitæ virtute crucis. Excidunt vero a gratia duplici de causa, et pereunt, aut quod illatas afflictiones non sustineant, aut quod voluptatibus peccati se deliniri permiserint. Non enim possunt qui transmeant, absque tentationibus penetrare. Quemadmodum ergo in

[1] Luc. XIV, 11, et XVIII, 14.

Digitized by Google

partu, paupercula et regina eosdem dolores sustinent; itidem quoque terra divitis et pauperis, nisi convenientem acceperit imbrem, non potest fructus dignos producere: sic quoque in operatione animæ, non sapiens, non locuples in gratia regnum obtinet, nisi per tolerantiam, afflictiones et labores multos; Christianorum enim vita ejusmodi esse debet. Perinde ac mel dulce quod est, nihil suscipit amari, nec venenati quid admittit; sic isti quæcumque evenerint, sive bona, sive mala benigni sunt, ut inquit Dominus: « Estote benigni, sicut Pater vester cœlestis. » Quod enim lædit et inquinat hominem, intus est. Nam » de cordo exeunt cogitationes malæ [1], » ut Dominus ait, quoniam quæ inquinant hominem, internæ sunt.

III. Intus ergo est in anima repens et progrediens spiritus malitiæ, rationale impulsivum, quod est velamen tenebrarum, vetus nimirum homo, quem oportet eos, qui ad Dominum confugiunt, exuere, atque induere cœlestem et novum hominem, qui est Christus. Nihil ergo eorum, quæ externa sunt, lædere potest hominem, nisi qui vivit, operatur, et habitat in cordo spiritus tenebrarum. Quocirca unusquisque in cogitationibus suis debet certamen inire, ut illucescat cordi ejus Christus. Cui gloria in sæcula. Amen.

HOMILIA XLIII.

De progressu viri christiani, cujus tota vis ex corde dependet, ut hic varie describitur.

I. Quemadmodum ab igni accenduntur lucernæ multæ et

[1] Matth. xv, 11, et Luc. vi, 36.

Digitized by Google

lampades ardentes ; cunctæ vero lampades et lucernæ ab una natura accenduntur et splendent : sic quoque Christiani ab una natura accenduntur et lucent, ignis nimirum divini, Filii Dei : et habent lampades ardentes in cordibus suis, lucentque in conspectu ejus, vel adhuc in terra degentes, sicut et ipse. Inquit enim : « Propterea unxit te, » Deus, Deus tuus oleo lætitiæ [1]. » Idcirco appellatus est Christus, ut eo ipso oleo, quo ipse est unctus, nos quoque uncti fiamus Christi, ejusdem, ut ita dicam, substantiæ, et unius corporis. Inquit rursum : « Qui sanctificat, et qui » sanctificantur ex uno omnes [2]. »

II. Similes igitur sunt Christiani ex aliqua parte lucernis habentibus oleum in se, hoc est, fructus justitiæ, et nisi accendatur lucerna in eis a lucerna divina, nihil sunt. Dominus erat lucerna ardens, propter Spiritum Divinitatis manentem substantialiter in ipso, et accendentem ejus cor pro humana natura. Perinde vero ac si sit marsupium putidum, plenum margaritis : sic quoque Christiani, quoad externum hominem, humiles debent esse, et vilis conditionis, intus vero in interiori homine obtinent pretiosam margaritam. Nonnulli vero sunt sepulcris dealbatis similes, exterius quidem depicti et valde splendidi [3] ; intus vero pleni ossium mortuorum, fœtoris multi, et spirituum immundorum; mortui sunt a Deo : atque omni turpitudine, sordibus et tenebris adversarii induti.

III. Apostolus ait : « Puer, quandiu parvulus est, sub » tutoribus et curatoribus [4] » spirituum immundorum agit, qui spiritus nolunt puerum crescere, ne, ubi in virum perfectum evaserit, incipiat quærere, quæ ad familiam pertinent, et vindicare dominium. Christianus nullo non tempore debet memoriam Dei habere. Scriptum enim est :

[1] Psal. xliv, 8. — [2] Hebr. ii, 11. — [3] Matth. xxiii, 27. — [4] Galat. iv, 1.

Digitized by Google

« Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo[1] : » ne solum, quando ingreditur oratorium, diligat Dominum, sed etiam ambulans, colloquens, et comedens, in memoria Deum habeat, diligat, et amore prosequatur. Inquit enim : « Ubi mens tua, ibi quoque thesaurus tuus[2]. » Ad quamcumque enim rem cor alicujus alligatur, et quo eum trahit cupido, illa res est ejus Deus. Si desideret cor ubique Dominum, ipse est Dominus cordis ejus. Quispiam vero, qui abrenuntiavit, omnibusque suis facultatibus, et urbe relictis, jejunio dat operam, iste sui ipsius homini adhuc alligatus hæret, aut rebus mundanis, aut familiaribus, aut amori parentum : ubi alligatum est ejus cor, et mens ejus captivata, id ipsum est ejus Deus et deprehenditur quidem per amplam portam e mundo excessisse, per ostiolum autem ingressus in mundum incidisse. Quemadmodum sarmenta in ignem projecta nequeunt resistere vi ignis, sed confestim comburuntur; sic quoque dæmones, qui bellum volunt inferre homini Spiritum consecuto, comburuntur et consumuntur a divina virtute ignis, modo homo perpetuo Domino adhæreat, fiduciamque et spem in eum collocet. Et si fuerint dæmones fortes, robore montibus haud absimiles, ab oratione comburuntur, velut cera ab igni. Ingens vero interea intercedit certamen ac bellum animæ adversus eosdem. Fluvii draconum sunt illic, atque ora leonum, ignis accendens animam quemadmodum ergo perfectus in malo committendo, inebriatus spiritu erroris, homicidio aut adulterio deditus, exsaturari malitia nequit : sic quoque Christiani, baptizati in Spiritum sanctum, rudes evadunt vitiorum. Qui vero consecuti gratiam adhuc permiscentur peccato, hi sub metu sunt, et per formidabilem locum iter faciunt.

IV. Quemadmodum enim mercatores dum navigant,

[1] Deut. vi, 6. — [2] Matth. vi, 21.

Digitized by Google

licet nacti sint secundum ventum et tranquillum mare, necdum pervenerint ad portum, continuo sub metu sunt, ne derepente contrario excitato vento fluctibus mare agitetur, et navis in periculum incidat : sic quoque Christiani, licet habeant in se prosperum ventum sancti Spiritus flantem, nihilominus metuunt, ne aliquando ventus contrariæ potestatis spiret et insurgat, et tempestatem quamdam ac fluctus excitet animis eorum. Diligentia ergo summa opus, ut perveniamus ad portum requiei, ad mundum perfectum, ad vitam et delicias æternas, ad civitatem sanctorum, ad cœlestem Jerusalem, ad Ecclesiam primogenitorum[1]. Nisi vero quis gradus illos transierit, summopere metuit, ne forte interea lapsum quemdam adversaria potestas moliatur.

V. Perinde vero ac mulier quæ concepit, intus habet infantem suum in tenebris, ut ita dicam, et denso loco : si vero postmodum contingat egredi puerum tempore debito, intuetur novam creaturam, quam nunquam viderat, cœli, terræ et solis. Et amici atque cognati continuo hilari vultu excipiunt eum in ulnas. Quod si vero contingat a confusione quadam divelli intus infantem, necessario superest, ut ad hoc constituti medici cultello utantur; itaque deprehenditur postea infans a morte in mortem pergere, a tenebris in tenebras. Sic accipe quoque in re spirituali. Quicumque susceperunt semen Divinitatis, hi invisibili modo obtinent illud, et propter inhabitans sibi peccatum in tenebricosis et timendis locis occultant. Si ergo muniant se ipsos, et conservent semen, isti debito tempore producunt in lucem, et tandem in dissolutione corporis, Angeli et omnes superni chori læto vultu excipiunt illos. Si vero quis susceptis armis Christi ad bellum fortiter gerendum, socordia diffluerit, ejusmodi qui est, quam primum tra-

[1] Hebr. XII, 22, 23.

Digitized by Google

ditur hostibus, et in dissolutione corporis a tenebris, quæ nunc comprehendunt illum, in alias molestiores tenebras, et in interitum pergit.

VI. Perinde vero ac si sit hortus, arboribus fructiferis, et aliis fragrantibus plantis consitus, atque per omnia bene excultus et exornatus, munitus quoque pro vallo, exiguo pariete conservante eum; contingat vero fluvium rapidum illic transcurrere, licet modicum aquæ allidat parieti, corrumpit fundamentum, sumptaque eductione paulatim dissolvit fundamentum, atque irruens effringit et extirpat omnes plantas, et universam culturam delet, et sterilem reddit: sic quoque se habet cor hominis, possidet cogitationes honestas; appropinquant vero cordi perpetuo et fluvii vitiorum, volentes illud dejicere, atque in suam partem protrahere. Itaque si animus paululum levis factus, illabatur in impuras cogitationes, ecce acceperunt pabulum spiritus erroris, et ingressi everterunt illius ornamenta, extinctisque bonis cogitationibus animam devastarunt.

VII. Quemadmodum vero oculus omnium membrorum est minimus, et ipsa pupilla, quæ est exigua, est vas ingens. Intuetur enim uno momento, cœlum, astra, solem, lunam, urbes, et alias creaturas: eodem quoque modo, quæ conspicuuntur uno eodemque momento, in illa parva pupilla oculi formantur et effinguntur: sic quoque se mens habet in corde: ipsumque cor est vas quoddam exiguum, ibique sunt dracones, ibi leones, ibi venenosæ bestiæ, ibi cuncti vitiorum thesauri: ibi quoque asperæ et salebrosæ viæ, ibi præcipitia: itidem e diverso, ibi est Deus, ibi quoque Angeli, ibi vita et regnum, ibi lumen et Apostoli, ibi thesauri gratiæ: ibi sunt omnia. Quemadmodum enim est nebula super universam terram extensa, et homo hominem non videt; sic quoque sunt tenebræ sæculi hujus

Digitized by Google

expansæ super omnem creaturam et universam naturam humanam a tempore transgressionis ; unde tenebris offusi sunt in nocte, et in formidabilibus locis vitam agunt. Et quemadmodum magna fumi copia est in domo quapiam; sic quoque peccatum cum obscœnis cogitationibus suis insidet et serpit in cogitationes cordis, et infinita multitudo dæmonum.

VIII. Sicut vero in rebus oculorum aciei subjectis, bello indicto, non proficiscuntur sapientes aut magnates eo, sed, mortem formidantes, domi remanent; ergo proferuntur tirones, pauperes et idiotæ; et accidit, ut victoria comparata adversus hostes persequantur eos extra limites usque, atque victoriæ præmiis ac coronis a rege acceptis, ad dignitates et honorum gradus promoveantur; illi vero magni longe ab horum tergo reperiuntur : sic quoque se res habet spiritualis. Rudes ac plebeii, audientes *initio* verbum, veritatis amanti cogitatione opus ejus perficiunt, et accipiunt a Deo gratiam Spiritus; sapientes vero, et qui subtilitatem verborum requirunt, hi fugiunt bellum, nec proficiunt, sed posteriores inveniuntur iis, qui bello gesto victoriam reportarunt.

IX. Quemadmodum vero venti vehementer flantes omnes creaturas, quæ sunt sub cœlis, commovent, atque sonum ingentem edunt; sic potentia hostis pulsat, fert cogitationes, atque agitat profunda cordis pro suo ipsius lubitu, et in ministerium sui dispergit cogitationes. Sicut publicani sedent juxta vias angustas, et retinent atque concutiunt prætereuntes : sic quoque dæmones observant et detinent animas, et dum decedunt eæ e corpore, nisi perfecte fuerint expurgatæ, non permittunt eis ascendere ad mansiones cœli, et occurrere Domino suo : evertuntur enim ab aëriis dæmonibus. Qui vero versantur in carne, nihilominus summo labore ac certamine supernam a Do-

Digitized by Google

mino consequentur gratiam : nempe hi cum illis, qui per honestam quieverunt conversationem, ad Dominum proficiscentur, ut pollicitus est : « Ubi sum ego, illic et minister meus erit [1]. » Et per infinita sæcula regnabunt cum Patre et Filio, et Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIV.

Quantam in homine christiano mutationem et renovationem faciat Christus, qui animæ affectiones ac morbos sanavit.

I. Qui accedit ad Deum, et Christi assessor revera esse desiderat, hujus scopi gratia accedere debet, ut convertatur ipse, et transmutetur a priori statu et conversatione, ac bonum et novum hominem demonstret, qui nihil veteris hominis gestet, « Si quis enim, inquit, in Christo, » nova creatura [2]. » Dominus enim noster Jesus Christus propterea venit, ut naturam converteret, mutaret et renovaret, atque rursum conderet animam hanc eversam affectionibus propter transgressionem, commiscens eamdem cum suo Spiritu divino. Novam mentem, novam animam, novos oculos, novas aures, novam linguam spiritualem, et, ut omnino dicam, novos homines credentes ei ut efficeret, venit, seu novos utres, ungens eos suo ipsius lumine cognitionis, ut infunderet vinum novum, quod est Spiritus ejus. « Vinum enim, ait, novum in utres novos mitten- » dum [3]. »

[1] Joan. XII, 26. — [2] 2 Cor. V, 17. — [3] Matth. IX, 17.

Digitized by Google

II. Quemadmodum enim hostis nactus hominem sibi subjugatum, eum novum in sui gratiam effecit, vitiosisque affectionibus circumvolutum unxit Spiritu peccati, ac vinum omnis iniquitatis et pravæ doctrinæ in eum immisit: sic quoque Dominus, cum redemisset eum ab hoste, novum constituit: cumque unxisset suo ipsius Spiritu, vinum quoque vitæ et novam Spiritus doctrinam in eum infudit. Qui enim mutavit naturam quinque panum in naturam multitudinis; et naturæ asini ratione destitutæ vocem dedit, et meretricem ad temperantiam convertit, et ignis, adurendi vi prædíti, naturam ad irrigandos eos, qui erant in camino, idoneam reddidit, et naturam leonum agrestium ferarum propter Danielem mansuefecit; hic quoque potest animam desertam et agrestem a peccato effectam, convertere in suam ipsius bonitatem, clementiam et pacem, Spiritu promissionis sancto et divino.

III. Perinde enim ac pastor scabiosam ovem potest curare, et a lupis custodire; eodem modo verus pastor Christus veniens solus potuit curare et convertere perditam et scabiosam ovem, hominem, a scabie et lepra peccati. Priores enim sacerdotes, Levitæ atque magistri, non potuerunt sanare animam oblationibus munerum et sacrificiorum, atque aspersionibus sanguinis, cum nec se ipsos potuerint curare; etenim ipsi quoque infirmitate erant amicti. « Non enim potest, inquit, sanguis taurorum » et hircorum auferre peccata[1]. » Dominus vero dixit, commonstrans infirmitatem tum temporis medicorum: « Omnino dicetis mihi hanc similitudinem : Medico » cura te ipsum[2], » pro eo : « Non sum ego ut illi, qui nec se ipsos possunt curare. » Ego sum verus medicus, et bonus pastor, qui pono animam meam pro ovibus, qui possum curare omnem morbum et omnem imbecillitatem

[1] Hebr. x, 4. — [2] Luc. IV, 23.

Digitized by Google

animæ. Ego sum immaculata ovis, quæ semel oblata est, et qui accedunt ad me, eos possum curare. Vera enim sanitas a Domino solo proficiscitur. Ecce enim, inquit, » Agnus Dei, qui tollit peccata mundi[1] : » animæ nimirum credentis ei, et diligentis eum ex toto corde.

IV. Pastor ergo bonus scabiosam ovem curat. Ovis autem curare nequit. Et nisi curata fuerit rationalis ovis, homo scilicet, in Ecclesiam Domini cœlestem non ingreditur. Ad hunc enim modum in lege quoque dictum est sub umbra et imagine. De leproso enim aut maculam habente hæc obscure loquens significat Spiritus : « Leprosus, » inquit, et maculam habens, non ingredietur in Ecclesiam » Domini[2]. » Verum præcepit leproso, ut abeat ad sacerdotem, et precibus multis adducat eum in domum tabernaculi sui, et imponat manus suas super lepram, locum nimirum notatum tactu lepræ, et curet. Eodem quoque modo Christus verus pontifex futurorum bonorum ad leprosas animas, lepra peccati laborantes, inclinans ingreditur tabernaculum corporis illarum, et curat ac sanat affectiones. Atque hoc pacto poterit anima ingredi in cœlestem Ecclesiam Sanctorum veri Israëlis. Quæcumque enim anima, laborans lepra affectionum peccati, non accesserit ad verum Pontificem, et nunc curata fuerit, in ordinem Sanctorum, in cœlestem Ecclesiam non ingreditur. Immaculata enim cum sit et pura, incontaminatas et puras quærit « animas. Beati enim, inquit, mundi corde, quoniam ipsi » Deum videbunt[3]. »

V. Oportet enim animam, quæ vere Christo credit, transferri ac mutari ab hoc pravo statu in alium statum bonum, et ab hac humili natura, in alteram divinam naturam, eamque novam effici virtute Spiritus sancti; et hac ratione poterit idonea esse ad cœleste regnum. Conse-

[1] Joan. I, 29. — [2] Levit. XXI, 18. — [3] Matth. V, 8.

Digitized by Google

qui autem hæc nostrum est, qui credimus et vere diligimus illum, et in homnibus sanctis mandatis ejus conversamur. Si enim tempore Elisæi, lignum, quod natura leve est, in aquam conjectum, extulit ferrum[1], quod natura grave est : quanto magis mittet huc Dominus levem, subtilem, bonum et cœlestem suum Spiritum, ejusque ope submersam aquis nequitiæ animam extollet, et elevabit atque evolare faciet ad sublimia cœlorum, ac transmutabit et convertet eam a natura sua?

VI. Et quemadmodum in rebus conspicuis, nemo potest per se transire et trajicere mare, nisi habeat levem et tenuem naviculam, ex ligno constructam, quæ sola super aquas incedere potest; demergitur enim et interit, si ambulet quis in mari : eodem modo nequit anima per se ipsam transire, superare aut trajicere acerbum mare peccati et difficilem abyssum pravorum spirituum caliginis affectionum, nisi subtilem, cœlestem et volatilem Christi Spiritum susceperit, super omnem nequitiam ambulantem et incedentem, cujus ope, auxilio, recto et minus erroneo cursu ad cœlestem portum quietis, ad civitatem regni poterit pervenire. Quemadmodum autem qui sunt in navi e mari non hauriunt nec bibunt, nec ex eo vestimenta aut victum accipiunt ; sed aliunde in navem important : sic quoque animæ Christianorum non ex hoc sæculo, sed supernitus e cœlo cibum cœlestem et indumenta spiritualia accipiunt : atque inde viventes, in navi boni et vivifici Spiritus ambulant et transgrediuntur adversarias principum et potestatum pravas facultates. Et quemadmodum ex unica natura ligni omnes naves construuntur, quarum beneficio homines amarum possunt transmeare mare : sic ex unica Divinitate lucis cœlestis diversorum gratiæ donorum

[1] 2 Reg. VI, 5.

Digitized by Google

unius Spiritus, omnes Christianorum animæ corroboratæ, universam supervolant nequitiam.

VII. Verum cum navis et gubernatore indigeat, et temperato et amœno vento, ad feliciter navigandum; hæc omnia est ipse Dominus in anima fideli degens, et perferre eam faciens molestas tempestates, et feroces malitiæ fluctus, atque impetus violentorum peccati ventorum; et quidem fortiter, ferventer ac scite, ut ipse novit, dissoluto eorum æstu. Absque cœlesti enim gubernatore, Christo, non potest quispiam trajicere perversum mare potestatum ac molestarum tenebrarum tentationum afflatus. «Ascendunt enim, inquit, usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos[1]. » Omnem porro gubernandi scientiam, item bellorum ac tentationum novit, super feroces fluctus incedens. « Ipse enim, inquit, tentatus, potest iis, qui tentantur, succurrere[2]. »

VIII. Oportet ergo converti ac transmutari animas nostras a præsenti statu in alterum statum, et divinam naturam; et fieri novos e veteribus, hoc est, bonos, benignos ac fideles, ex acerbis et infidelibus; et sic idoneos cœlesti regno fieri et constitui. Beatus enim Paulus de conversione et assumptione sua, qua comprehensus est a Domino, scribit hæc : « Sed sector, si etiam apprehendam, quatenus et apprehensus sum a Christo[3]. » Quo igitur pacto comprehenditur a Deo? Quemadmodum enim si captivos quosdam, quos rapuerat, tyrannus abducat, deinceps ipse comprehendatur a vero rege; ita quoque Paulus, cum a tyrannico spiritu peccati torqueretur, Ecclesiam persequebatur et devastabat; verum cum non odio Dei, sed per ignorantiam hoc ageret, tanquam pro veritate dimicans, non est neglectus; sed apprehendit eum arcanoque splendore circumfudit Dominus, cœlestis

[1] Psal. cxvi, 26. — [2] Hebr. II, 18. — [3] Philip. III, 12.

Digitized by Google

et verus rex, eumque voce sua dignatus in faciem percussit, atque ut servum liberavit. Vide Domini bonitatem et conversionem, quo pacto possit mutare animas vitio agglutinatas, et feroces effectas, atque momento horæ in suam ipsius bonitatem et pacem traducere!

IX. Omnia enim apud Deum sunt possibilia; ut in latrone contigit, qui momento horæ per fidem conversus est, et in paradisum translatus. Propterea venit Dominus, ut animas nostras converteret atque reformaret, ac faciat eas, ut scriptum est: « Divinæ consortes naturæ[1], » et conferat in animam nostram cœlestem animam, hoc est, Spiritum divinum, deducentem nos in omnem virtutem, ut vitam æternam vivere possimus. Oportet ergo ex toto corde nos credere inenarrabilibus ejus promissionibus, quia verax est, qui promisit. Quapropter decet diligere Dominum, atque contendere omnino in omnibus virtutibus, et assidue petere absque omni intermissione, ut consequamur promissionem Spiritus ejus integre ac perfecte, quo vivificentur animæ nostræ, quippe qui adhuc in carne sumus. Nisi enim in hoc sæculo consecuta fuerit anima sanctificationem Spiritus summa fide atque obsecratione, et particeps divinæ naturæ facta fuerit, permixta gratiæ, cujus beneficio omne mandatum absque reprehensione et pure perficere poterit, non est apta ad regnum cœlorum. Quidquid enim boni quis jam hinc obtinuerit, hoc ipsum in illa die erit ejus vita, per Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum in sæcula. Amen.

[1] 2 Petr. 1, 4.

Digitized by Google

HOMILIA XLV.

Nulla ars aut divitiæ hujus mundi, sed solus Christi adventus sanare hominem potest, cujus maximam cum Deo cognationem hæc homilia explicat.

I. Qui solitariam vitam elegit, universa, quæ in hoc sæculo versantur, a se aliena atque peregrina existimare debet. Qui enim vere prosequitur crucem Christi, omnibus abnegatis, vel sua ipsius anima, fixam mentem in amorem Christi habere debet; anteponens videlicet Dominum parentibus, fratribus, uxori, liberis, cognatis, amicis, facultatibus. Hoc enim Dominus innuit, dicens: « Quicumque non demiserit patrem, aut matrem, aut fratres, » aut uxorem, aut liberos, aut agros, et me secutus non » fuerit, non est me dignus [1]. » In nullo enim alio invenitur salus hominum et requies, ut audivimus. Quot enim reges emicuerunt e genere Adæ, qui nacti dominum universæ terræ, altos sibi sumebant spiritus propter regiam potentiam? horum tamen nullus ex hac rerum copia potuit cognoscere, malitiam e transgressione primi hominis ingredientem in animam, et obtenebrantem eam, ne agnosceret mutationem, quod nempe mens pura prius viderit Dominum suum, in dignitate constituta; nunc vero induta sit propter lapsum pudore, excæcatis oculis cordis, ne conspiciant gloriam illam, quam spectabat ante inobedientiam pater noster Adam.

II. Cæterum sapientes in mundo fuere diversimodi, quorum nonnulli philosophiæ beneficio virtutem ostende-

[1] Matth. x, 37, et Luc. xiv, 26.

Digitized by Google

bant : alii vero ob sophistices exercitium admirationi sunt habiti : alii rhetoricam docebant gravitatem : alii grammatici et poëtæ facti pro instituto scribebant historias. Porro fuerunt quoque varii artifices, qui, quæ sunt in mundo, artes exercuerunt. Quorum nonnulli quidem in lignis tornantes genera avium et piscium, et imagines hominum, in illis suam industriam commonstrare contenderunt : nonnulli vero in ære similitudines statuarum aliorumque quorumdam sculpere conati sunt : alii ædificia ingentia ac splendida fabricaverunt : alii terram fodientes referunt, quod corrumpitur, aurum et argentum : alii lapides pretiosos : alii vero corporis elegantia præditi, cum ob venustatem vultus sui extollerentur, magis illecti sunt a Satana, atque in peccatum lapsi. Et hi omnes prædicti artifices detenti ab intus habitante serpente; et non cognoscentes secum habitare peccatum, captivi ac servi perversæ potestatis facti sunt, nihil adjuti a scientia et arte sua.

III. Similis est ergo mundus, omni varietate plenus, homini diviti possidenti domos splendidas et magnas, aurum et argentum, ac possessiones varias, omneque ministerium invidendum : verum cum graviter morbis atque afflictionibus distineretur, astiterunt ei cuncti cognati cum omnibus opibus non valentes eum ex infirmitate expedire. Nulla ergo diligentia eorum, qui sunt in sæculo, non fratres, non divitiæ, non fortitudo, nec alia, quæ prædicta sunt, demersam a peccato animam, et quæ pure prospicere nequit, eripiunt e peccato; sed sola Christi apparitio expurgare potest animam et corpus. Ab omni igitur hujus vitæ cura liberati, vacemus Domino, clamantes ad eum noctu diuque. Mundus enim hic conspicuus, et quæ est in eo requies, quanto magis corpus videntur fovere, tanto vehementius animæ affectiones irritant, atque augent ejus afflictionem,

Digitized by Google

IV. Quidam vero vir prudens, cum desideraret curam gerere sui studii, contendit experiri omnia, quæ volvuntur in hoc mundo, si forte emolumenti quid invenire possit. Accessit ad reges, potentes et principes, nec invenit medelam salutarem, quam inde animæ afferret : et cum his diu conversatus, nihil emolumenti percepit. Abiit denuo ad sapientes mundi et oratores, quos eodem quoque modo reliquit, nullum lucrum referens : transiit per pictores, et eos, qui aurum et argentum e terra referunt, atque per omnes artifices, nec ullam curationem potuit suis invenire vulneribus. Tandem recedens ab his, inquirebat sibi Deum, qui sanat affectiones et morbos animæ ; cum vero se ipsum consideraret, et hæc meditaretur, deprehensa est mens ejus, a quibus rebus antea occupata palam recesserat, easdem odisse.

V. Quemadmodum vero mulier quædam in mundo locuples, vel amplas divitias ac domum magnificam possidens, destituitur auxilio et patrocinio ; et qui in eam insurgunt ut eam lædant, et ædificia devastent, non sunt pauci; illa non ferens injuriam obambulat, quærens virum potentem, idoneum, et in omnibus eruditum ; et ubi post multos labores exantlatos nacta fuerit ejusmodi virum, exultat propter eum, et habet eum pro muro valido : eodem modo anima post transgressionem vehementer ab adversaria potestate afflicta, et in magnam solitudinem illapsa, et vidua et deserta a cœlesti Sponso propter transgressionem peccati derelicta, ac ludibrio omnibus adversariis potestatibus exposita ; (everterunt enim illam a sua mente, atque deturbarunt ab intellectu cœlesti, ne conspiciat, quæ ab illis in eam committuntur, sed putet sic ab initio contigisse ;) postmodum ubi ex auditu percepit solitudinem suam, deplorata desolatione sua in conspectu humanissimi Dei, invenit vitam et salutem. Quapropter? quia reversa est ad

Digitized by Google

cognationem suam. Nulla enim est talis familiaritas atque opitulatio, ac est animæ erga Deum, et Dei erga animam. Condidit enim Deus avium genera diversa : quasdam ut nidos componant in terra, et in ea habeant pastum ac requiem : quasdam vero ordinavit, ut sub aquis nidificent, indeque vitam habeant : fabricavit quoque duplicem mundum ; unum superiorem, administratoriis spiritibus, ut illic conversentur, constituit ; alterum inferiorem hominibus sub hoc aëre. Creavit quoque cœlum et terram, solem ac lunam, aquas, arbores fructiferas, et variorum animalium genera : in nullo tamen horum requiescit Deus. Universa creatura sub ejus est imperio ; nec tamen construxit in eis thronum, neque societatem iniit, nisi in homine solo complacitum ei est, ac societatem cum eo contraxit, et in eo requiescit. Vides-ne hic cognationem Dei cum homine, et hominis cum Deo ? Sagax ergo et prudens anima, pertransiens cunctas creaturas, non invenit requiem sibi ipsi, nisi solum in Domino : nec Domino in ullo complacitum est, nisi solum in homine.

VI. Si expandas oculos ad solem, reperis in cœlo circulum ejus : lumen autem et radios in terram vergere, atque omnem vim luminis et splendorem ad terram deferri : sic quoque Dominus a dextris Patris super omnem principatum et potestatem sedet ; oculum autem suum in corda hominum in terra viventium habet extentum, ut eos, qui suscipiant ab eo auxilium, extollat eo, ubi ipse est. Quoniam inquit : « Ubi sum ego, illic quoque minister meus » erit [1]. » Et iterum Paulus : « Simul resuscitavit, et simul » sedere fecit ad dexteram suam inter Cœlestes [2]. » Verum animalia ratione destituta sunt longe intelligentiora quam nos. Unumquodque enim horum unitur iis, quæ sunt ejusdem naturæ, agrestia agrestibus, et oves suæ speciei. Tu

[1] Joan. xii, 26. — [2] Ephes. ii, 5, 6.

Digitized by Google

vero non reverteris ad cœlestem tuam cognationem, quæ est Dominus; sed cogitationibus tuis tradis te et assentiris cogitationibus pravis, adjutor peccati factus, ejusque ope tibi ipsi bellum infers, atque adeo escam hostis te ipsum constituis. Perinde ac si avis ab aquila comprehensa absumatur, aut ovis a lupo, aut puer ignorans extendat manum suam ad serpentem, a quo exesus inflammetur. Similitudines enim velut effigiem gerunt rerum spiritualium.

VII. Quemadmodum vero virgo dives desponsata viro, quæcumque acceperit dona ante conjunctionem, sive ornamenta, sive vestimentum, sive suppellectilem pretiosam, non quiescit in illis, donec tempus nuptiarum advenerit, et conjunctione potita fuerit : sic quoque anima aptata in sponsam cœlesti sponso, accipit arrhabonem e Spiritu, sive dona sanationum, sive cognitionis, sive revelationis : sed non conquiescit in illis, donec consequatur plenam societatem, hoc est dilectionem, quæ cum nec mutetur, nec excidat, omnis passionis et concussionis expertes constituit illos, qui eam desiderant. Aut quemadmodum infans amictus margaritis et indumentis pretiosis, ubi esurierit, nihil æstimat, quæ gestat, sed ea negligit, omnem vero curam habet in mamilla alimenti, quo pacto lac accipiat : idem quoque putato mihi in spiritualibus donis Dei. Cui gloria in sæcula. Amen.

Digitized by Google

HOMILIA XLVI.

De differentia inter verbum Dei, et inter verbum mundi, et inter filios Dei, et inter filios hujus mundi.

I. Verbum Dei, Deus est, et verbum mundi, mundus est. Magnum vero discrimen et intervallum est inter verbum Dei, et inter verbum mundi, atque inter filios Dei, et inter filios mundi. Utraque enim proles suorum similis est parentum. Si voluerit ergo propago Spiritus tradere se ipsam verbo mundi, ac rebus terrenis, atque gloriæ sæculi hujus, mortificatur et perit, quippe quæ veram requiem vitæ consequi non possit. Requies enim ejus illic est, unde prognata est. Suffocatur enim, ut inquit Dominus, et infructuosus redditur verbo divino, qui sæcularibus curis occupatus terrenis laqueis illigatur. Similiter, qui carnali intentione detinetur, hoc est, homo mundanus, si velit verbum Dei audire, suffocatur, et velut quispiam expers rationis constituitur. Assuefacti enim vitiorum illecebris, ubi de Deo quid audierint, tanquam minus suavi sermone turbati, animi tædio afficiuntur.

II. Ait quoque Paulus : « Animalis homo non percipit » ea, quæ sunt spiritus, stultitia enim est illi[1]. » Et Propheta inquit : « Factus est illis sermo Dei, quasi vomitus. » Vides vivere alibi non licere, quam ea, qua quisque natus est, ratione. Quinetiam aliter de hoc est audiendum. Si tradat se ipsum ad consequendam mutationem carnalis homo, moritur prius illic, et infructuosus efficitur priori

[1] 1 Cor. II, 14.

Digitized by Google

illi, quam in pravitate traduxit, vita. Quemadmodum ergo si quis morbo aut febri detineatur, licet in cubile corpus projectum sit, non valens perficere opus aliquod terrenum; non tamen quiescit animus; sed distractus, et curans quæ sunt peragenda, medicum requirit, missis ad eum amicis suis : eodem quoque modo anima post transgressionem mandati, in infirmitatem affectionum redacta, et languidior reddita, ubi accesserit ad Dominum et crediderit, auxilium ab eo consequitur : et abnegans priorem pessimam vitam, licet antiqua ægritudine decumbat, et nequeat opera vitæ vere peragere, nihilominus curare, quæ ad vitam pertinent, sedulo deprecari Dominum, et inquirere verum medicum, et habet et potest.

III. Et non, ut aiunt quidam perversa doctrina seducti, prorsus mortuus est homo, ut omnino non possit quidquam boni peragere. Etenim infans, licet nihil possit perficere, aut propriis pedibus accedere ad matrem nequeat, nihilominus volvitur, clamat et plorat, inquirens matrem : erga eum summa afficitur misericordia mater, et gaudet de infante, quærente se cum labore et clamore; et cum non possit infans ad eam pervenire; nihilominus ob multam pueri inquisitionem, ipsa mater abit ad illum, amore pueri capta, et amplectitur, circumfovet, atque alimentum profert summa cum dilectione : hoc ipsum benignus quoque Deus facit in anima ad eum accedente, et ejus desiderio detenta : longe vero majori ipse sibi insita dilectione, et propria benignitate doctus, adhærescit intellectui ejus, et evadit cum illa « In unum spiritum[1], » juxta sermonem apostolicum. Si enim adhæreat anima Domino, et Dominus misericordia et charitate motus accedat ad eam, et jungatur ei, atque intellectus tandem permaneat indesinenter in gratia Domini, in unum spiritum, et in unum

[1] 1 Cor. VI, 17.

Digitized by Google

temperamentum, et in unum intellectum evadunt anima et Dominus : atque corpus ejus in terram projicitur, mens vero tota plane in cœlesti Jerusalem versatur, ad tertium cœlum usque ascendens, atque conjuncta Domino, illic ministrat ei.

IV. Ipse vero in throno magnificentiæ in excelsis sedens, in cœlesti civitate, penitus cum illa in corpore ejus est : siquidem ejus imaginem collocavit sursum in cœlesti civitate sanctorum Jerusalem : propriam vero imaginem luminis arcani atque Divinitatis suæ collocavit in corpore ejus : ipse ministrat ei in civitate corporis : illa vero ei ministrat in cœlesti civitate. Hæc illius hæreditatem adit in cœlo : ille vero cernit ejus hæreditatem in terra. Dominus enim hæreditas fit animæ, et anima hæreditas fit Domini. Si etenim peccatorum in tenebris agentium intellectus et mens tam procul a corpore abesse potest, ac longius peregrinari, atque in remotiores regiones proficisci momento horæ valet, et sæpenumero relicto in terra corpore, mens in alia regione cum dilecto vel amica sua degit, et illic se ipsum quasi vitam degere conspicit. Si igitur peccatoris anima est adeo subtilis et volatilis, ut mens ejus non prohibeatur a procul dissitis locis ; multo magis anima, a qua sublatum est velamen tenebrarum virtute sancti Spiritus, et illuminati sunt intellectuales ejus oculi lumine cœlesti, et quæ liberata est perfecte ab afflictionibus obscœnis, et munda beneficio gratiæ reddita, tota in Spiritu in cœlis ministrat Domino, et tota in corpore servit illi : et in tantum extenditur intellectu, ut ipsa sit ubivis, et ubi et quando libuerit, Christo ministret.

V. Hoc dicit Apostolus : « Ut valeatis assequi cum » omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et pro» funditas, et sublimitas, cognoscereque præeminentem » cognitionis dilectionem Christi, ut impleamini in omnem

Digitized by Google

» plenitudinem Dei [1]. » Contemplare arcana mysteriæ animæ, a qua aufert Dominus incumbentes tenebras, et revelat eam, et revelatur ei : qua ratione dilatet et extendat prudentiam mentis ejus in latitudines, longitudines, profunditates et sublimitates universæ visibilis et invisibilis creaturæ. Magnum ergo, et divinum opus, et admirandum, revera est anima. Cum enim crearet illam, talem condidit Deus eam, ut in natura ejus nullum inseret vitium, sed ad imaginem virtutum Spiritus condidit illam : posuit in ea leges virtutum, discretionem, scientiam, prudentiam, fidem, dilectionem, atque cæteras virtutes ad imaginem Spiritus.

VI. Adhuc enim vel nunc in scientia, prudentia, dilectione et fide reperitur, et manifestatur ei Dominus : locavit in ea intellectum, cogitationes, voluntatem ac mentem ducem præcipuam : constituit quoque in ea multiplicem aliam subtilitatem : fecit illam facile mobilem, volatilem, et indefessam. Donavit illi, ut in momento ire et redire possit, et mente ministrare ei, prout Spiritus voluerit, atque ut omnino dicam, creavit illam talem, ut ipsa sit sponsa et socia ejus, ut ipse cum illa contemperetur, et unus Spiritus cum eo fiat, ut inquit : « Qui adhæret Do» mino, unus Spiritus est [2]. » Cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVII.

Explicatio allegorica quorumdam sub lege factorum.

I. Gloria Mosis, quam gerebat in facie, typus erat veræ

[1] Ephes. III, 18, 19. — [2] 1 Cor. VI, 17.

Digitized by Google

gloriæ. Quemadmodum enim illic fixis oculis intueri vultum Mosis non valebant Judæi; eodem modo nunc illam gloriam lucis in animis recipiunt Christiani : ac tenebræ non ferentes splendorem lucis, occœcatæ fugantur. Porro illi, quod essent populus Dei, et circumcisione agnoscebantur : modo vero populus Dei peculiaris, signum circumcisionis intus in corde suo suscepit. Gladius enim cœlestis amputat abundantiam mentis, hoc est, impurum præputium peccati. Apud illos erat baptisma carnem sanctificans : apud nos vero baptisma sancti Spiritus et ignis. Hoc enim prædicavit Joannes : « Ipse vos baptizabit in sancto » Spiritu et igni [1]. »

II. Ibi tabernaculum interius et exterius; atque in prius semper ingrediebantur sacerdotes, cultum divinum peragentes; in secundum autem semel in anno solus pontifex cum sanguine; « Hoc significante sancto Spiritu, nondum » manifestatam esse sanctorum viam [2]. » Hic vero, qui meruerunt, ingrediuntur in non manufactum tabernaculum, quo præcursor pro nobis introiit Christus. Scriptum est in lege : « Ut sacerdos accipiat duas columbas, et alteram » quidem mactet, aspergat vero vivam sanguine ejus, et » dimittat liberam evolare. » Verum quod fiebat, typus erat et umbra veritatis. Etenim Christus immolatus est, et sanguis ejus nos aspergens, fecit, ut nascerentur nobis alæ. Dedit enim nobis alas Spiritus sancti ad volandum sine ullo impedimento in aërem divinum.

III. Illis data est lex, in tabulis scripta lapideis; nobis vero leges spirituales tabulis cordis inscriptæ carneis. Inquit enim : « Dans leges meas in cordibus illorum, et in » mentibus eorum inscribam eas [3]. » Et illa quidem omnia abolebantur et temporanea erant : nunc autem cuncta vere in interiori homine perficiuntur : Testamentum enim etiam

[1] Matth. III, 11. — [2] Hebr. IX, 8. — [3] Jerem. XXXI, 31.

Digitized by Google

est intrinsecus, atque ut breviter dicam : « Quæcumque » contingebant illis, in figura fiebant : scripta vero sunt » propter admonitionem nostri[1]. » Abrahæ enim prædixit Deus futurum, nempe, « Semen tuum erit incola in terra » non sua, et affligent illud, ac in servitutem redigent qua- » draginta annos[2]. » Hoc implebat umbræ imaginem. Siquidem incola fuit populus, et in servitutem ab Ægyptiis redacto, atque in luto et latere afflictus. Præficiebat enim illis Pharao præfectos et stimulatores operis, ut perficerent opera sua necessitate quadam coacti[3]. Cumque ingemiscerent filii Israël ab operibus suis ad Deum, tum visitabat eos per Mosem; ac multis plagis Ægyptiis percussis, mense florum, quando primum apparet amœnissimum ver, tristitia hyemis prætereunte, educit eos ex Ægypto.

IV. Dixit autem Deus Mosi : « Ut agnum acciperet im- » maculatum, et immolaret, et sanguine ejus ungeret limina » et fores, ne qui perdebat primogenita Ægyptiorum, tan- » geret eos[4]. » Conspiciebat enim missus Angelus signum sanguinis eminus, et recedebat. Ingrediebatur vero domos non signatas, et omne primogenitum interficiebat. « Præ- » terea quoque fermentum ex quacumque domo jussit » aboleri, et mactatum agnum cum azymis et lactucis » agrestibus comedere præcepit[5]. » Et quidem manducare eos jussit, « Circumcinctos renibus, et pedibus sandaliis » calceatos, baculos manibus tenentes[6]. » Et ita cum omni festinatione ad vesperam edere jubet Pascha Domini, nec ullo modo ossa coram facie Domini confringere.

V. Verum eduxit eos cum argento et auro, cum jussisset mutuo accipere quemlibet a vicino suo Ægyptio vasa aurea et argentea[7]. Egressi sunt autem ex Ægypto, cum Ægyptii sepelirent primogenita. Et illis quidem oboriebatur gau-

[1] 1 Cor. x, 11. — [2] Gen. xv, 13. — [3] Exod. 1, 11 et 14. — [4] Id. xii, 3, 7 et 11. — [5] Ibid. 12, 13. — [6] Ibid. 11. — [7] Ibid. 35, 36.

Digitized by Google

dium, quod liberati essent a squallida servitute : his vero luctus et planctus propter interitum liberorum. Quare inquit Moses : « Hæc est nox, in qua pollicitus est Deus se » redempturum nos [1]. » Hæc autem omnia mysterium sunt animæ per adventum Christi redemptæ. Israël enim interpretatione redditur Animus videns Deum. Liberatur ergo a servitute tenebrarum, ab Ægyptiis spiritibus.

VI. Postquam enim per inobedientiam mortuus est homo gravi morte animæ, et maledictionem super maledictionem suscepit : « Tribulos et spinas producet tibi » terra [2]. » Et iterum : « Coles terram, et non addet, ut tibi » præbeat fructus suos [3] : » creverunt et exortæ sunt in terra cordis ejus spinæ et tribuli. Abstulerunt ejus gloriam inimici dolo et technis, et induerunt eum pudore. Ablatum est lumen ejus, et indutus est tenebris : interfecerunt animam ejus, dissipatis ac divisis cogitationibus ejus, et distraxerunt e sublimi mentem ejus ; factusque est Israël homo servus veri Pharaonis. Et præfecerunt præfectos et stimulatores operis, spiritus malitiæ, cogentes eum, velit nolitve, committere prava sua opera, et constructionem luti ac lateris complere. Qui etiam arcentes eum a cœlesti sapientia, abduxerunt ad crassa, terrena ac lutosa opera prava, ad sermones, ad meditationes et ad cogitationes vanas. Ubi enim excidit e sua sublimitate anima, incidit in regnum homini infestum, et in principes crudeles, compellentes eam construere ipsis vitii peccatique civitates.

VII. Si vero ingemiscat anima et clamet ad Deum, emittit ei spiritualem Mosem, qui liberet eam a servitute Ægyptiorum : verum clamat, et suspiria ducit, et tum redemptionis initium consequitur. Ipso quoque mense recentium florum liberatur, tempore nimirum veris, quando terra animæ emittere potest pulchros et floridos ramos

[1] Exod. xii, 42. — [2] Gen. iii, 17. — [3] Ibid.

Digitized by Google

justitiæ, gravi hyeme ignorantiæ tenebrarum, et summa excæcatione ex obscœnis actionibus et peccatis prognata, præterita. Porro præcipit tum aboleri ex unaquaque domo omne fermentum antiquum, actiones nimirum, et consilia veteris hominis qui corrumpitur, ac perversas cogitationes et meditationes sordidas, quoad fieri potest, abjicere.

VIII. Mactari oportet agnum et immolari, ejusque sanguinem illinere foribus. Christus enim verus bonus et immaculatus agnus mactatus est, et sanguine ejus uncta limina cordis, ut fiat effusus in cruce sanguis Christi, animæ quidem vita et redemptio; Ægyptiis vero dæmonibus luctus et mors. Vere enim luctus illis est; gaudium autem et exultatio animæ, immaculati illius Agni sanguis. Deinde post unctionem jubet ad vesperam comedere agnum, et azyma cum lactucis agrestibus, circumcinctos renibus, calceatos sandaliis, et tenentes baculos in manibus. Nisi enim prius sit anima præparata undequaque per bona opera, quantum in ipsa est, non conceditur illi, ut comedat de agno. Et licet suavis sit agnus et azyma bona, amaræ tamen et asperæ sunt lactucæ. Cum afflictione ergo summa et molestia edit anima de agno et bonis azymis, affligente eam quod illam inhabitat, peccato.

IX. Et ad vesperam jubet edere illum. Vespertina autem hora medii inter lucem et tenebras est. Sic quoque anima in ipsa constituta redemptione, media est inter lucem et tenebras, assistente virtute divina, nec permittente tenebras insurgere in animam, et absorbere illam. Et quemadmodum Moses dixit: « Hæc est nox promissionis » Dei. » Sic quoque Christus, oblato sibi libro in synagoga, ut scriptum est, appellavit « Annum Domini acceptabilem, » et diem redemptionis[1]. » Ibi nox retributionis, hic dies redemptionis; et merito. Omnia enim illa typus erant et

[1] Luc. IV, 19.

Digitized by Google

umbra veritatis, et mystice præfigurata veram describebant salutem inclusæ tenebris animæ, atque compeditæ clam in lacu infimo, et intus inclusæ portis æneis, et quæ non possit absque Christi redemptione liberari.

X. Educit igitur animam ex Ægypto, et, qua in ea premebatur, servitute, primogenitis ejus interfectis in egressu. Jam enim pars quædam potentiæ veri Pharaonis interit. Luctus occupat Ægyptios. Ingemiscunt enim contristati de salute captivi. Jubet mutuo accipere ab Ægyptiis vasa aurea et argentea, et iis acceptis egredi. Accipit enim, egrediens ex tenebris anima, argentea et aurea vasa, videlicet, suas probas cogitationes septuplo fervidiores, quibus ministratur Deo, et in quibus Deus conquiescit. Disperserant enim, qui prius vicini ei erant, dæmones, et occuparant ac dissiparant cogitationes ejus. Beata anima, quæ redempta est e tenebris! Et væ animæ, quæ non clamat, nec ingemiscit ad eum, qui potest eam liberare a molestis illis et acerbis operum exactoribus!

XI. Abeunt filii Israël celebrato Paschate. Proficit anima, quæ accepit vitam sancti Spiritus, degustavit Agnum, ejusque sanguine uncta est, et comedit verum panem, Verbum vivum. Columna ignis et columna nubis illos præcedit custodiens [1]: Spiritus sanctus suffulcit hos, fovens et dirigens in intelligentia animam. Pharao et Ægyptii animadversa populi Israëlitici fuga, seque servitio eorum privatum, et post primogenitorum interfectionem persequi illum ausus est. Festinanter ergo curribus suis junctis, cum omni populo ad eos interficiendos impellebatur: jamjamque futurum cum esset, ut permisceretur eis, intercessit nubes in medio, quæ hos quidem tenebris obrutos impediebat; illos vero luce ducebat et conservabat. Et ne historiam totam evolvens producam longius

[1] Exod. xiv, 19, 20.

Digitized by Google

sermonem, sume mihi per omnia similitudinem ad res spirituales.

XII. Quam primum enim anima Ægyptios effugit, accedens divina potentia opitulatur, deducens eam ad veritatem. Ubi vero cognoverit spiritualis ille Pharao, rex tenebrarum peccati, deficere a se animam, et effugere regni sui cogitationes, quibus olim detinebatur; (hæ enim sunt ejus facultates;) existimavit ac spem sibi fecit horribilis ille, illam reversuram ad se. Ubi vero intellexit animam omnino evitare suam tyrannidem, cæde primogenitorum et furto cogitationum impudentius accurrit, veritus ne forsan anima prorsus effugiente, nemo reperiatur, qui voluntatem et opus suum implcat. Persequitur ergo eam afflictionibus, tentationibus ac bellis invisibilibus. Hic probatur, hic tentatur, hic apparet amor, quo eum, qui eduxit ex Ægypto, complectitur: siquidem traditur, ut probetur, et variis modis tentetur.

XIII. Videt enim facultatem hostis volentem irruere et interficere, nec tamen posse; medius enim inter eam et Ægyptios spiritus consistit Dominus. Spectat autem ab interiori parte mare amaritudinis et afflictionis aut desperationis, et nec in posteriora quidquam efficere potest; quippe quæ videat hostes promptos; nec in anteriora secedere; metus enim mortis, et graves ac variæ afflictiones, quibus circumdatur, mortem ob oculos ei ponunt. Desperat ergo de se ipsa, sententiam mortis in se habens, anima, propter circumdantem illam malorum multitudinem. Et ubi conspexerit Deus metu mortis collabi animam, hostemque ad eam absorbendam promptissimum, tum præbet quidem exiguum auxilium, longanimis erga animam, et probans eam, an in fide stet, et an dilectionem erga eum habeat. Talem enim Deus constituit viam, deducentem ad vitam, degere in afflictione, in angustia, in

Digitized by Google

probatione multa, et in tentationibus acerbissimis, ut inde postea occurrat anima per ingentem afflictionem, et mortem ante oculos positam : tunc manu valida et excelso brachio sancti Spiritus illuminatione dirumpit vim tenebrarum, et transit anima horrenda loca evitans, atque trajiciens mare tenebrarum et ignis omnia devorantis.

XIV. Hæc sunt mysteria animæ, quæ vere fiunt in homine, qui contendit pervenire ad promissam vitam, et qui liberatus e regno mortis, accipit arrhabonem a Deo, particeps Spiritus sancti factus. Deinceps liberata ab hostibus suis anima, acerbo mari virtute divina trajecto, ubi conspicit hostes, quibus antea inserviebat, ante oculos interiisse, exultat gaudio ineffabili, et glorificata consolationem a Deo accipit, et in Domino requiescit. Tum Spiritus, quem accepit, Deo canticum canit novum, tympano, nempe corporis, et citharæ, sive animæ chordis rationalibus, ac subtilissimis cogitationibus, et plectro divinæ gratiæ; mittitque laudes ad Christum vivificum. Quemadmodum enim per tibiam Spiritus transiens, sonum edit; ita per sanctos et Spiritu præditos homines Spiritus sanctus psallit, et precatur Deum in puritate cordis. « Gloria sit ei, qui redemit animam e servitute Pharaonis, thronumque suum eam constituit, domicilium, templum et sponsam puram; atque introduxit eam in regnum vitæ æternæ, vel adhuc in hoc sæculo existentem. »

XV. In lege animalia ratione destituta offerebantur in sacrificium, quæ nisi mactarentur, non erant gratæ oblationes. Nunc quoque nisi mactetur peccatum, non est grata oblatio apud Deum, et vera. Venit populus in Maran, ubi erat fons amaram aquam e scaturigine mittens, eamque inutilem ad bibendum[1]. Jubet ergo Deus Mosem metu correptum lignum projicere in aquam amaram; hoc

[1] Exod. xv, 25.

Digitized by Google

pacto injecto ligno dulcis effecta est aqua, et mutata amaritudine, utilis et potabilis reddita est populo Dei. Eodem modo quoque anima, epoto vino serpentis, amaritudinem contraxit, factaque est similis amaræ ejus naturæ, ac peccatrix evasit. Quapropter immittit Deus lignum vitæ in ipsum amarum fontem cordis, qui dulcescit, ab amaritudine transmutatus, et admixtus Spiritui Christi : atque hoc pacto utilis effectus in obsequium Domini sui cedit: evadit enim Spiritus carnem gestans. Gloria sit ei qui mutat amaritudinem nostram in suavitatem et bonitatem Spiritus. Væ illi, in quem non missum est lignum vitæ! non potest enim aliquam bonam mutationem consequi.

XVI. Virga Mosis duplicem gerebat imaginem. Hostibus velut serpens occurrebat, mordens et interficiens, Israëlitis vero erat baculus, quo fulciebantur. Sic quoque verum lignum crucis, quod est Christus, hostium quidem est mors, spirituum nempe malitiæ ; animarum vero nostrarum baculus, sedes tuta, et vita, in qua conquiescunt. Figuræ enim et umbræ prius fuerunt, quam veræ hæres ; siquidem antiquus cultus præsentis cultus umbra et imago est. Item circumcisio, tabernaculum, arca, urna, manna, sacerdotium, incensum et ablutiones, et, ut summatim dicam, quæcumque fiebant in Israëlitico populo, in lege Mosis, aut Prophetarum temporibus, propter animam ipsam facta sunt, quæ secundum imaginem Dei condita, atque sub jugum servitutis, et sub regnum molestarum tenebrarum lapsa est.

XVII. Cum hac enim voluit Deus communicare, hanc aptavit sibi in sponsam regis, hanc expurgat a sordibus, et abluta nigredine et turpitudine sua splendidam reddit, e mortificatione vivificat, e contritione curat, et pacat, inimicitiis ejus conciliatis. Creatura enim cum sit, in sponsam filio regis aptata est, Deusque propria virtute suscipit

Digitized by Google

eam, paulatim eamdem immutans, donec auxerit eam suo ipsius incremento. Extendit enim et producit eam ad infinitum et immensum augmentum, donec incontaminata et digna eo sponsa evadat. Primum enim gignit eam apud semetipsum, atque auget per se ipsum, donec consequatur integram mensuram dilectionis ejus. Ipse enim cum sit sponsus perfectus, assumit eam sponsam perfectam, in sanctam, arcanam et impollutam societatem nuptiarum; tumque regnat simul cum eo in infinita sæcula. Amen.

HOMILIA XLVIII.

De perfecta fide in Deum.

I. Dominus in Evangelio suos Discipulos ad perfectam fidem deducere volens, dixit: « Qui in modico infidelis » est, et in multo infidelis est. Et qui in minimo fidelis est, » et in multo fidelis est [1]. » Quid est modicum, et quid est multum? Modicum sunt promissiones sæculi hujus, quæ promisit se præstiturum credentibus ei, velut victum, vestitum et reliquam corporis recreationem, aut sanitatem, et similia; præcipiens omnino non sollicitum esse de his, sed per fiduciam in eum sperare, quod Dominus provisor eorum, qui ad eum confugiunt, per omnia futurus sit [2]. Multum autem sunt æterni atque incorruptibilis sæculi dona, quæ promisit se collaturum credentibus in eum, et iis qui absque ulla intermissione de iis sunt solliciti, et poscunt ab eo, quia sic præcepit. « Vos autem, inquit, » quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc » omnia adjicientur vobis [3]: » ut ex his modicis et tempo-

[1] Luc. xvi, 10. — [2] Matth. vi, 31. — [3] Ibid. 33.

Digitized by Google

raneis quisque probetur, an credat Deo, quod promiserit se largiturum, modo nos de talibus nihil simus solliciti; sed duntaxat de futuris rebus æternis curam suscipiamus.

II. Et tunc manifestum est illum credere de incorruptibilibus, et revera quærere æterna bona, si de jam dictis sanam fidem conservat. Debet enim quisque eorum, qui obtemperant veritatis verbo, probare se ipsum, ac discutere, vel a spiritualibus viris dijudicari atque probari, qua ratione crediderit, et Deo se ipsum tradiderit, an revera in veritate juxta verbum ejus, an opinione justificationis et fidei, quam habet apud se, se credere existimet. Quilibet enim an in modico fidelis sit, de temporaneis loquor, probatur et arguitur. Quo pacto autem, audi: « Ais-ne te credere regno cœlorum dignum haberi, et Filium Dei natum desuper esse, et cohæredem Christi, atque per cuncta sæcula te regnaturum cum eo, et fruiturum deliciis in lumine arcano, per infinita et innumerabilia sæcula, quemadmodum et Deus? » Utique dices; « Imo. Propter hanc enim causam digressus e mundo, me ipsum Domino dedidi. »

III. Examina ergo te ipsum, num forte te detineant adhuc curæ terrenæ, et sollicitudo multa de corporis victu et amictu, necnon reliqua studia et recreatio; quasi tua facultate promptus sis ac provideas tibi ipsi, quæ mandata tibi sunt, ne omnino sis sollicitus de te ipso. Si enim credis te immortalia, æterna et permanentia atque invidia carentia consecuturum esse: quanto magis hæc caduca et terrena, quæ Deus contulit vel impiis hominibus, bestiis ac volucribus, credere debes Dominum tibi largiturum, ut quoque præcipit, prorsus non de his sollicitum esse, dicens: « Ne solliciti sitis quid manducetis, aut quid bibatis, » aut quo operiamini. Hæc enim omnia gentes inquirunt [1]. » Sin de his adhuc curam geris, nec credis [illegible] ipsum totum

[1] Matth. VI, 32.

Digitized by Google

verbo illius, scito te, quod æterna bona, quæ sunt regnum cœlorum, consecuturus sis, nondum credere, quamvis putes te credere, vel adhuc in exiguis et corruptibilibus incredulus deprehensus. Et iterum : « Sicut corpus plus »est quam vestimentum, sic anima plus est quam corpus [1]. » Credis ergo : « Animam tuam per Christum modelam consequi a perpetuis et incurabilibus apud homines vulneribus, ignominiosis nimirum affectionibus, propter quam quoque huc venit Dominus, ut nunc animas fidelium curet a non curabilibus affectionibus, et repurget a sordibus lepræ nequitiæ, qui solus verus medicus et curator est. »

IV. Dices : « Utique credo. In hoc enim consisto, et hanc foveo spem ac fiduciam. » Quapropter cognosce ac scrutare te ipsum, num aliquando morbi corporei ad medicos terrenos te deducant, perinde ac si Christus, cui credidisti, nequeat te curare. Vide quo pacto te ipsum decipias, quia putas te credere, qui nondum, ut oportet, vere credis. Si enim æterna et incurabilia immortalis animæ vulnera et affectiones vitiosas credidisses a Christo curari, crederes quoque eum posse curare temporaneas corporis affectiones et morbos, atque ad eum solum confugeres neglecta medicorum industria et cura. Qui enim animam condidit, ipse quoque corpus creavit : et qui illam immortalem sanat, idem quoque corpus a temporaneis affectionibus et morbis curare potest.

V. Verum utique hæc mihi dices : « Ad medendum corpori concessit Deus tum herbas terræ, tum pharmaca, atque medicorum officia ad corporis morbos præparavit ; disponens, ut corpus e terra sumptum variis e terra ortis speciebus curetur. » Confiteor quoque ego hæc ita se habere ; verum attende, et intelliges modum, quibus hæc data sint, et quibus hæc concesserit Deus summa et infi-

[1] Matth. VI, 25.

Digitized by Google

nita humanitate ac benignitate ductus. Cum excidisset homo a mandato, quod acceperat, et judicio iræ obnoxius factus est, et velut in captivitatem et infamiam, et in cujusdam metalli officinam, a deliciis paradisi in hunc mundum exterminatus, et sub potestatem tenebrarum redactus, infidelis errore affectionum redditus esset, tandem in affectiones et morbos carnis incidit, qui prius omnis affectionis et morbi erat expers. Patet ergo omnes quoque ex eo progenitos in easdem affectiones delapsos esse.

VI. Concessit ergo hæc Deus infirmis et infidelibus, nolens omnino perire obnoxium peccatis genus humanum, pro summa sua clementia. Sed dedit ad refocillandum, sanandum, et curandum corpus, pharmaca hujus mundi hominibus et extraneis omnibus : quibus etiam eos uti permisit, qui nondum Deo se totos concredere possunt. Tu vero, qui solitariam agis vitam, qui accessisti ad Christum, qui filius Dei esse desideras, qui desuper e Spiritu nasci expetis, qui sublimiores et ampliores, quam primus homo, omnis affectionis expers, promissiones accepisti, gratissimum nimirum Domini adventum, qui peregrinus hujus mundi es factus, magis novam quamdam et peregrinam fidem, intellectum et conversandi rationem præter omnes hujus mundi homines, obtinere debes. Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto, in sæcula. Amen.

HOMILIA XLIX.

Non satis est, hujus sæculi delicias reliquisse, nisi quis alterius sæculi beatitudinem consequatur.

I. Si quis egressus e propriis, huic mundo renuntiet,

Digitized by Google

et deliciis hujus sæculi, tum possessionibus, tum patre, tum matre, Domini gratia, relictis et amotis, se ipsum crucifigendo, peregrinus, pauper, et egenus fiat; pro quiete autem hujus sæculi requiem divinam in se ipso non inveniat, et pro deliciis temporaneis, delicias Spiritus in sua ipsius anima non sentiat, et pro corruptibilibus vestimentis, vestimenta divinæ lucis non induat in interiori homine; et pro priori et carnali societate hac, societatem cœlestem in sua ipsius anima, certa fiducia nixus, non agnoscat; et pro conspicuo hujus mundi gaudio gaudium Spiritus intus non habeat, et consolationem cœlestis gratiæ, et satietatem divinam in anima non consequatur; dum apparet ei gloria Domini, ut scriptum est; et, ut semel dicam, pro momentanea hac voluptate, voluptatem incorruptibilem desideratam in sua ipsius anima nunc non obtineat, hic factus est sal insipidum, hic miserabilior est quam cuncti homines : hic et sæcularibus privatus est, et divinis non fruitur : mysteria divina per operationem Spiritus in homine interiore non cognovit.

II. Propterea enim alienus mundo fieri quis solet, ut ad alium mundum et sæculum intellectu transeat anima ejus, secundum Apostolum : « Nostra enim, inquit, conversatio in cœlis est [1]. » Et rursum : « In carne ambulantes, non secundum carnem militamus [2]. » Oportet ergo eum, qui renuntiavit huic mundo, firmiter credere, quod oporteat in aliud sæculum animo jam nunc per spiritum transcendere, ibique conversari ac delectari, et frui spiritualibus bonis, et interiorem hominem e Spiritu nasci : ut dixit Dominus; « Qui credit in me, transit a morte in vitam [3]. » Siquidem est alia mors præter eam quæ videtur, et alia vita præter eam quæ videtur. Ait enim Scriptura : « Quæ in deliciis est, vivens mortua est [4]. » Item : « Sine,

[1] Philip. III, 20. — [2] 2 Cor. x, 3. — [3] Joan. v, 25. — [4] 1 Tim. v, 6.

Digitized by Google

» ut mortui sepeliant mortuos suos[1]. » « Quia non mortui » laudabunt te, Domine, sed nos qui vivimus[2]. »

III. Quemadmodum enim sol exortus super terram, totus in terra est, ubi autem ad occasum vergit, omnes radios suos colligit, procedens in domum suam; sic quoque anima, quæ desuper e Spiritu renata non fuerit, tota est in terra cogitationibus et meditationibus suis, super terram extensa usque ad ejus limites; ubi autem digna habetur cœlestem consequi Spiritus generationem et communionem, cunctas suas cogitationes colligit, easque secum habens, ingreditur ad Dominum, in domicilium cœleste non manufactum, omnesque cogitationes ejus, cœlestes, puræ et sanctæ evadunt, migrantes in aërem divinum. Anima enim liberata e carcere tenebrarum improbi principis spiritus sæculi, reperit cogitationes puras et divinas, quia placuit Deo hominem naturæ divinæ participem facere.

IV. Si igitur recesseris a cunctis, quæ sunt in vita, rebus, et in oratione perseveraveris, potius hunc laborem quietis plenum arbitrabere; et modicam afflictionem et laborem, gaudio et remissione repletum existimabis maxima. Si etenim et corpus et anima tua consumerentur singulis horis per totum vitæ curriculum propter tanta bona, quidnam hoc esset? O ineffabilem misericordiam Dei, qui gratis se ipsum largitur credentibus, se post exiguum tempus Deum hæreditario jure possessuros, et Deum habitaturum in corpore hominis, et habiturum Dominum speciosam domum, hominem. Sicut enim Deus cœlum et terram creavit, ut in iis habitet Dominus; sic quoque corpus et animam hominis creavit in domicilium suum, ut inhabitet et requiescat in corpore, velut in domo sua: habens sponsam speciosam, dilectam animam, ad imagi-

[1] Luc. IX, 60. — [2] Psal. CXIII, 17, 18.

Digitized by Google

nem suam conditam. « Despondi enim vos, inquit Apostolus, uni viro virginem castam exhibere Christo[1]. » Et iterum : « Cujus domus sumus nos[2]. » Quemadmodum enim vir in domo sua summa diligentia omnis generis bona in thesaurum colligit; sic quoque Dominus in domum suam animam et corpus reponit, et colligit divitias Spiritus cœlestes. Neque vero sapientes sapientia sua, neque prudentes prudentia sua potuerunt animæ subtilitatem comprehendere, aut de illa dicere, quo pacto se haberet, nisi solum ii, quibus per Spiritum sanctum revelatur comprehensio, et exacta animæ cognitio perspicitur. Cæterum hic contemplare, discernito et intellige, quo pacto, audi : hic Deus est, illa non est Deus; hic Dominus, illa ancilla; hic Creator, illa creatura; hic Opifex, illa figmentum. Nihil commune inter hujus et illius naturam est. At per infinitam, ineffabilem, et incomprehensibilem dilectionem et misericordiam ejus placuit illi, in hoc ipso figmento et creatura intellectuali, pretiosa et electa inhabitare, ut ait Scriptura : « Ut simus nos initium » aliquod creaturarum ejus[3], » in sapientiam et societatem ejus, in proprium ejus habitaculum, in propriam ac mundam sponsam.

V. Tantis igitur bonis propositis, tantis promissionibus factis, tantaque benignitate a Domino nobis exhibita, ne contemnamus, o filii, neve cunctemur ad vitam æternam proficisci, et nos ipsos penitus Domini beneplacito tradere. Obsecremus ergo Dominum, ut sua divina virtute liberet nos e carcere tenebrarum ignominiosarum affectionum, et imaginem suam et figmentum vindicet, ac splendidum reddat, salvam et puram constituat animam; et ut hac ratione digni habeamur societate Spiritus, glorificantes Patrem, Filium et Spiritum sanctum, in sæcula. Amen.

[1] 2 Cor. xi, 24. — [2] Hebr. iii, 6. — [3] Jacob. i, 18.

Digitized by Google

HOMILIA L.

Deus est, qui per sanctos suos et creaturas edit miracula.

I. Quis, qui clausit portas cœlorum? Elias. An Deus erat in eo, qui imperabat etiam pluviæ[1]? Puto eum, qui potestatem habet in cœlum, insedisse in animo illius, verbumque Dei per linguam ejus prohibuisse, ne descenderet pluvia super terram. Iterum locutus est, et apertæ sunt portæ cœlorum ac descendit pluvia[2]. Similiter quoque Moses ponebat virgam, et fiebat serpens; et rursus locutus est, et fiebat virga[3]. Et accepit a camino cinerem, et dispersit, et producebantur ulcera, et iterum percussit, et fiebant ciniphes et ranæ[4]. Num hæc natura humana facere potuit? Locutus est mari, et divisum est[5]: fluvio, et mutatus est in sanguinem. Verum patet, quod cœlestis virtus habitaverit in ejus animo, et per Mosem ediderit hæc signa.

II. David quo pacto potuit absque armis in bellum congredi cum tali gigante? Et cum projiceret lapidem in alienigenam sua manu David, manus Dei dirigebat lapidem, ipsa quoque virtus divina interfecit illum, parans victoriam[6]. Non enim David hoc poterat, qui erat imbecillis corpore. Jesus, filius Nave, cum venisset Jericho, sedit septem dies, nihil efficere valens sua ipsius natura: at ubi jussit Deus, muri sua sponte corruerunt[7]. Et cum ingrederetur terram promissionis, dicit ei Dominus: « Proficiscere in bel-

[1] 1 Reg. xvii, 1. — [2] Id. xviii, 44, 45. — [3] Exod. vii, 10. — [4] Id. viii, 17. — [5] Id. xiv, 16 et 22. — [6] 1 Reg. xvii, 49. — [7] Josuæ vi, 20.

Digitized by Google

» lum; » respondit Jesus : « Vivit Dominus! non procedam » sine te. » Et quis est, qui mandavit soli, ut subsisteret duas alias horas in conflictu belli[1]. An sola ipsius natura? an quæ illi assistebat potentia? Moses quoque, cum manus consereret cum Amalecho[2], quando extendebat manus in cœlum ad Deum, conculcabat Amalech : quando autem declinaret manus, Amalech superior erat.

III. Tu vero quando hæc auditu percipis, ne procul a te procedat mens tua; verum quia illa typus erant et umbra verarum rerum, accommoda eadem tibi ipsi. Quandocumque enim extenderis manus animi tui et cogitationes in cœlum, atque volueris agglutinari Domino, inferior cogitationibus tuis fit Satanas. Et quemadmodum Jericho muri corruerunt virtute divina[3], sic quoque nunc muri malitiæ impediunt mentem tuam, atque urbes Satanæ et inimici tui perduntur virtute divina. Ad hunc modum in umbra legis virtus divina indesinenter aderat justis, edens manifesta miracula. Atque intus in ipsis habitabat divina gratia. Itidem quoque in Prophetis operabatur, atque suppeditabat animis eorum Spiritum prophetandi, et loquendi et dicendi mundo res ingentes, necessitate id poscente. Non enim semper loquebantur, sed quando volebat, qui in ipsis erat, Spiritus : nihilominus facultas semper aderat.

IV. Si igitur in umbram tantopere est effusus Spiritus sanctus, quanto magis in novum Testamentum, in crucem, in adventum Christi, quando facta est effusio et ebrietas Spiritus? « Effundam enim, inquit, de Spiritu meo super » omnem carnem[4]. » Hoc est, quod ipsemet Dominus dixit, nempe : « Vobiscum ero usque ad consummationem sæ- » culi[5]. Omnis enim qui quærit, invenit. Si etenim, inquit, » vos, qui estis mali, nostis bona dona dare filiis vestris,

[1] Josuë. x, 13. — [2] Exod. xvii, 11. — [3] Josuë. vi, 20. — [4] Act. ii, 16, 17, et Joël. ii, 20. — [5] Matth. xxviii, 20.

Digitized by Google

» quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum pe-
» tentibus eum cum virtute et summa fidei certitudine[1], » se-
cundum Apostolum. Cæterum ista modo, tempore, la-
bore summo, patientia atque dilectione ejus comparantur,
dum exercentur organa animæ sensitiva, ut dictum est, et
bono et malo; videlicet machinis, insidiis, et multiplici-
bus circumstantiis, atque deceptionibus malitiæ, itidem
quoque diversis gratiæ donis, variis auxiliis, a virtute et
efficacia Spiritus profectis. Qui enim cognoscit cicatrices
malitiæ, affectionibus inquinantes interiorem hominem,
et non perspicit in se auxilium sancti Spiritus veritatis,
corroborantem infirmitatem suam atque renovantem ani-
mam in exultatione cordis, ejusmodi qui est, sine discre-
tione graditur, non perspiciens multiformem dispensatio-
nem gratiæ pacisque divinæ. Et e diverso, qui adjuvatur a
Domino, et affluit lætitia spirituali, ac donis cœlestibus, si
existimet se non amplius obnoxium peccato, decipitur oc-
culte, quippe qui non habeat facultatem discernendi subti-
litatem malitiæ, nec intelligat paulatim fieri incrementum
pueritiæ, atque perfectionem in Christo : subministratione
ergo et instructione Spiritus sancti et divini glorificamus
Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, in sæcula. Amen.

[1] Matth. VII, 8 et 11.

Digitized by Google

S. MACARII ÆGYPTII

OPUSCULA.

OPUSCULUM I.

De custodia cordis.

I. Quomodo potest dicere quilibet: Jejunans, peregre degens, divisis dispertitisque bonis meis omnibus, sanctus sum? An ille sanctus est, qui nondum emundavit interiorem hominem? non enim qualiscumque abstinentia a malis, sed quæ intimos conscientiæ sinus omni inquinamento cum diligentia expurgat, perfecta demum emundatio est. Ergo ingredere sis heus tu, in laxa penitus conclavia late intus vagantium cogitationum tuarum, ad tuam captivam et servam peccati mentem; et vide in intimo ejus fundo, sub turba bullientium cogitationum, in ipsis, quæ animæ penetralia dicuntur, occultissimis conscientiæ recessibus, reptantem nidulantemque anguem, qui te occidit, veneno suo infectis vitalibus animæ tuæ partibus ac membris. Abyssus enim imperscrutabilis cor est, et siquidem istum interfeceris, tunc sane aude apud Deum gloriari de tua puritate: sin minus, humiliatus, ut indigens et peccator, accede ad Deum, et coram illo procide orans, ut te ab occultis tuis mundet.

II. Vera mors intus in corde abscondita est, qua exterior homo, utcumque spirare videatur, revera est mortuus. Si quis igitur in illo arcano cordis a morte ad vitam transit, is vere vivit vita perenni, nec amplius moritur. Etsi enim talium quoque corpora, separantibus se statuto tempore ab iis animabus, certo spatio solvuntur; eadem ta-

Digitized by Google

men, utpote sanctificata, resurgent cum gloria. Propterea somnum vocamus mortem sanctorum.

III. Totum adversarii certamen in eo desudat, ut queat mentem nostram a Dei recordatione et amore abstrahere, illecebras ad id adhibens terrenas, omnique arte satagens affectum sensumque nostrum ab eo, qui unus vere bonus est, ad ea, quæ sola opinione, non autem solida veritate, bona sunt, avertere. Quodcumque enim homo bonum facit, polluere ac contaminare improbus conatur, maximeque contendit, cum quem videt legi observandæ operam dantem, operi bono aut vanæ gloriæ, aut tumidæ sui præsidentiæ labem inspergere, ne Dei solius causa, et ex bono vereque laudabili proposito, quod exterius bene fit, interius geratur.

IV. Quid igitur nos nunquam ac nusquam soliti in cor nostrum ingredi, quomodo incipiemus; per jejunium et orationem foris stantes pulsemus, prout Dominus jussit, dicens: « Pulsate et aperietur vobis [1]. » Si enim permanserimus in verbo Domini, et in sensu intime demisso mendicitatis et vilitatis nostræ; ac simul exercitio cunctarum, quæ per mandata imperantur, virtutum nocte ac die perseveraverimus pulsantes spiritualem Domini januam, poterimus potiri eo, quod quærimus. Per hanc enim januam potest liberationem assequi quicumque vult fugere a captivitate tenebrarum. Invenit quippe ibi libertatem animæ, et recipit congruas ipsi cogitationes; ac tandem eo usque provehitur, ut possideat cœlestem regem Christum.

V. Quando mens oblita fuerit mentalis et piæ afflictionis, tunc et mandatorum obliviscitur; quando videtur currere, errat a via plana, et obliquis gyrans semitis ambulat: propter quod in feras incurrit bestias. Nisi enim orationis et spei laborem excidissemus, non utique peccavissemus. His

[1] Matth. VII, 7, et Luc. XI, 9.

Digitized by Google

porro, qui animo angustiantur, dicit Scriptura: « Fidelis » Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis[1]. » Qui autem indociles sunt, eis occurrent mala[2]. »

VI. Sicut exteriores oculi longe prospiciunt spinas et præcipitia : sic et acri providendi perspicacia prædita mens cito prospicit adversariæ potestatis artes insidiasque, ac contra eas præmunit animam, cujus est oculus.

VII. Contentione multa, et labore, eoque occulto et invisibili, est opus in scrutatione cogitationum facienda, et in hebetatis « Animæ nostræ sensibus acuendis, exercitandisque ad discretionem boni et mali[3]. » Oportet omnino undecumque exsuscitare conatu mentis ad Deum se incitantis, debilitata animæ membra : mente nostra cum Domini adjutorio semper nos provocante, ut cum illo coalescamus « In unum spiritum[4], » juxta oraculum Pauli. Hoc autem certamen occultum, et meditationem Domini, ac laborem diu noctuque necesse est nos habere ad omnem studiosam executionem mandati præscribentis quippiam sive orantibus, sive comedentibus, sive ministrantibus, sive bibentibus, sive aliud quidvis agentibus, ut quodcumque fit opus bonum, in Dei gloriam fiat. Sanctificatur enim tota series mandatorum, et pure perfecteque a nobis executioni traditur per indesinentem memoriam Dei, perque timorem et charitatem erga Deum; per hæc enim nos disjungimus seorsimque locamus ab eo, qui pollnit mandata Dei.

VIII. Etenim patriarcha Abraham e primitiis sacerdoti Dei Melchisedech obtulit; et sic benedictionem accepit ab ipso[5]; » quid vero aliud per hæc adumbrat Spiritus? Sublimiori nimirum intelligentia significare vult, utique summa et intima, verticem et ossa totius concretionis naturæ nostræ; hoc est, ipsam mentem, ipsam conscientiam, ipsam

[1] 1 Cor. x, 13. — [2] Deut. xxxi, 29. — [3] Hebr. v, 14. — [4] 1 Cor. vi, 17. — [5] Gen. xiv, 18.

Digitized by Google

dispositionem, ipsam cogitationem, ipsam amandi potentiam, tanquam primitias totius nostri hominis, Deo ante omnia debere nos afferre, et velut sacram cordis nostri offerre victimam, primitias et summitates bonarum cogitationum, in eamdem Dei memoriam et meditationem, omni alia occupatione seposita, vacantis. Et sic possumus quotidie augmentum et profectum accipere, adjuti a divina gratia; et onus justitiæ mandatorum leve nobis apparebit pure et irreprehensibiliter ea implentibus, cooperante ad hoc nobis ipso Domino per nostram in ipsum fidem. De apparente vero exercitatione, et quodnam bonum studium majus inter omnia et primum sit, illud scitote, dilectissimi, hærere committique invicem virtutes omnes, et nexu pendere mutuo devinctas unam ab altera, sic constituentes sacram quamdam et spiritualem catenam, in qua oratio charitati, charitas gaudio, gaudium mansuetudini, mansuetudo humilitati, humilitas ministrationi, ministratio spei, spes fidei, fides obedientiæ, obedientia simplicitati, subjuncta insertaque connectitur. Sicut e contrario vitia quoque inter sese junguntur, et ex uno aliud germinat; puta odium ab ira, ira a superbia, superbia a vana gloriatione, vana gloriatio ab infidelitate, infidelitas a duritie cordis, duritics cordis a negligentia, negligentia a languore, languor a despicientia, despicientia a pigritia, pigritia a pusillanimitate, pusillanimitas ab amore voluptatis, et sic alia membra malitiæ suspensa nexaque trahuntur invicem. Pari exemplo atque in parte meliori virtutes ex se mutuo pendent. Caput vero virtutis omnis et supremus vertex operum laudabilium est constans in oratione perseverantia, per quam reliquas quoque virtutes a Deo continua petitione impetratas adipisci quotidie possumus.

IX. Nisi humilitas et simplicitas, et benignitas exornet

Digitized by Google

nos, habitus orationis nihil nobis proderit, non solum autem id de oratione dicimus, sed et de quavis alia contentione et labore, sive in virginitatis custodia, in precibus recitandis, in alia qualibet ærumnosa functione virtutis causa suscepta; nisi fructus charitatis, pacis gaudii, mansuetudinis, humilitatis, simplicitatis, sinceritatisque, fidei, longanimitatis candide in nobis ipsis reperiamus in vanum et vacuum nostri labores suscipiuntur; omnis enim ista exercitatio et contentio propter hos fructus suscipi debet. Quare his fructibus non comparentibus intra nos, frustranea et irrita illa omnis fuit operatio, adeoque, qui sine his operantur, similes in die judicii deprehendentur fatuis quinque virginibus [1], quæ, quod hinc non asportassent in vasis cordis spirituale oleum, quo prius memoratæ virtutes designantur, fatuæ nominatæ sunt, et spirituali regni thalamo exclusæ. Laborque virginitatis, propter defectum virtutum, et privationem manifestæ inhabitationis Spiritus, pro nihilo reputatus est. Sicut enim in cultura vineæ omnis industria et labor ad fructuum perceptionem refertur; quæ si demum fallat, non repertis uvis in vite, nequidquam et sine operæ pretio existimatur desudasse vinitor; ita nisi per operationem Spiritus sancti fructus charitatis, pacis, gaudii, humilitatis, aliorumque enumeratorum ab Apostolo donorum [2], in omni certitudine ac sensu spirituali in nobis ipsis agnoscamus, frustra contentionem virginitatis, orationis, psalmodiæ, jejunii et vigiliarum laborem suscepisse convincemur. Illi quippe labores animæ ac corporis, spe spiritualium ejusmodi fructuum exerceri debent; Spiritus vero in virtutibus fructificatio, fruitio est spiritualis in voluptate incorrupta, in cordibus fidelibus operatione Spiritus sancti animatis. In multa siquidem discretione prudentiæ, ope-

[1] Matth. xxv, 3. — [2] Galat. v, 22.

Digitized by Google

ratio, labores, et ærumnæ naturæ, existimentur per fidem et spem a sancto Spiritu iis, qui digni sunt, efficaciter inditi. Bonum est jejunium; bona vigilia; bona fuga patriæ et conversationis humanæ in solitudine. Sed hæc flos ipse ac vigor sunt conversationis bonæ. Cæterum ordo Christianorum interior est his, et non debet quis his inniti solis ad confidentiam. Contingit autem esse quosdam participes gratiæ, in quibus malitia, cum revera subsit insidiose latere satagit, ultro agere cessans et se abscondens, ipsumque, in quo habitat, fallat, male persuadens esse suam mentem jam purgatam; unde in arrogantiam inflatur, aiens : Perfectus ego Christianus sum, at dum miser isti fiduciæ homo indormit, liberum se nunc demum prædicans, opprimitur ab irruente in eum, latronum more, e latebris, ubi subsederat, malitia, quæ nihil minus opinantem tentatione vehementi adoriens vincit et deprimit in terræ infima. Si enim homines sæpe latrocinio aut militiæ dediti, stratagemate uti sciunt, subsidentes in locis occultis, et ex insidiis repente coorientes in hostium terga, ipsosque circumventos vi subita trucidant; quanto magis malitia, quæ tot millibus annorum hoc opus exercuit, tot perdens animas, notam habebit artem insidiarum in imo corde struendarum, ut aliquando cesset ab agendo, quo persuasione ista imbuat animam se esse perfectam.

X. Fundamentum christianismi hoc est, ne homo post quantalibet bona opera, in ipsis acquiescat, aut se magnum putet, sed perseveret esse pauper spiritu; ac cum gratiæ particeps factus fuerit, ne existimet se quidpiam adeptum, putetque se esse aliquem, incipiatque magistrum agere. Neve se aliquem supra vulgus, quinctiam, cum secesserit in solitudinem et bene ambulaverit, multum jejunans, exilium mundi fortiter tolerans, pie orans, gratiæ donorum compos, nihilo tamen magis animam suam

Digitized by Google

pretiosam habeat. Imo tum maxime, quando primum sentit appulsum gratiæ, sollicite laboret; sitimque monstret ulterioris profectus; valde cavens, ne quasi jam satiatus, se abunde justum, aut locupletem habeat; e contrario potius lugeat, et lacrymetur. Quomodo si mater educaverit a puero cura magna unicum filium, ubi, cum ad virilem pervenit ætatem, mori eum contingat; qui consolari eam aggrediuntur, incentiva luctus magis accumulant; sic flere indesinenter Christianum oportet lapsum suum : et ante omnia habere cor contritum.

XI. Ut si palatium regis cujuspiam multa habeat cubicula, et multa vestibula et atria, ac interiora conclavia, ubi residet rex, ubi purpura et thesauri reponuntur, aliquis exteriorum tenus atriorum ingrediens, ne putet se jam in intima quasi viscera tantarum ædium penetrasse, atque adeo tenere apothecas, in quibus gaza et gloria regis, purpura et thesauri custodiuntur : sic, ista imagine ad spirituale negotium translata, ne putent jejunantes, vigilantes, psallentes, orantes, pervenisse se jam ad fruitionem pacis : utpote qui adhuc in vestibula tantum et prima atria ingressi sunt, nondum eo, ubi purpura, ubi thesauri jacent. Non debent igitur fratres exteriori conversatione ac disciplina niti magnopere, nec de se propter illam dicere : Ego sum aliquis; nec, simul ac quispiam gratiam adipiscitur, præfidentia niti, quasi jam comprehenderit, aut regi sit intime admotus; modo enim in extimis duntaxat adhuc diversatur ædium partibus : nec convenit scrutari unumquemque, num forte inveniat in vase fictili thesaurum, aut regiam induerit Spiritus purpuram, an regem invenerit, et quiete fruatur. Sic quippe comparata est hominis anima, habet profunditatem quamdam et membra velut plurima. In eam porro subintrans peccatum, cuncta ejus occupat membra, et cogitationes

Digitized by Google

cordis; deinde cum homo quærit, venit ad ipsum gratia, et occupat duo membra animæ. Qui ergo inexpertus rerum, sentit appulsum provocantis gratiæ, continuo putet quod adveniens gratia omnes animæ partes occupaverit, planeque ac radicitus extirpatum sit peccatum; cum tamen pleraque adhuc animæ membra revera a peccato detineantur, unum tantum ex his quodpiam gratia possidente; nesciente ipso homine, et supine sinente sibi imponi. Est enim gratia plerumque indesinenter operans, sicut oculus defixus in corpore. Et peccatum subest mentem clam surripiens. Et tunc qui discretione caret, temere autumans se perfectionis culmen tenere, intumescit opinione sui, plene jam se liberatum putans, quod non ita est; uti enim dixi, subest dolus latentis in insidiis Satanæ; aliquando nihil se moventis, ut credatur abesse, ac sic noxiam fiduciam ingeneret homini, falso arbitranti purum se ac perfectum esse. Atqui neque plantans vineam statim ex ea uvam maturam aut vinum legit; neque seminans triticum in terra, eodem tempore segetes metit, et et fructus capit; neque modo natus puer subito potest in virum adolescere: nec militiæ prima rudimenta ponens tiro, jam præfecturis militaribus aptus gerendis est: oportet enim hunc primum longa patientia insuescere labori; tum facta pugnæ copia fortiter in campo stare, vincereque hostem ac coronari.

XII. Pulchræ igitur et bonæ res sunt, inopia voluntaria, psalmodia, jejunium, vigiliæ, et gratia potiri. Sed parum prosunt ei, qui nondum, ut oportuerat, cœpit fodere, ubi fundamentum ponat. Nec se decipi mens in eo patiatur, utcumque gratiæ particeps; aut inde sibi aduletur, pretiosam æstimans suam animam. Respice in Jesum, a quali gloria Dei Filius, Deus ipse, in quas passiones usque ad crucifixionem venit? Propter hanc ergo humilitatem exal-

Digitized by Google

tatus est, in dextera Patris sedens. At serpens a principio insevit Adamo exaltationis amorem suggerens : « Eritis si- » cut dii[1], » per istam autem affectionem sublimitatis, vides in quam ignominiam descendit genus humanum. Sane quæro hominem pauperem spiritu, nec invenio. Ut si quis habens reconditos domi thesauros, tamen circumeat mendicans et ab omnibus petens : sic sunt Christiani gratiæ possessione apud Deum divites, humili sui æstimatione pauperes, et quasi nihil habentes. Debentur alicui centum auri libræ ; si ille quinque acceptis sit contentus, nec ultra quidquam quærat; an aget sapienter? Pejus etiam sibi consulunt quidam, habentes, ut sic dicam, decem uncias gratiæ ; et eas vano tumore gloriationis falsæ in centum multiplicantes : e contrario vero plerumque nonnulli habentes quinque uncias peccati, eas in semiunciam extenuant. Id ipsis accidit vel per ignorantiam, quod quantula sint impertiti mensura gratiæ ex vero non norunt, vel per vanæ gloriæ appetitum, non sustinentes fateri, quam in se experiuntur, operationem mali. Jam enim prædicant se perfectos. Oportet autem et fieri et dici ab homine quod justum est ; et gratiæ quam accipit, dona profiteri; et non dissimulare, quam sentit in sese peccati, operationem. Mentitur quippe talis purum aiens se habere cor; haud enim in hunc modum se res habent ; quasi ad primam statim advenientem gratiam purus omni ex parte homo redditur. Traditur quippe hostibus, et horum tentationibus exponitur ad exercitationem et disciplinam, quomodo Job tentatione probatus est. Cooperatur quippe et malum bono, intentione non bona. Christianum vero convenit quinque uncias peccati habentem, dicere humiliando se: Viginti uncias habeo, et plenus sum iniquitate : habentem autem, exempli causa, uncias viginti bonitatis, dicere :

[1] Gen. III, 5.

Digitized by Google

Vix boni semiunciam habeo. Si autem hoc dicere, ob vanæ gloriæ studium, erubescit; saltem quod justum est proferat, fateaturque tum quid in se operetur gratia, tum quid ex parte altera peccatum moliatur. Jam circa id quod dixi de anima, inesse illi profunditatem latebrosam, exemplis utemur membra ipsius describentes. Quemadmodum enim ut sol est, ita sunt ex ipso plures radii; ut arbor alta est, ita et ramos habet; ut civitas magna est et circum habet urbes multas: sic est intellectualis substantia, immortalis anima, pulchritudo pretiosa super omnes creaturas, imago et simulacrum Dei; in hanc veniens gratia duobus et radiis affulget, aut ex universa arbore, duos illuminat ramos, aut binas duntaxat ex universa provincia urbes ingreditur. Quod allegorice significat unam tantum et alteram animæ potentiam gratia contingi, adhuc vero plurimas ejus quasi membro peccato teneri. Utcumque autumet se totam ex toto transisse in partem meliorem, et in solidum a gratia possideri, et ejus radiis splendere; perperam subductis rationibus; ita ut cum vix quinque libras auri vere habeat, sibi tamen persuadeat non minus libris centum se possidere. An fœtus adhuc informis in utero, homo jam perfectus est? An qui unum in fundamentum lapidem jecit, jam perfecit ædificium? Utrum semen sulco ingestum, jam spica est? Num mercator, qui modo incipit negotiari, replevit jam apothecas? Non sane magis, qui primæ gratiæ particeps est factus, jam Christianus est. Atqui primi ipsi ac magni sic se ad perfectionem habent, ut minister ad imperatorem, ut rivulus ad Euphratem fluvium. Habens propositum in urbem eundi triginta dierum itinere dissitam; ne ubi biduum aut triduum viæ peregerit, jam se putet ingressum esse civitatem illam. Quoniam igitur adversaria potestas instigare, non autem afferre necessitatem potest; divina item gratia hortatur, propter sui potens ar-

Digitized by Google

bitrium et libertatem innatam naturæ; itaque si mala fecerit homo persuasus a Satana, non judicatur vice ipsius Satanas, sed ipse homo castigatur ac punitur, quod malitiæ obediens factus fuerit ex propria voluntate. Similiter si vergat homo ad bonum, et vincat gratia Dei; haud ascribat ipsi sibi bonum gratia; sed attribuit homini et glorificat ipsum; quoniam sibi homo causa boni factus est; talis enim hic est naturæ; non autem ut veniens ad ipsum gratia liget ejus voluntatem, inducente necessitatem potentia; ac de cætero volentem nolentem ipsum immobiliter affligat bono; sed dat locum libero arbitrio, etiam cum illi præsens adest divina vis : ut demonstretur, utrum hominis voluntas animam in pretio habeat, an non habeat; consentiat, an non consentiat? Multi enim in pretio habuerunt, et consenserunt; alii aversi abierunt; dicit enim Apostolus : « Cum spiritu cœperitis, carne consum-» mamini[1]. » Naturæ quippe lex non est posita, sed sui compoti arbitrio et electioni, quæ verti ad bonum et malum potest. Propterea dicit Dominus : « Ignem veni mit-» tere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur[2]? » Vult Dominus accendi cœlestem ignem in cordibus hominum; horum vero quidam volunt, quidam nolunt. Similiter rursus dicit : « Quoties volui congregare vos ut gallina » congregat pullos suos, et noluistis[3]. » Vides Dominum velle, rursus autem homines nolle accedere ad Dominum et misericordiam nancisci.

XIII. Qui vult accedere ad Dominum et vita æterna dignus haberi, et habitaculum Dei fieri, et Spiritu sancto dignus haberi, ut fructus ejus juxta mandata Domini queat irreprehensibiliter et pure facere, sic debet incipere. Primum credere Domino firmiter, et dare ex toto se ipsum verbis mandatorum ejus, et renuntiare mundo per omnia,

[1] Galat. III, 3. — [2] Luc. XII, 49. — [3] Matth. XXIII, 37.

Digitized by Google

ita ut in nullo prorsus apparentium mens occupetur; et obfirmare semper se omni conatu ad perseverantiam in oratione; et non desperare, expectans cum fiducia Domini inspectionem et auxilium ubique, scopum suæ mentis in eo habens defixum semper. Deinde urgere se cum conatu et contentione indesinenter ad omne bonum, et in executionem omnium Dei mandatorum, quantumvis invito corde propter inhærens peccatum; puta per vim adigendo se ipsum ad humiliter sentiendum coram omnibus hominibus, et se ipsum cunctis minorem et pejorem existimandum, non quærendo honorem, aut laudem, aut gloriam ab ullo, sicut in Evangelio scriptum est[1], sed solum Dominum præ oculis habendo semper ipsiusque mandata, eique soli studendo placere. In mansuetudinem quoque se per vim inclinet, reluctante etiam corde, sicut ait Dominus: « Discite a me, quia mitis sum et humilis » corde, et invenietis requiem animabus vestris[2]. » Similiter esse misericordem, benignum, compatientem, bonum, quantum potest, se vi assuefaciat, juxta id quod dicit Dominus: « Estote boni et benigni, sicut Pater cœlestis » misericors est[3]. » Et rursus: « Si diligitis me, mandata » mea servate[4]. » Et iterum: « Vim vobis facite, violenti » enim rapiunt regnum cœlorum[5]. » Et illud: « Conten- » dite intrare per angustam portam[6]. » Semper autem Domini humilitatem, rationem vivendi, et conversationem habeat præ oculis, uti exemplar in memoria omni sine oblivione. Contendat etiam quantum habet virium in assidue orando, nusquam non petens et credens, ut veniat Dominus et inhabitet in ipso, instruatque ac corroboret, ipsum in cunctis ejus mandatis; et ut ejus anima sit habitaculum Jesu Chisti. Et sic quæ nunc per vim et corde in-

[1] Joan. v, 44. — [2] Matth. xi, 29. — [3] Luc. vi, 36. — [4] Joan. xiv, 25. — [5] Matth. xi, 12. — [6] Luc. xiii, 24.

Digitized by Google

vito facit, assuefacient ipsum in omne tempus ad bonum, et ad semper vivam Dei memoriam habendam, et expectandum eum semper in multa bonitate et charitate. Tunc considerans Dominus tale ipsius propositum, et bonum studium, quo vim infert sibi jugiter ad ejus recordandum, et ad prosequendum semper bonum; itemque ad humilitatem, mansuetudinem, charitatem; et quamlibet reluctans cor subigit in hæc, promovetque quantum potest summa vi se ipsum; facit cum ipso misericordiam suam, et liberat ipsum ab inimicis suis, et ab inhabitante in ipso peccato, replens illum Spiritu sancto, cujus ope de cætero citra vim et laborem cuncta in veritate mandata Domini exequitur; aut potius Dominus in illo cuncta implet propria mandata et fructus Spiritus, quando fructificat pure. Oportet autem prius accedentem quemvis ad Dominum, sic vim inferre sibi urgendo se ad bonum, in eoque frangendo resistentiam cordis, expectantem ubique ac semper, fide omne dubium pellente, misericordiam ejus: cogere quoque se ipsum ad miserandos alios, corque in omnes egentes beneficum habendum; item ad longanimiter tolerandum quidvis durum, et ad non indignandum, nec ægre ferendum, quando vilipenditur et contemnitur; juxta dictum illud: « Non vosmetipsos defendentes, charissimi [1]. » Vim etiam sibi facere ad orandum, quando nondum accepit donum orandi per Spiritum. Videns enim Deus sic contendentem seseque compellentem ad bonum, invito etiam corde, dat illi orationem Christi veram, dat viscera misericordiæ, benignitatem veram: uno verbo, seponit et confert illi totum fructum Spiritus. Quod si quis desiderans, quo caret, orationis donum, ut illud impetret, solum sibi ad orandum vim facit; non item ad humiliter sentiendum de se, non ad exercendam

[1] Rom. XII, 19.

Digitized by Google

charitatem, aut ad mandata Domini cætera implenda sibi vim facit, continget interdum dari huic orationis donum, etiam cum quiete et lætitia ex parte, prout postulavit; moribus autem similis est ei, cui prius erat similis; non enim habet mansuetudinem, pro qua adipiscenda non laboravit; et ad quam sese non disposuit. Non habet humilitatem, quoniam eam nec petiit, nec sibi ad eam exercendam vim adhibuit. Non habet charitatem ad omnes, quando de hac esse sollicitus, pro eaque contendere, flagitans in oratione sibi concedi, tanti non duxit. Oportet enim unumquemque, sicut ad orationem se compellit, et per vim urget, frustra reluctante corde, ita se pariter in charitatem, in mansuetudinem, in omnem patientiam et longanimitatem, cum gaudio, secundum quod scriptum est, urgeat se ipsum; itemque ad ferenda libenter opprobria, et pejorem se cunctis, infimumque omnium reputandum: ad non proferendum in conversatione, quod utile non est, sed ad meditanda corde semper, et ore enuntianda eloquia Domini. Similiter ad non irascendum, juxta quod dictum est: « Omnis amaritudo, et ira, et » clamor, tollatur a vobis, cum omni malitia[1]. » Ut sic Dominus, viso ejus studio, det ipsi hæc cuncta facilia citra laborem et vim, quæ antea laborioso conatu tenere vix poterat, propter inhabitans in eo peccatum: ita ut ipsi jam fiant illæ omnes virtutis exercitationes quasi natura. De cætero enim Dominus in eum adveniens, et in ipso permanens, uti et ipse in eo, exequitur in ipso sua ipsius mandata, sine molestia ejus illa; replens ipsum fructibus Spiritus.

XIV. Si vero quispiam ad orationem fundendam sibi vim infert, donec aliquam gratiam a Deo impetret, in hæc autem, scilicet humilitatem, charitatem, mansuetudinem;

[1] Ephes. IV, 33.

et reliquas virtutes pari conatu non incumbit, sibi ad eas vim inferens, nonnunquam ipsi se indulget divina gratia petenti et oranti; bonus quippe et clemens Deus est, pronusque ad concedendum flagitantibus quæ volunt; quia tamen talis non præparavit se ipsum, neque assuefecit ad prius memoratas virtutes, aut perdit gratiam, aut accipit et cadit, aut non proficit, in superbiam elatus; quoniam mandatis Domini se ipsum ex proposito non tradit totum. Nam domicilium et requies Spiritus humilitas est, charitas est, mansuetudo est, et cæteræ præscriptæ a Domino virtutes. Debent igitur qui volunt in veritate placere Deo et accipere ab ipso cœlestem gratiam, crescereque ac se perficere in sancto Spiritu, primum cogere se ipsos ad exercenda officia omnium virtutum, quantumvis reluctante animo, sicut dictum est : « Propterea ad » omnia mandata tua dirigebar[1]. » Uti enim aliquis ad perseverandum in oratione sibi vim infert seseque cogit, usque dum recte hoc munere fungatur; ita debet se pariter ad cuncta virtutis officia compellere, urgendo et cogendo, quoad ex consuetudine bonum habitum paret : sic enim quod perseveranter petierit a Domino consecutus, plena jam et secura optati possessione gaudebit : crescente utique ac florente in ipso permanenter, quam anxie postulavit, gratia Spiritus; gratia quæ donatur ipsi, quæque requiescit in humilitate ipsius, et in reliquis virtutibus, et docet ipsum veram humilitatem, veram charitatem, veram mansuetudinem, ad quam possidendam sese compulit, quamque anxie quæsivit. Et sic auctus in profectum, et ad ipsum perfectionis in Deo ereçtus culmen, hæreditate cœlorum regni dignus censetur. Humilis enim nunquam cadit; quo enim caderet qui infra omnia est? Magna exaltatio humilitas est; summus honoris apex, excelsa

[1] Psal. CXVIII, 116.

Digitized by Google

dignitas, sui demissio. Assuefaciamus ergo nos; et, vi etiam adhibita, cogamus ad submisse, nolente etiam corde nostro, de nobis sentiendum; Deumque cum fide, spe ac charitate indesinenter obsecrantes, in longanima expectatione, ut mittat Spiritum suum in corda nostra, ut oremus et adoremus in Spiritu Patrem; et ipse Spiritus oret in nobis; ut idem ipse Spiritus doceat nos orationem veram, humilitatem, mansuetudinem, charitatem: quas nunc, vi etiam adhibita, vix valemus exercere, viscera misericordiæ, benignitatem, et omnes mandatis præscriptas Domini bonas operationes, citra laborem ac vim exercere; quo modo divinus ille Spiritus novit implere nos donis suis. Unde fiet, ut adimpletis a nobis mandatis Dei per Spiritum ipsius, cui optime uni perspecta est voluntas Christi, quippe nos purgat a sorde peccati; idem nos velut sponsas pulchras, puras, et irreprehensibiles exhibeat Christo; acquiescentibus nobis in Deo, et Christo acquiescente in nobis, usque in sæcula interminata. Gloria miserationibus ejus, et benignitati ac charitati ipsius, quod in tantum honorem vocare dignatus est genus humanum, proprios fratres et filios Patris cœlestis nos et esse dignatus et appellitans. Gloria, inquam, Patri et Filio, et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

OPUSCULUM II.

De perfectione in Spiritu.

1. Gratia quidem et largitione Spiritus divina unusquisque nostrum salutem assequitur: fide vero et charitate ac contentione libera sui potentis arbitrii ad perfectæ

Digitized by Google

virtutis mensuram pertingere potest : ut sicut gratia, ita et justitia, æternæ hæreditatem capiat vitæ : neque per solam divinam virtutem et gratiam, absque eo quod proprios et ipse conferat sudores, perfecto profectu dignus habitus : neque rursus solo proprio studio, absque superne cooperante divina manu, perfectæ libertatis apicem et puritatis attingens. « Nisi enim Dominus ædificaverit domum » et custodierit civitatem, in vanum vigilavit custodiens [1], » frustra pariter fabri architectique laborarunt.

INTERROGATIO.

II. Quæ sit voluntas Dei, ad quam scilicet hortatur et provocat Apostolus unumquemque contendere ?

RESPONSIO.

Perfecta peccati purgatio, et a passionibus ignominiæ libertas, et summi virtutis apicis comprehensio. Quod est purgatio et sanctificatio cordis, quæ per interventum perfecti et divini Spiritus in fiducia certissima fit. « Beati » enim, ait, mundi corde; quoniam ipsi Deum videbunt [2]. » Et, « Estote, et nos et vos, perfecti, sicut Pater noster » cœlestis perfectus est [3]. » Et, « Fiat, inquit, cor meum » immaculatum in justificationibus tuis, ut non confun- » dar [4]. » Et rursus, « Tunc non confundar, cum per- » spexero in omnibus mandatis tuis [5]. » Iterum quoque ad interrogantem : « Quis ascendet ad montem Domini [6] ? » respondet : « Innocens manibus et mundo corde [7] : » peccati quod vel operatione, vel interno voluntatis assensu consciscitur, perfectam per hoc significans abolitionem.

[1] Psal. cxxvi, 1. — [2] Matth. v, 8. — [3] Id. v, 48. — [4] Psal. cxviii, 80. — [5] Ibid. 6. — [6] Id. xiv, 1. — [7] Id. xxiii, 3, 4.

Digitized by Google

III. Sub aspectum non cadentes affectus et occulta animæ sciens Spiritus sanctus curatu esse difficilia, quippe quæ ipsi veluti penitus inhæreant; per Davidem ostendit, quomodo earum administranda purgatio sit, dicentem: « Ah occultis meis munda me, Domine [1]: » per quæ verba innuit unam earum sanandarum efficacem esse rationem, perfectam cum multa prece ac fide conversionem ad Deum; cooperatione Spiritus; sed tamen et nobis in idem toto conatu annitentibus, et omni custodia servantibus cor nostrum.

IV. Etiam beatus docet Moyses, per symbola subindicans, haud indulgendum duabus propensionibus, altera in malum, altera ad bonum trahente; sed in unam prosecutionem boni incumbendum. Neque oportere duos simul fructus serere, utilem et noxium; sed utilem ac bonum solum. Ut hoc exprimat, sic scribit: « Non junges eodem » jugo in area tua diversi generis animalia, puta bovem et » asinum; sed iis quæ sint ejusdem speciei invicem junctis, » triturabis messem tuam [2]. » Hoc est, ne in area cordis nostri virtus et malitia simul operentur, sed virtus sola. Iterum præcepit: « Non intexes laneo panno linum: neque » rursus in veste qua utaris linea lanam [3]: non seres in » agro tuo duas fruges simul. Jumentum tuum non facies » coïre cum alterius generis animantibus; sed homogenea » homogeneis conjunges [4]. » Per quæ omnia mystice innuit non oportere vitium et virtutem, ut dictum est, in nobis seri; sed unius virtutis fruges seri excolique, ut germinent in nobis. Neque duobus spiritibus, spiritui Dei et spiritui mundi, animam quamlibet communicare. « Propterea, » enim dicit, ad omnia mandata tua dirigebar; omnem » viam iniquitatis odio habui [5]. »

[1] Psal. XVIII, 13. — [2] Deut. XXII, 10. — [3] Ibid. 11. — [4] Levit. XIX, 19. — [5] Psal. CXVIII, 128.

Digitized by Google

V. Non ab exterius apparentibus peccatis solum, puta fornicatione, homicidio, furto, crapula, calumniæ studio, mendacio, cupiditate pecuniæ, avaritia et talibus, præstare se puram oportet virginem animam, et quæ Deo se conjungere decreverit; sed et multo magis ab occultis, uti diximus, hoc est, a cupiditate, a vanæ gloriæ ambitu, a nimio desiderio hominibus placendi, a simulatione, ab affectatione dominationis, a dolo, a malignitate, ab odio, ab infidelitate, ab invidia, a sui amore immoderato, ab arrogantia, similibusque id genus. Novit enim, ait Scriptura, occulta hæc animæ peccata pari loco cum externis Dominus censere, dicit quippe: « Dissipavit ossa eorum, qui » hominibus placent [1]. » Et, « Virum sanguinum et dolo» sum abominabitur Dominus [2]. » Dolum æque ac homicidium ostendens abominationi Deo esse. « Et qui loquuntur » pacem cum proximo [3], » et quæ sequuntur. Et rursus: « Etenim in corde iniquitates operamini, in terra, etc. » Et, « Væ vobis cum benedixerint vobis homines [4], » Hoc est, cum studueritis ab hominibus bene audire, et in gloriam laudesque ipsorum ferimini. Etenim qui potest fieri, ut bene operantes omnino lateant? præsertim cum ipse Dominus dicat: « Luceat lux vestra coram homini» bus [5]. » At de cætero studete, ait, ad Dei gloriam quod bonum est agere, non autem ad captandam vobis laudem propriam; nec ut videamini humanarum laudum encomia impudenter amare. Nam et infideles esse tales ostendit dicens: « Quomodo potestis fidem habere, gloriam ab in» vicem accipientes, et gloriam, quæ a solo Deo est, non » quærentes [6]. » Vide et Apostolum, quomodo omnia usque ad ipsum manducare et bibere, in gloriam Dei præcipit agere; ait enim: « Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud

[1] Psal. LII, 6. — [2] Id. V, 7. — [3] Id. XXVII, 3. — [4] Luc. VI, 26. — [5] Matth. VI, 16. — [6] Joan. V, 44.

Digitized by Google

» quid agitis, omnia in gloriam Dei facite [4]. » At divinus » Joannes homicidio adæquans odium, « Qui odit, inquit, » fratrem suum homicida est [2]. »

VI. « Charitas omnia suffert, omnia sustinet. Charitas » nunquam excidit [3]. » Hæc verba, « Nunquam excidit, » sunt ejus, qui significare velit eos, qui supra memorata charismata Spiritus assecuti sunt, nondum autem per plenissimam et efficacem charitatem Spiritus summa a passionibus libertate sunt dignati, nondum securitatem attigisse : sed in periculo adhuc et timore res ipsorum stare, propter spiritualia nequitiæ. Istam enim mensuram haud adhuc infra discrimen lapsus ex perturbatione vehementi, constituam esse ostendit : nec talem esse, cui linguæ Angelorum, prophetia, omnis scientia, et curationum charisma comparata, nihil sint.

VII. Per hoc perfectionis declaravit scopum, ut unusquisque egenum se tantarum divitiarum recognoscens ferventi et perseveranter contendente Spiritu usque ad ultimum festinet, et spirituale sic percurrat stadium, donec comprehendat, sicut dictum est : « Sic currite, ut » comprehendatis [4]. »

VIII. Abnegare se ipsum hoc puta esse : promptum se ad omnia fraternitati præbere, et in nullo prorsus voluntati proprie obsequi ; nec ullius se, præter solam vestem, dominum putare, ut undique expeditus in procinctu stet ad quidvis imperatum cum gaudio exequendum, ut mancipium se habet adversus omnes ; maxime autem præpositis obsequatur, Christo obtemperans dicenti : « Qui vult » inter vos primus esse et magnus, sit omnium minister, » et ultimus, et servus [5] ; » non gloriam, honorem aut laudem venans ; non ad oculum serviens, aut placere homi-

[1] 1 Cor. v, 31. — [2] 1 Joan. iii, 15. — [3] 1 Cor. xiii, 7. — [4] Id. ix, 4. — [5] Matth. xx, 27.

Digitized by Google

nibus studens; sed debitorem se per omnia reputans ministerii in charitate et simplicitate fratribus exhibendi.

IX. Præpositos fraternitatis, operi magno admotos, adversus contra molientis malitiæ artificia decertare per humilitatem oportet, ne vitio superbiæ, ut in fratres ipsis subditos dominantes, vice lucri maximi, damnum nobis ipsis procuremus. Sed ut misericordes patres, quique potius propter Deum se fraternitati ad serviendum, corporaliter et spiritualiter dediderint, eorum ut Dei filiorum diligentem in omnibus curam gerant; arguendo ubi convenit, ubi oportet consolando; ne obtentu humilitatis et mansuetudinis in confusione monasteria sint; congruum ordinem præsidentium et subjectorum non servantia; in secreto autem mentis servos indignos omnium fratrum se ipsos reputantes; atque ut boni pædagogi, quibus spirituales filii concrediti sunt, cum omni benevolentia et Dei timore unumquemque fratrum promovere ad omne bonum studentes; non ignari, magnam ipsis et inamissibilem, laborisque quantivis excedentem meritum, repositam esse mercedem.

X. Ut qui curam suscipiunt regendorum et instituendorum adolescentum, quos contingit aliquando et proprios ipsorum esse dominos; tamen ut disciplina eos salubri imbuant, et mores ipsorum honestos forment, non cunctantur eos interdum plagis etiam magna libertate impositis castigare; sic oportet et præpositos, non iræ perturbatione, aut fastu superbiæ, neque ut se ipsos ulciscentes, afflicere pœna merita eos ex fratribus, qui correctione indigent aliqua; verum id faciant benignis visceribus et scopum intuentes unum spiritualis ipsorum utilitatis, ut operentur ipsorum conversionem.

XI. Multo studio, contentione, cura, et certamine possumus charitatem in Deum acquirere, gratia et dono

Digitized by Google

Christi, qui formatur in nobis. Ex hoc quoque primo sic expleto mandato, ad secundum facilis eadem ope nobis continget transitus, ad dilectionem, inquam, proximi. Nam prima præponantur aliis, et plus in iis studii ponatur, ac tum demum ordine convenienti secunda primis consequenter adjungentur. Si quis autem magno illo et primo mandato, dilectionis inquam Dei, neglecto (quæ dilectio ex interiori nostra dispositione, conscientiaque bona, et sanis de Deo cogitationibus, concurrente simul auxilio gratiæ cooperatricis elicitur) secundo mandato dilectionis proximi, exteriori tantum tenus ministerii accuratione defungi voluerit; nequaquam illud poterit sane ac pure exequi. Nam ratio impugnantis nos malitiæ, memoriæ, amoris, et Dei inquisitionis vacuam mentem reperiens, aut efficit, ut molesta et laboriosa nimis ipsi Dei præcepta videantur; unde in murmurationes, dolores, et querelas contra ministerium erga fratres animam incitat; aut opinione justitiæ deceptum sic ministrantem instat; et ei persuadet, ut se existimet pretiosum quemdam ac magnum, et summa perfectione cuncta Dei efficientem mandata.

XII. Cum homo se ipsum existimat accurate mandata exequi, hoc ipso manifesto prodit indicio errare se, ac a præcepti observatione deviasse. Utpote qui præoccupet judicium de se ipso ferre; non expectans vere judicantem. Quando enim « Testimonium reddit spiritui nostro Dei » Spiritus[1], » secundum oraculum Pauli, tunc solum Christo digni, et filii Dei vere sumus; non autem quando propriæ opinionis arrogantia justos nos ipsi declaraverimus. « Non » enim qui se ipsum commendat, ait, ille probatus est, » sed quem Deus commendat[2]. » Quandoquidem cum memoriæ et timoris Dei expers reperitur homo, fieri non potest, quin et gloriam amet, et venetur laudem ab iis, quos

[1] Rom. VIII, 16. — [2] 2 Cor. X, 18.

Digitized by Google

ministerio suo juvat. Talis porro fide carere a Domino convictus est, uti supra jam significatum est : « Quomodo » potestis credere, vos, qui gloriam ab invicem accipitis, » et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis ? »

XIII. Certamine multo et labore mentis, per sanctas cogitationes et continuam pro omnibus bonis rebus sollicitudinem charitas in Deum, sicut dictum est, ab homine, prout fas est, potest exerceri : quod adversarius impediat mentem nostram, nec eidem permittat, ut per memoriam bonarum rerum amori divino vacet; sed terrenis desideriis sensui abblanditur. Nam mors, et, ut sic dicam, suspendium diaboli est, quando in Dei charitate et memoria indivulse commorans mens humana reperitur. Hinc jam prono quasi flexu illimis in fratrem facile redundat charitas, et vera simplicitas, et mansuetudo, et humilitas, et sinceritas, et bonitas, et ipsa oratio, cunctarumque formose resplendens corona virtutum, per illud unum et solum et primum dilectionis Dei mandatum perfectionem accipit. Certamine igitur multo et conatu occulto, nec foris observabili contentionis labore opus est, in perscrutatione cogitationum, in exercitatione infirmorum animæ sensuum ad discretionem boni et mali, in corroborandis et excitandis per studiosam versus Deum inclinationem debilitatis animæ membris. Ita mens nostra continue Deo affixa, coalescet in unum cum Domino spiritum, juxta oraculum Pauli.

XIV. Hanc autem interiorem contentionem, laborem, et meditationem, incessanter conferre oportet virtutis amatores ad omnem observationem mandati sive orantes, sive ministrantes, comedentes quinetiam aut bibentes : ut quodcumque demum bonum ab ipsis fiet, in gloriam Dei, et non in nostram fiat gloriam; prona autem et facilia

[1] Joan. v, 44.

Digitized by Google

nobis cuncta, quæ ad quorumvis Dei mandatorum plenam executionem attinent, amore Dei, ista alleviante, et quod laboriosum est in ipsis, dissolvente.

XV. Omnis contentio et studium adversarii, in hoc, ut dictum est, vigilat, ut annitatur mentem nostram a Dei memoria, timore, amoreque avellere; terrenis ipsam avocationibus et delinimentis, a vero bono ad apparentia divertendo.

XVI. Invicem virtutes connectuntur et mutuo inhærent, ut in catena commissi annuli uno ex alio pendente. In hunc enim modum oratio ex charitate; charitas e gaudio; gaudium e mansuetudine; mansuetudo ex humilitate; humilitas e ministerio; ministerium e spe; spes ex fide; fides ex obedientia; obedientia e simplicitate; sicuti e contrario vitiorum quoque unum ex altero dependet. Ex ira quippe pendet odium; ex hoc superbia; ex hac vanæ gloriæ affectatio; hæc infidelitatem trahit, quæ duritiei cordis mater est, proles autem incuriæ, quam gignit languor spiritus, ex supino neglectu ducens originem; hunc producit acedia; filia hæc impatientiæ, cujus amor voluptatis est pater. Ita cætera quoque membra malitiæ invicem apta nexaque sunt.

XVII. Omne bonum, quod homo facit, inquinare ac contaminare nititur diabolus immixtione suorum seminum, vanæ nimirum gloriæ, præsidentiæ, uti et murmurationis, aut cujuspiam alterius talium, ut non propter Deum solum, neque tantum ex sincero mentis proposito bonum opus fiat. Scriptum est enim «Abelem obtulisse sacrificium Deo » de adipibus et de primogenitis ovium[1] : » Caïnum quoque similiter dona obtulisse de fructibus quidem terræ, sed non e primis aut optimis. Et propterea Deum respexisse ad sacrificia Abelis; ad Caïni autem munera non atten-

[1] Gen. IV, 4.

Digitized by Google

disse[1]. Inde discere debemus contingere posse, ut aliquod bonum non bene fiat : verbi gratia, si fiat negligenter aut contemptim, aliove vitio submixto, et non mere propter Deum : ex quo evenit, ut gratum id et acceptum Deo non sit.

OPUSCULUM III.

De oratione.

I. Caput omnis boni studii et vertex operum bonorum assiduitas orationis est, per quam in aliorum possessionem bonorum inducimur, eo qui nos ad ea vocat, manum cooperatricem porrigente. Etenim communicatio arcanæ efficaciæ et connexio intentionis in sanctitate adversus Deum, ipsiusque mentis per ineffabilem, quo fertur erga Dominum, amorem, in oratione iis, qui digni judicantur, obveniunt. « Dedisti, enim ait, lætitiam in corde meo[2], » et ipse dicit Dominus: « Regnum cœlorum intra vos est[3]. » Nam intra nos esse regnum, quid aliud putemus *significare*, quam cœlestem lætitiam Spiritus sancti animabus dignis sensibiliter immissam esse? Fruitionis siquidem et gaudii lætitiæque illius spiritualis, quam in luce æterna sancti in Christi regno participant, arrham velut quamdam et prælibationem jam hinc dignæ ad hoc effectæ per gratiose communicatam ipsis operationem Spiritus animæ accipiunt. « Cor enim, inquit, meum et caro mea exultaverunt in » Deum vivum[4]. » Et illud : « Sicut adipe et pinguedine re» pleatur anima mea[5]. » Et iis consona, in idem tendunt,

[1] Gen. IV, 5. — [2] Psal. IV, 7. — [3] Luc. XVII, 21. — [4] Psal. LXXXIII, 3. — [5] Id. LXII, 6.

et efficacem Spiritus animæ lætitiam et consolationem indicant.

II. Ut præstantius cæteris est opus orationis; ita majori opus habet sollicitudine, qui in id incumbit: ne qua illi subrepat a malitia deceptio. Nam quo quisque majoris adipiscendi boni curam concipit, eo majori diabolus conatu ei obstare contendit. Quare multam eum adhibere necesse erit vigilantiam, ut fructus charitatis, humilitatis, simplicitatis, bonitatis, discretionis e patienti orationis cultura ipsi pleni uberesque progerminent: ipsiusque perspicuum in divina progressum profectumque demonstrent; sicque alios ad paris æmulationem studii provocent.

III. Sine intermissione orandum et perseveranter insistendum orationi esse[1], et divinus Apostolus, et ipsius Domini oraculum præcipit, dicentis: « Quanto magis Deus » faciet vindictam clamantium ad se die ac nocte[2]? » Et illud: « Vigilate et orate[3]. » Oportet igitur ubique orare; nec unquam conatum remittere. Quanto autem capitalius, qui perseverare in oratione decrevit, opus aggressus est, tanto ipsum plus certaminis suscipere, tantoque magis id eum ad extremum perducere oportet, eo quod perseverantiæ orationis multa objicit impedimenta pravitas; somnum, acediam, pondus corporis, cogitationum aversionem, mentis instabilitatem, languorem et reliqua malitiæ studia. Præterea afflictiones et ipsorum malorum dæmonum insultus vehementer impugnantium nos, et omni vi obstantium, ne appropinquare Christo valeat Deum post veritatem incessanter quærens anima.

IV. Omni studio, atque vigilantia, longanimi patientia, certamineque animæ ac labore corporis oportet eum, qui orationi diligenter vacare contendit, viriliter agere, nihil unquam remittentem de ardore, nec cedentem dis-

[1] 1 Thess. v, 17. — [2] Luc. xviii, 1. — [3] Matth. xxvi, 41.

Digitized by Google

tractionibus cogitationum, aut sumno multo, aut desidi torpori, aut inordinatæ confusioni actionum temere permixtarum; non utentem turbulentis et indecentibus clamoribus; aut effluere animum sinentem in quidvis ejusmodi; sed certo et immutabili proposito mentis; defigendo se soli patienti stationi, et flexioni genuum; et cohibitis evagationibus longe aberrantis interim mentis. Nihil enim sane prohibet, quin, nisi diligenter et attente ad orandum paratus quis accedat, nisi turbæ vanarum cogitationum fortiter obsistat, excutiens singulas et dijudicans, flagranti semper desiderio se intime ad Deum admovendi, nihil, inquam, obstat, si hæc negliget, quin versutis inhabitantis in ipso malitiæ clam illiciatur artibus: aut efferri se sinendo in contemptum aliorum, comparatione sui cum iis qui perseverare diu in oratione nequeunt; aut alio quopiam errore in quem suis eum astuta malitia machinationibus induxerit, corrumpendo præclaram operationem, eamque sic irridendam propinando malo dæmoni.

V. Nisi humilitas, charitas, simplicitas et bonitas arcte conglutinent nobis orationem ipsa, oratio, aut potius inane simulacrum orationis, minime sane juvare nos poterit. Neque id de oratione sola dicimus, sed de omni genere arduorum quantumvis et laboriosorum operum, puta do virginitate, jejunio, vigiliis, psalmodia, ministerio, similibusque officiis speciosarum plausibiliumque virtutum. In quarum exercitio nisi fructus charitatis, pacis, gaudii, mansuetudinis, humilitatis, quinetiam et simplicitatis, sinceritatisque; ac fidei ut oportet, longanimitatis quoque ac benevolentiæ in nobismetipsis experiendo videamus, inutiliter laboraverimus. Labores siquidem istos spe assequendæ fructuum utilitatis suscipimus. Si ergo post eos in nobis non reperiantur fructus charitatis, supervacanea pro-

Digitized by Google

fecto illa omnis opera fuerit. Ac mihi videntur homines ejusmodi a quinque fatuis in nullo differre virginibus, quæ idcirco, quod domo allatum in suis cordibus non habue runt spirituale oleum, quod est modo memoratarum, quæ per spiritum exercetur, operatio virtutum, et fatuarum nomenclatione traductæ sunt, et regio thalamo miserabiliter exclusæ, nullum nactæ operæ pretium custoditæ laboriose virginitatis. Sicut enim in vineæ cultura omnis diligentia et labor, fructuum unice speratorum causa impenditur; unde iis non provenientibus, frustranea tota ista fuisse contentio monstratur; ita nisi per operantem in nobis spiritum fructus charitatis, pacis, gaudii, et illos reliquos enumeratos ab Apostolo in nobis ipsis videamus[1]; et hoc omni experimentali evidentia, sensusque convictione spiritualis plane persuasum fateri ac profiteri valeamus, irritus et utilitate cassus omnis virginitatis, orationis et psalmodiæ, jejunii et vigiliarum deprehenditur labor. Illi enim animæ et corporis labores spe spiritualium fructuum perfici debent, uti diximus. In virtutibus autem quæ dicitur fructificatio, fruitio et spiritualis cum voluptate incorruptibili in cordibus fide ac humilitate præditis a Spiritu clam ineffabiliter effecta. Seorsim itaque reputentur et labores et fructus, prout in se divisim sunt. Si quis vero per cognitionis defectum, propriam operationem et laborem, fructus Spiritus esse crediderit, is per ignorantiam videtur se ipsum lactare et decipere, ac, dum ita se adulatione noxia habet, vere magnis semetipsum Spiritus fructibus privare.

VI. Ut qui peccato totum se ipsum deditum exhibet, naturam inhonorantes ignominiæ passiones, hoc est, impudicitiam, fornicationem, avaritiam, odium, dolum, et reliqua malitiæ studia cum fruitione ac voluptate tanquam

[1] Galat. v, 22.

Digitized by Google

naturalia exercet; sic qui vere ac perfecte Christianus est, virtutes omnes et fructus Spiritus, qui supra naturam sunt, videlicet charitatem, pacem, patientiam, fidem, humilitatem, et omne genus vere aureum virtutis, jucunditate multa et voluptate spirituali, de cætero sine labore ac facile, ut naturalia exequitur; non jam contra passiones nequitiæ depugnans; utpote qui perfecte a Domino liberatus, et a bono Spiritu plenam absolutamque Christi pacem et exultationem in corde adeptus sit. Talis est intime atque individue Domino adhærens, et in unum cum eo coalitus spiritum.

VII. Illis, qui nondum valent ob ruditatem velut quamdam infantiæ, se totos addicere amori summo animæ nisu exercendo, convenit se ipsos impendere ministerio fratrum, sedulo illud ac cum fide timoreque divino amplectendo, tanquam Dei mandato in negotio spirituali obsequentes; non autem ab hominibus mercedem, aut honorem, aut gratiarum actionem expectantes; nec dantes locum omnino ullum murmurationi superbiæ, negligentiæ et torpori; ne bonum istud opus maculari aut corrumpi contingat; sed per pietatem potius impigram cum Dei timore et alacri lætitia conjunctam, gratum idem acceptumque Deo fiat.

VIII. Tanta humanitate et bonitate (o divinæ in nos misericordiæ viscera!) demisit se ad consulendum hominibus Dominus, ut sedulo hoc agat, ne quisquam boni operis mercede per suam incuriam fraudetur; sed a parvis ad majores virtutes cunctos quasi quibusdam gradibus provehat, ita ut ne porrectio quidem calicis aquæ frigidæ mercede caritura sit. Dixit enim: « Qui dederit calicem » aquæ frigidæ tantum in nomine Discipuli, amen dico vobis, » non perdet mercedem suam[1]. » Et rursus: « In quantum

[1] Matth. x, 42.

Digitized by Google

» uni hoc fecistis, mihi fecistis[1]. Dummodo secundum Deum fiat, quod fit; et non propter laudem humanam fiat, adjunxit enim : « Tantum in nomine Discipuli, » hoc est, ex reverentia et amore Christi. Nam iis, qui ostentationis gratia rem bonam exequuntur, reprehendens Dominus, et asseveratione certa sententiam confirmans, subjungit dicens : « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam[2]. »

IX. Simplicitas ante alia, et mutua charitas, et gaudium, et humilitas omnino tanquam fundamentum substernantur in fraternitate, ne super nos invicem elati, et unus de alio murmurantes, inutilem nobis laborem efficiamus. Ergo nec qui sine intermissione perdurat in orationibus, ideo se per arrogantiam extollat supra eum, qui hoc facere non potest; neque qui ministerio se addixit, de illo, qui orationi vacat, murmuret. Etenim si ejusmodi simpliciter ac bona dispositione animi erga se invicem affecti fuerint, quod abundat in perseveranter orantibus, redundabit in supplementum ejus, quod ministrantibus deest; vicissimque si quid lucrabuntur ministrantes, explebit in quo deficient attenti orationibus. Ex qua compensatione æqualitas magis videtur conservari posse, congrue ad illud : « Neque qui multum habuit, abundavit; neque qui parum, defectum sensit[3].

X. Tunc fit Dei voluntas « Sicut in cœlo et in terra[4] » quando, ut dictum est, nos nobis invicem non prætulerimus; quando non solum sine æmulatione; sed et cum mutua exhibitione simplicitatis et charitatis, alacritatisque lætæ connexi invicem fuerimus, unoquoque sui vicissim proximi profectum velut proprium, quemadmodum par est; similiterque alterius defectum, jacturam propriam reputante, cæterum in oratione piger; quique in ministe-

[1] Matth. xxv, 40. — [2] Id. vi, 5. — [3] Exod. xvi, 18. — [4] Matth. vi, 10.

Digitized by Google

rio fratrum aut opere alio, quod secundum Deum fit, languide et negligenter versatur, hic ab Apostolo piger diserte vocatus, ipso quoque pane indignus pronuntiatur. Dixit enim : « Qui non laborat, nec manducet[1] » Et alibi : « Pigros autem Deus odit, » et ; « Piger nec fidelis « esse potest. » Et Sapientia : « Multam malitiam docuit » otiositas[2]. » Convenit igitur unumquemque, qualecumque opus, quod Dei causa facit, fructuose agere : ac diligentiam cuilibet actioni bonæ impendere, ne tanquam infructuosus omnino repertus, omni prorsus participatione bonorum æternorum excludatur.

XI. Dicentibus fieri non posse, ut homo ad perfectionem pertingat, et ad plenam liberationem ab affectibus, itemque ad participationem et impletionem boni Spiritus, necesse est opponere testimonia divinarum Scripturarum, ostendereque et errore mentis laborare ipsos, et falso ac periculose loqui. Ait enim Dominus : « Estote et vos perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est[3]. » Plenam absolutamque puritatem per hæc indicans. Et : « Volo ut » ubi sum ego, et hi sint mecum, ut videant claritatem » meam[4]. Hæc affirmat is, qui alias dixerat : « Cœlum et » terrâ transibunt[5], etc. » Eodem spectat et illud Apostoli : « Ut exhibeamus hominem perfectum in Christo[6]. » Illud quoque : « Donec occurramus omnes in unitatem fidei, et » agnitionis Filii Dei, in virum perfectum in mensuram » ætatis plenitudinis Christi[7], idem suadet. Porro qui perfectionem præ oculis habent, illis duo quædam præstantissima evenire contingit. Summus ac irremissus contentionis ardor in ipsum apicem spe hujus mensuræ cursum in ascendendo persequendi ; et ut superbia ne capiantur ;

[1] 1 Thess. III, 10. — [2] Eccli. XXXIII, 29. — [3] Matth. V, 48. — [4] Joan. XVII, 24. — [5] Matth. XXIV, 35, et Luc. XXI, 33. — [6] Colos. I, 28. — [7] Ephes. IV, 13.

Digitized by Google

sed modice de se sentiant, et exiguos se existiment, quoniam perfectionem nondum consecuti sunt.

XII. Qui ea proferunt, tribus modis maximum animæ damnum important, primum quidem quod divinitus inspiratis negare videntur Scripturis fidem; deinde quod majorem et perfectum non præstituunt christianismo scopum, neque ad illum pervenire contendentes, laborem et studium, famem et sitim justitiæ habere possunt; sed externis et superficialibus habitibus et moribus, paucisque quibusdam tralatitiæ virtutis officiis abunde contenti, a spe beata et perfectionis, absolutæque pravorum omnis generis affectuum purgationis generis excidunt. Postremo, quod exhibitione paucarum vulgarium virtutum, ut diximus, inflantur in opinionem sui, quasi jam apicem teneant, in quem summum eniti vis humana queat; ideoque ulterius aspirare desinunt; nec solum humilem æstimationem sui, et paupertatem et contritionem cordis minime habere possunt: sed etiam justificantes se ipsos, ut qui jam comprehenderint, crescere quotidie promoverique in melius cessant.

XIII. Qui existimant impossibilem eam reformationem, quæ per habitantem in hominibus Spiritum fit, quæ nova est creatio puri cordis; eos Apostolus diserte pronuntiat similes illis, qui propter infidelitatem indigni judicati terra promissionis: « Et quorum propterea cadavera prostrata » sunt in deserto [1]. » Quæ enim illic promissionis terra sensu aperto dicitur, mystico sensu ab affectibus liberationem indicat; quam et idem Apostolus finem esse omnis mandati declaravit. Hæc enim vera demum est promissionis terra, in cujus significationem cuncta illa typice traduntur. Propter quod divinus Apostolus securitati prospiciens discipulorum, ne cui contingeret capi contumaci incredulitatis

[1] Hebr. III, 17.

supercilio : « Videte, inquit, fratres, ne forte sit in aliquo » vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo » vivo[1]. » Quod discedendi verbum non ad abnegationis, sed ad diffidentiæ promissionum significationem posuit : videlicet typica Judæorum ex allegoriis evolvens, et figuras cum veritate comparans subinfert dicens : « Quidam enim » audientes exacerbaverunt : sed non universi, qui pro- » fecti sunt ex Ægypto per Moysen. Quibus autem infen- » sus est quadraginta annis? nonne illis, qui peccaverunt, » quorum cadavera prostrata sunt in deserto? Quibus au- » tem juravit non introire in requiem ipsius, nisi incredu- » lis? Et videmus quia non potuerunt introire propter » incredulitatem[2]. Timeamus ergo ne forte relicta pollicita- » tione introeundi in requiem ipsius existimetur aliquis ex » vobis deesse. Etenim et nobis nuntiatum est quemad- » modum et illis; sed non profuit illis sermo auditus fidei » ex iis, quæ audierunt. Ingrediemur in requiem qui cre- » didimus[3]. » Et post pauca rursus infert : « Festinemus ergo » ingredi in illam requiem, ut ne in ipsum quis incidat incre- » dulitatis exemplum[4]. » Quæ autem alia est Christianorum requies, a perfecta perturbationum ad peccatum trahentium liberatione, atque a plenissima et efficaci boni Spiritus in puro corde habitatione? Propterea et inducens rursus eos ad fidem, ait : « Accedamus cum vero corde in pleni- » tudine fidei, aspersi corda a conscientia mala[5]. » Et ite- rum : « Quanto magis sanguis Christi emundabit conscien- » tiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo » vivo et vero[6]. » Convenit igitur annuntiatam per hæc verba immensam Dei erga homines benignitatem confiteri nos, ut servos fideles, et vera firmaque reputare quæ promissa sunt, ut quantumvis propter propositi pigritiam

[1] Hebr. III, 12. — [2] Ibid. 16-19. — [3] Id. IV, 1-5. — [4] Ibid. 11. — [5] Id. X, 22. — [6] Id. IX, 14.

Digitized by Google

et infirmitatem non prorsus nos semel in omne tempus Creatori præbuimus, neque ad magnas et perfectas virtutis aspiravimus mensuras; at aliquam saltem misericordiam ob rectitudinem irreflexam intentionis, et sanam fidem, consequi possimus.

XIV. Orationis et verbi opus ritc ac convenienter exercitum supra omnem virtutem et omne mandatum excellit. Hujus rei testis ipse est Dominus. Cum enim in Marthæ ac Mariæ divertisset domum, et Martha circa ministerium occupata [1], interim dum Maria ad pedes Domini sedens, ambrosia divinæ illius linguæ quasi suaviter epulans fruebatur, quereretur de sorore, quod ipsam non adjuvaret, ac propter id ad Christum accessisset, ille principale accessorio præferens : « Martha, inquit, sollicita es et turbaris » erga plurima : porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea [2]. » Hoc autem dixit, ut præfati sumus, non ut ministerii opus reprobaret; sed ut majus minori præponeret. Enimvero cui tandem videri possit male illum sensisse de ministerio, cujus utique auctorem et exemplar se ipsum exhibuit, pedes etiam Discipulorum lavans? Tantum profecto abfuit ut illud vetaret, ut Discipulis præceperit, idem similiter erga sese mutuo exercere. Quin et ipsos invenies Apostolos, quando primum circa mensarum ministerium laborabant, prælato huic potiori opere, orationis scilicet ac verbi; dixisse : « Non est æquum nos derelinquere verbum Dei » et ministrare mensis, » sed præmissa oratione, « Viros » plenos Spiritu sancto constituamus super hoc opus; nos » vero orationi et ministerio verbi instantes erimus [3]. » Vides, ut prima secundis prætulerint; utcumque non ignorarent, unius utraque bonæ radicis esse germina.

[1] Luc. x, 38. — [2] Ibid. 41, 42. — [3] Joan. xvii, 5.

OPUSCULUM IV.

De patientia et discretione.

I. Eos qui volunt obedire Dei verbo, et bonum fructum faciunt, hæc sequuntur signa: suspirium, planctus, mœstitia, quies, capitis motio, oratio, silentium, constantia in loco, dolorosus luctus, labor cordis pro pietate susceptus. Hæc vero opera: vigiliæ, jejunium, continentia, mansuetudo, longanimitas, oratio non intermissa, meditatio divinarum Scripturarum, fides, humilitas, charitas fraterna, subjectio, labor, asperorum perpessio, charitas, bonitas, honestas, et omne lumen, quod est Dominus. Eorum autem qui non faciunt fructum vitæ, signa hæc sunt; incuria, transgressio ultra terminos, effusio aspectus in omnes partes, negligentia, murmuratio, levis circumactio; opera vero: voracitas, ira, vehementia, obtrectatio, tumor, importuna loquacitas, incredulitas, instabilitas, oblivio, turbatio, lucri sordidi captatio, pecuniæ cupiditas, æmulatio, contentio, despicientia, nugacitas, intempestivus risus, pertinacia sensus proprii; et omnes tenebræ quæ sunt Satanas.

II. Per arcanæ, sed Deo dignæ, providentiæ consilium non statim in decretam ipsi gehennam impius mittitur; sed interim sinitur hic vivere, ut vexet, ac vexando probet homines; atque ita, utcumque non volens, efficiat, ut sancti crescant in justitia per patientiam; ac per hoc majoris ipsis gloriæ causa sit; sibique vicissim per suam voluntariam obstinationem in peccatis, et malitiosas machinationes in sanctos, tanto justius infligendam probet, quæ ipsi serva-

Digitized by Google

tur, pœnam. Nimirum, quod divinus ait Apostolus, « Ut » fiat supra modum peccans peccatum[1]. »

III. Cum decepisset Adamum inimicus, et sic eum dominio suo subjugasset, eripuit ei, quam prius habebat, potestatem; ita princeps hujus sæculi declaratus est. Princeps siquidem hujus sæculi, et dominus omnium visibilium homo ab initio fuerat a Deo constitutus. Non enim ipsi prævalere ignis poterat, non eum aqua demergere, non illi fera nocere, non suum in ejus membra venenum noxium quodvis animal diffundere. Ex quo autem deceptioni succubuit, prodidit deceptori principatum suum. Propter quam causam magi et præstigiatores, et per adversariam efficaciam mira, Deo sic permittente, operantur, venenatis dominantes bestiis, igneinque et aquas sine noxa subeuntes, ut Jannes et Mambres adversarii Mosis: ut Simon principi Apostolorum Petro sese ausus est opponere.

IV. Existimo diabolum, quando animadvertit iterum effulgentem in facie Mosis eamdem gloriam, quam in vultu Adami viderat, non parum fuisse perculsum; utpote inde augurium ducentem dejectionis ex suo regno. Nihil autem impedit, quin Apostoli dictum ad id referamus: « Regnavit » mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos qui non » peccaverunt[2]. » Opinio enim hæc mea est, glorificatam illam faciem Moysis, expressam velut ex antiquo exemplari formam repræsentasse conspicuæ claritatis qua Deus primi suis manibus efficti hominis vultum insigniverat. Quod cum videret mors, hoc est, mortis auctor diabolus, tum suspicari eum cœpisse excidere se regno; et a Domino vere hoc se passurum. Eamdem porro gloriam et nunc veri Christiani induunt intus in mente; ubi deleta morte, hoc est passionibus ignominiæ, sive concupiscentiis ita debilitatis, ut ope-

[1] Rom. VII, 13. — [2] Id. V, 14.

Digitized by Google

rari nequeant, gloria Spiritus effulget in sensu et plenitudine omni fiduciæ animas illorum irradians.

V. Per mulierem, aptum ob similitudinem instrumentum fallendi, decepto inimicus Adamo effecit, ut auferretur ipsi gloria. Inde ille nudus repertus, suam vidit turpitudinem, ad quam antea non adverterat, mente quippe contemplandis formis cœlestibus cum delectatione affixa. Etenim post transgressionem in terram vergentes et humo pronæ fuerunt ejus cogitationes; et prior illa simplex et bona intelligentia, notionibus malitiæ carneis concreta fuit. Clausus autem quod dicitur homini fuisse paradisus[1], et flammeo gladio, ac Cherubim injunctum, ut ingredi prohiberet ipsum; credendum quidem est vere ita et sensibiliter tunc factum; reperitur autem idem arcana ratione in qualibet anima fieri. Undique enim circum cor velum quoddam tenebrarum oppansum est, fumus inquam, ex igne mundani spiritus, qui neque mentem conversari cum Deo sinit, neque animam permittit, prout ipsa vellet, aut orare, aut credere, aut amare Dominum. Horum autem omnium experientia magistra est iis, qui sincere se ipsos Domino crediderunt, tum perseverantia orationis, tum constanti adversus hostem oppugnantem impetu.

VI. Virga est disciplinæ et laurum plagas infligens princeps hujus sæculi parvulis in Spiritu; ipsis quidem, ut prius etiam dictum est, magnam gloriam et abundantiorem honorem per afflictiones et tentationes procurans; ex his enim, ut et ipsi perfecti evadant, oritur; sibi autem miser ipsi majorem gravioremque præparans pœnam. Omnino enim maxima et mira quædam per eum administratur dispensatio, prout dictum alicubi est: «Cooperatur malum bono » intentione non bona. » Bonis siquidem et laudabili vigentibus proposito animabus, quæ molesta videntur in bonum

[1] Gen. III, 24.

desinunt. Quod ipse quoque affirmavit Apostolus sic scribens : « Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum [1]. »

VII. Hujus rei gratia ista, de qua dixi, virga disciplinæ sevire permittitur, ut per eam velut in fornace ignis excocta vasa, quæ quidem proba sunt, soliditatem demonstrent ; quæ vero proba non sunt fragilitatis coarguantur, ignis ardorem non ferentia. Cum sit autem diabolus servus et creatura Dei, imperium ejus absolutum agnoscens, non, quantum ipsi libet, tentat, nec quam multas ac graves vult afflictiones immittit ; sed quantum herilis nutus permittit, permissione limitata. Sane Deus exactissime quantum in unoquoque est pervidens exploratum habet, quantum cuique insit virium ; et ad eum modum probationem ei admoveri permittit ; sicut etiam videtur Apostolo, dum ait : « Fidelis Deus, qui non permittit vos tentari supra id » quod potestis : sed faciet etiam cum tentatione proven- » tum, ut possitis sustinere [2]. »

VIII. Quærens et pulsans juxta Domini vocem, et usque ad finem petens, consequitur quæ petit. Tantum circa hoc suæ conscientiæ satisfacere is curet, ut mente et lingua indesinenter quærat, et corporeo ministerio enixim incumbat ; nec sæcularibus negotiis implicetur, neve pravitatis delectetur affectibus. Verax siquidem est qui dixit : « Omne quodcumque petieritis me in oratione, credentes, » accipietis [3]. » Qui autem dicunt : « Utcumque omnia quis effecerit quæ præscribuntur, expectatam autem gratiam consecutus non fuerit, quod ad præsens attinet sæculum, nihil profecit ; » male et sentiunt et loquuntur, divinisque haud congrue Scripturis. Non enim injustitia est apud Deum, ut iis, quæ nostri sunt officii a nobis perfectis, ipse quæ suarum sunt partium, negligat. Tantum curæ tibi sit, ut reperiare tunc, quando anima tua ex hoc

[1] Rom. VIII, 28. — [2] 1 Cor. X, 13. — [3] Matth. XXI, 22.

Digitized by Google

solvitur corpore, fortiter decertans, studiose satagens, expectans promissionem, perseverans, credens, in discretione quærens; et ego tibi dico, nec credere dubites, cum gaudio abibis, et fiduciam habebis, et regno videberis dignus. Etenim talis (in tenuitate mea per fidem et piam confidentiam aio) talis inquam jam Deo communicat. Ut enim, « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, » jam mœchatus est eam in corde suo[1]; » etsi minime hic fuerit corpore pollutus, tamen jam adulterii reputatur reus. Sic qui cor quidem suum a malis avertit, Deo autem adhærens desiderio et inquisitione, perseverantia apud Deum, ac flagrante in Dei amorem proposito animi, jam-jam quasi particeps Dei est; certe magnum donum statim a Deo habet, istam ipsam persistendi in oratione gratiam, simul cum bono studio, et conversatione virtutis amante. Si enim ne calicis quidem frigidæ donatio mercede caret sua, quanto magis iis, qui diu noctuque intentis in ipsum oculis ab eo postulant, promissum Deus præbebit?

IX. Illis, qui anxio animo æstuantes dicunt: « En erit illa unquam dies, qua non sentiam aversionem animi a fratre, aut alias similes, quarum mihi sum conscius, pravas affectiones, quas quidem invitus patior; » hæc reponenda sunt: Homini certamen studiumque omne in hoc esse constitutum, ut diabolo et pravis cogitationibus semper obluctetur. Vitari autem non posse, quin caligo perturbationum, et mors insidens sapientiæ carnis non producant fructum aliquem malitiæ vel occulte vel palam. Ut enim vulnus in corpore quo ad non plane obductum est, caveri nequit, quin exiguo saltem aliquo tabis effluxu madens sordeat; quantalibet diligentia curetur, nihilque omittatur industriæ in eis adhibendis remediis adjumentisque omnis generis: idem vero si prorsus negligatur, corruptionem

[1] Matth. v, 28.

Digitized by Google

interdum perniciemque toti infert corpori ; simili puta modo affectiones quoque animæ, utcumque multa fuerit adhibita cura, intus tamen adhuc tabo suo corrumpuntur, tandem tamen assiduitate diligentissimæ curationis, per Christi gratiam, perfecte sanantur. Est enim occulta quædam fæx, et tenebrarum redundans offusio ex affectibus, quæ in puram a principio hominis naturam Adami se transgressione insinuavit in humanitatem ; hæc polluit, hæc contaminat tam corpus videlicet quam animam. Verum ut ferrum dum ignitum contunditur, expurgatur ; utque aurum æris aut ferri mixtione infectum, igni secernitur ; pari ratione anima per immaculatas perpessiones Salvatoris, sancto Spiritu ignita, et percussa, ab omni pravo affectu et peccato expurgatur.

X. Ut quædam lampades uno plures oleo, uno accensæ igni, haud parem tamen sæpe emittunt fulgorem ; sic et charismata in diversis ad quæ habilitant bonis operibus, differentem evibrant ejusdem boni Spiritus splendorem. Aut ut in civitate multos amplectente cives, licet cuncti uno pane, unoque potus genere utantur; tamen horum alii quidem viri, alii parvuli, multi pueri, alii senes ; multumque discriminis et differentiæ in ipsis est : vel quemadmodum frumentum in uno et eodem seminatum agro, diversas spicas profert : tamen universum in eamdem una confertur aream, in unum pariter reconditur horreum ; sic et tu existima, me auctore, in mortuorum quoque resurrectione differentiam gloriæ fore iis, qui resurgunt, glorificatis et illustribus pro dignitate operum bonorum, et pro communione inhabitantis jam ibidem ipsos divini Spiritus ; et hanc esse sententiam illius dicti apostolici : « Stella differt a stella in claritate [1]. »

XI. Solum peculiari quisque studio curet, ut regene-

[1] 1 Cor. xv, 41.

Digitized by Google

ratus Spiritu sancto, inhabitans in sese peccatum abstergat. Etenim in parte quadam, etiam illa ipsa per sanctum Spiritum generatio imaginem perfectionis habet, et in forma et in membris; non tamen virtute, aut mente, aut fortitudine. Nam qui in virum perfectum et mensuram pervenit ætatis, quæ erant parvuli, solet evacuare. Et hoc est quod Apostolus dixit : « Sive linguæ cessabunt, sive » prophetiæ [1]. » Sicut enim vir jam factus, neque escas, neque sermones puero convenientes admittit, sed ea ut sibi indecora dedignatur, tanquam qui in alterum jam vitæ statum profecerit; sic qui ad perfectionem evangelicorum crescit officiorum, infantiam propriam ad perfectionem trahet. « Quando enim, ait divinus Apostolus, factus sum » vir, evacuavi quæ erant parvuli [2]. »

XII. Quod quidem per Spiritum gignitur, modo quodam, ut ostendimus, perfectum est. Sicut aliquem infantulum recens natum, suo modo esse perfectum dicimus, eo quod partes habeat omnes humani corporis. Rursus Dominus quidem haudquaquam Spiritum et gratiam dat, ut quis cadat in peccata; ipsi autem homines sibi causa malorum sunt ductum abnuentes gratiæ, ideoque illaqueati malis. Potest autem ex propriis labi etiam naturalibus homo cogitationibus, negligens, vel contemnens, aut arroganti utens præfidentia; audi enim qui dicat Paulus : « Ne extol- » lar, datus est mihi stimulus carnis angelus Satanæ [3]. » Vides, ut etiam qui tantis profectibus ad tam sublimem sunt evecti virtutis gradum, securitatis sint indigi. Cæterum nisi det occasionem ultro et aditum Satanæ homo, non utique per vim ei dominabitur. Propter quod, neque parti Christi, neque adversarii res imputatur : sed qui gratiæ Spiritus se adjungit usque in finem, partis Christi fit; qui vero non ita se habet utcumque Spiritu generetur,

[1] 1 Cor. XIII, 8. — [2] Ibid. 25. — [3] 2 Cor. XII, 7.

Digitized by Google

hoc est, etiamsi particeps sancti Spiritus fiat, in suo arbitrio habebit sequi voluntatem Satanæ. Sive enim ipse Dominus, sive Satanas per vim traherent, non esset homo sibi causa ipsi suæ sortis malæ aut bonæ, cadendi in gehennam, aut in regnum perveniendi.

XIII. Homini, virtutis studioso, multa cura satagendum est, ut discretione polleat, ut quo differentiam boni et mali exploratam habeat, et varias diaboli versutias, soliti per speciosas imaginationes plurimos pervertere, discutiat, atque inteiligat. Siquidem in omni negotio utilissimum est securitati consulere. Ne igitur levitate mentis cito te ipsum præbe credulum spiritualium potestatum impulsibus, ad te decipiendum forte comparatis. Etiamsi qui loquuntur cœlestes sint Angeli. Sed sta in gradu tardus, examini istius generis subjiciens exactissimo; quod bonum est amplectens, quod malum rejiciens. Non enim ignoti sunt effectus gratiæ, quos peccatum, utcumque boni personam assimulet, non potest repræsentare. Nam etsi, secundum Apostolum, « Novit Satanas transfigurare se in angelum » lucis [1], » tamen licet visiones offerat splendidas, bonam operationem, ut dictum est, exhibere non poterit; ex quo certum ejus existet indicium. Non enim charitatem in Deum aut proximum, non mansuetudinem, non humilitatem, non gaudium, non pacem, non refrenationem cogitationum, non mundi odium, non quietem spiritualem, non desiderium cœlestium operationum potest dare, non pravos affectus et voluptates compescere, quæ manifesta sunt opera gratiæ. « Nam fructus, inquit, Spiritus sunt, » charitas, gaudium, pax [2], etc., » quorum vice fastum ille potius et arrogantiam ingenerare multo aptissimus maximeque potens fuerit. Ex operatione igitur dignosces, quale sit quod tuæ forte animæ illuxerit intellectuale lumen,

[1] 2 Cor. xi, 14. — [2] Galat. v, 22.

Digitized by Google

utrum a Deo, an a Satana sit ortum. Quin et ipsi animæ, si gustum ad discretionem non obtusum habet, ab ipso statim primum appulsu sensuque, manifesta se prodet differentia. Ut enim acetum et vinum quoad aspectum unum idemque sunt; si vero lingua explorentur, palatum protinus de utroque pronuntiat quid vere sit; ita et anima ex ipso spiritualis experientiæ sensu ac propria quadam facultate potest dijudicare, quæ boni Spiritus charismata, quæ alieni sint phantasmata.

XIV. Attendere ac prospicere diligentissime animam oportet, ne quando vel minima sui parte ab adversaria potestate capiatur. Sicut enim illaqueato quolibet animalis membro totum inflecti necesse est, et in venantium manus cadit; sic et animæ similia ab hostibus contingere solent. Et hoc manifeste denuntiat Propheta, « Laqueum, in» quiens, paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt ani» mam meam [1]. »

XV. Oportet volentem per angustum aditum in domum fortis ingredi et vasa ejus diripere, non indulgere deliciis corporis: Sed corroborari bono Spiritu, memorem ejus, qui dixit: « Caro et sanguis regnum Dei non posside» bunt [2]. » Quo autem modo illum oportet corroborari spiritu? Si attendat Apostolo dicenti: « Dei sapientiam, » reputari ab hominibus stultitiam [3]. » Cui Propheta concinens, ait: « Vidi Filium hominis et species ejus inhonorata » infra omnes filios hominum [4]. » Oportet igitur eum, qui vult filius Dei fieri, prius similiter humiliari, et stultum ignobilemque reputari; non avertentem faciem a sputis, nec gloriam nec decorem mundi hujus, aut aliquid simile prosequentem; non habentem ubi caput reclinet; opprobriis obrutum, nihili habitum, pro despicabili et digno qui ab omnibus conculcetur, reputatum; oppugnatum

[1] Jerem. XVIII, 22. — [2] 1 Cor. XV, 50. — [3] Id. I, 23. — [4] Isai. LIII, 2.

Digitized by Google

occulte ac palam, et mente reluctantem; et tunc ipse Dei Filius; ipse, inquam, qui dixit: « Inhabitabo et ambulabo » in vobis [1], » manifestum se præbebit ejus cordi, et ipse accipiet virtutem et robur ad vinciendum fortem et vasa ejus diripienda; quin et ad ambulandum super aspidem et basiliscum [2], et ad calcandum supra scorpiones et serpentes [3].

XVI. Non parvum nobis certamen propositum est, dum perfringenda est mors. Ait enim: « Regnum Dei in- » tra vos est [4]; » ita reperitur quoque intra nos modo quodam, qui nos impugnat et captivos ducit. Ne igitur remittat conatum anima, quoad occisum ante se traverit captivantem se. Et tunc aufugiet dolor omnis et mœror et gemitus, eo quod eruperit aqua in terra sitienti [5]; et desertum stagnis jam aquarum inundetur.

XVII. Quæ facile incuria capitur anima, manifeste monstrat incredulitate se fuisse captam: ac propterea diem ex die ignave morando traxisse, verbum salutis non accipientem. Alias autem sibi fingit inanibus sæpe somniis et non animadvertens intestinum bellum; utpote vana sui capta fiducia, quæ cæcitas animæ est, non sinens illam propriæ consciam infirmitatis esse.

XVIII. Sicut infans recens natus formam perfecti servat viri, ita et anima imago quædam est Dei, qui fecit ipsam. Ut igitur sensim puer et per partes crescens, incipit ex parte patrem agnoscere; ubi vero plenius adoleverit, tunc non fere minus clare ipse patrem, quam pater ipsum noscit ac diligit; ac tali jam ostenditur patris thesaurus: sic anima quoque ante inobedientiam profectura fuerat et in virum perfectum occursura; sed per inobedientiam in pelagus oblivionis et in abyssum erroris depressa est; atque in portis inferi inhabitavit, ubi lato velut intervallo

[1] 2 Cor. VI, 12, et Levit. XXVI, 12. — [2] Psal. XC, 13. — [3] Luc. X, 19. — [4] Id. XVII, 21. — [5] Isai. XXXV, 6, 7.

Digitized by Google

distans a Deo anima accidere ad illum nequit, et clare agnoscere Creatorem suum. At Deus primum quidem per Prophetas, convertere studebat ad se illam, et provocabat, atque in notitiam trahebat sui. Postremo adveniens et coram ipse apparens, oblivionem quidem ei abstulit, errorem quoque detraxit. Deinde et ipsas inferni perrumpens portas, in vagam illam pervenit animam, se ipsum exemplar ei proponens, per quod facile jam poterit ad mensuram ætatis, nempe ad perfectionem Spiritus, pervenire. Porro verbum Dei tentari a maligno divina dispensatione permittitur, deinde opprobria, contemptiones, contumelias, alapas manuum audacium illarum; et ipsam extremam per crucem mortem sustinet, ostendens, ut diximus, quam animi æquitatem præ nobis ferre debeamus erga opprobriis nos incessentes, et vilipendentes nos, aut mortem etiam inferentes nobis; ut et ipsi nos iis qui surdi sunt, muti fiamus non aperientes os, ut vim et subtilitatem perspicientes malitiæ, ex cruce, cui suffixi clavis sumus, « Cum clamore valido invocemus eum, qui potest » nos salvos facere a morte[1] : » dicamusque : « Ab occultis » meis munda me : Et, Si mei non fuerint dominati, tunc » immaculatus ero[2]. » Tunc igitur immaculatus factus, invenit « Eum, qui subjecit ipsi omnia[3], » et conregnat et conrequiescit cum Christo. Etenim per inobedientiam a materialibus et sordidis absorpta cogitationibus, velut irrationalis facta fuerat anima, adeo ut non parvi laboris ei sit ex tanto luto vultum sursum erigere, ac subtilitatem malitiæ observare et perfringere, ut cum mente æterna commisceatur.

XIX. Si vis redire ad te ipsum, homo, et quam prius habebas gloriam resumere, quæ tibi ob inobedientiam periit; sicut neglectis prius Dei mandatis, hostis et præ-

[1] Hebr. v, 7. — [2] Psal. xviii, 13, 14. — [3] 1 Cor. xv, 27.

Digitized by Google

ceptis et consiliis attendisti; sic nunc ab hoc deficiens, cui obtemperavisti, convertere ad Dominum. Cæterum scito in multo labore et sudore vultus tui recepturum te thesaurum amissum tuum. Non enim ad rationes accommodata tuas est sine labore boni acquisitio; siquidem quæ sine labore accepisti, perdidisti, hostique hæreditatem tuam prodidisti. Recognoscamus ergo pro se quisque quid tandem id ac quantum sit quod amisimus : et luctum assumamus Prophetæ. Vere enim « Hæreditas nostra versa » est ad alienos; domus nostra ad extraneos[1]. » Eo quod non audierimus mandatum, et propriis voluntatibus obsecuti, quodque terrenis et sordidis cogitationibus delectati fuerimus; ut adeo longa sane tunc distantia abesset a Deo anima nostra, et assimilati orphanis simus patrem non habentibus. Cui ergo curæ est anima, huic totis contendendum viribus est ad funditus extirpandas e mente sua pravas cogitationes, « Et omnem altitudinem extollentem » se adversus scientiam Dei[2]. » Quando enim ita nobis ipsi vim inferemus, ad templum Dei custodiendum expers omnis maculæ, tunc veniet ad nos qui promisit se habitaturum et ambulaturum in nobis. Et hunc resumet amissam hæreditatem suam anima, et templum Dei fieri digna habebitur. Ipse enim in fugam ejiciens cum exercitu malignum, de cætero in nobis regnabit.

XX. Quod Caïno secundum sensibilem litteræ sonum dictum a Creatore verbum est : « Gemens, tremens, et » titubans super terram eris[3]; » juxta sensum allegoricum figura et imago omnium peccatorum erat. Sic enim Adami progenies transgressa mandatum, et peccatorum rea fluctuat cogitationibus inquietis, metu, pavore, perturbatione plena. Ipso præterea inimico concupiscentiis et voluptatibus variis omnem quæ regenerata ex Deo non

[1] Thren. v, 2. — [2] 2 Cor. x, 5. — [3] Gen. IV, 12.

Digitized by Google

sit, agitante animam, et ut triticum in cribro, sursum deorsum jactante. Quid quod et Deus ipse obsequentes voluntatibus diaboli per sese concutit, demonstrans ipsos imaginem pravitatis Caïni conservare; « Vos, inquit, desi» deria patris vestri vultis facere homicidæ; ille enim ho» micida erat ab initio et in veritate non stetit[1]. »

XXI. Considerare convenit, quantum aspectus terreni regis desiderari, et quam ardenti procurari studio ab hominibus soleat : et quisquis in urbem advenit, ubi rex degit, in eo flagranti versatur voto, ut vel solum pretiosum splendiqumque palatii ambitum videat; nisi forte quispiam ex iis sit, qui sancto se dediderit Spiritui, qui hæc insuper habeat, ac aspernetur; alia pulchritudine saucius, aliusque gloriæ cupidus. Si ergo carni deditis hominibus adeo expetibilis censetur, tamque avide captatur intuendi regis mortalis copia; quomodo non incomparabiliter optanda magis visio fuerit immortalis regis, iis sane quibus guttula saltem inspersa quædam Spiritus boni, divino amore cor vulneraverit? Quapropter isti omni mundi amicitia se ipsos exolvunt, ut possint propensum hunc semper in corde habere amorem, et pro illo nullum alium. Sed hi valde pauci sunt : qui quidem bono principio parem finem adjungant, et usque ad extremum inoffense perseverent. Multi compunguntur; multi gratiæ cœlestis fiunt participes, et amore divino feriuntur; sed qui varie per vitam incurrunt labores, nec diaboli tentationes arte versutiaque illatas multiplici sustinent, et in mundo permanent, et demerguntur in ejus profunda voragine, ob propositi languorem et infirmitatem; vel etiam quod affectu terrenorum capiantur. Quicumque porro securitate omni perducere ad extremam metam cursum hunc volunt,

[1] Joan. VIII, 44.

Digitized by Google

alium amorem, aliam charitatem cœlesti admiscere illi nequaquam sustinent.

XXII. Ut magna prorsus et inenarrabilia bona sunt quæ Deus promisit; ita multis ad eorum assecutionem opus laboribus et certaminibus est; iisque cum spe ac fide toleratis et susceptis. Hoc ex his Christi verbis patet: « Qui vult post me venire, abneget semetipsum et tollat » crucem suam et sequatur me[1]. » Et rursus, « Nisi quis odo- » rit patrem et matrem, et fratres, et sorores, et filios, » adhuc autem et animam suam, non potest meus esse » Discipulus[1]. » Plerique autem hominum sic stulti sunt, ut regnum quidem consequi velint, et æternæ hæreditatem vitæ, ac Christo in ævum omne conregnare; id quod magnum est, et omnem cogitationem superat; propriis tamen obsequendo voluntatibus; si non potius illi, qui vana ista et manifeste noxia ipsis inspirat.

XXIII. Usque ad finem cursum inoffense perferentes, hi sunt, qui mundi omnes cupiditates et se ipsos, transgressionesque ejus ac voluptates, et circa illum occupationes omnino odio habent. Hoc enim est abnegare se ipsum. Quare propria voluntate unusquisque regno ejicitur, eo quod haudquaquam ex veritate labores eligat, et se ipsum abneget; nimirum volens ita Dei amori ac desiderio servire, ut simul delectari quoque possit quibusdam hujus mundi rebus, nec totum necesse sit impetum propriæ voluntatis Deo tradere. Uno autem exemplo declarabitur id quod in manibus habemus. Discernens nempe discernit unusquisque, nec latet ipsum malum esse hoc ad quod forte agendum propendet. Primum quidem intus in corde observatur ambiguitas; bilanx vero cum jugo suspensa in intima sui ipsius conscientia, palam anceps in utrumvis, Dei scilicet aut mundi amorem impetum intus facit: et

[1] Matth. xvi, 44. — [1] Luc. xiv, 26.

Digitized by Google

tunc circa exteriora prodit. Discernens enim (ut dictum est) discernit quisque. Exempli causa, quispiam forte cum fratre contendens, dissidet a se ipso. Ac primo opponit: Dicam-ne? an non dicam? reponam-ne quæ ulciscantur illata mihi probra? sed potius silebo. Tenemus Dei mandata; cæterum ita ut propriæ quoque curæ gloriolæ non negligatur; adeo vix quispiam plene ac perfecte in animum induxit, prorsus in omnibus abnegare se. Si ergo vel minimo momento lanx amicitiæ mundanæ jugum stateræ in corde traxerit, statim malum verbum exit usque ad labra; deinde mens, tanquam arcum intus tendens, jaculatur in proximum per linguam. Jurgium inde progreditur usque ad manus, interdum et vulnera; quin ad cædem nonnunquam ipsam rixa pervenit. Ex quo licet perspicere, unde ducto principio in quantum sceleris processerit brevis ille motus animæ. Et ex hoc exemplo reputa, sic ad singulos evenire lapsus in peccata vel prava studia; malitia ubique adulationibus quibusdam blanditiisque pelliciente voluntatem animæ in cupiditates mundanas et carnis voluptates. Sic perpetratur adulterium, sic furtum, sic avaritia, sic vana gloriatio; sic omne aliud cujusvis generis malum.

XXIV. Ipsa quoque per se laudabilia ob vanam sæpe gloriam opera efficiuntur. Quod quidem par furto, inertiæ, magnisque aliis peccatis a Deo judicatur: « Deus enim » (ait David) dissipavit ossa eorum, qui hominibus pla» cent[1]. » Itaque vectigales sibi facere virtutes, tributum e bonis operibus cultus obsequiique captans proprii hostis noster satagit, veterator ille versutus, varius, et pravus.

XXV. Quam quivis ex mundi hujus rebus amat, ea gravat illius mentem, et quasi deorsum trahit ac detrudit, vertereque sursum oculos non sinit. Apud tales enim sta-

[1] Psal. LII, 6.

Digitized by Google

tera et anceps momentum, jugumque arbitrii cordis quasi sublatum est; examenque sic fit explorans intimos sensus omnis generis hominum, seu in urbibus degentium Christianorum, seu in montibus, seu in monasteriis; sive in agris, sive in solitudinibus. Deprehenditurque ex eo quod volens quis alliciatur ab ea re quæcumque tandem est, quam amat, nondum suum omnem amorem Deo addixisse. Exempli gratia, diligit quis forte possessiones, alius aurum, alius amat ventri servire, et indulgere concupiscentiis carnis; alius sapientiam amat propter gloriam fragilem; non nemo ambit præfecturam; alter honores ab hominibus; huic placet ira efferri, et bile; nam impendere se ipsum amicis vindicandis, laus ipsi videtur : alii jucundæ sunt confabulationes facetæ de nugis scurrilibus. Quemdam soluta licentia ultra decori terminos evagandi; aut verbis otiosis attendere, aut magistrum esse; et hoc aucupandæ causa ab hominibus gloriæ. Ac aliquis quidem in torporem et negligentiam incumbit. Est quem delectet ornatus ac splendor vestium. Hic somno, ille dicacitati facetiarum, alius parvæ cuipiam aut magnæ mundanarum rerum affectu defixus hæret; ita ut ea quasi vinctus teneatur, nec possit sursum aspicere; quam enim aliquis animi sui pravam affectionem non oppugnat acriter, cuique non obsistit generose, ea tandem delectatur, et tunc illa trahit ipsum ac detinet, et uncus velut quidam collaris ejus mentis fit, deorsum illam incurvans negato illi suspectu ad Deum libero, nec permittens illi soli servire. Anima enim, quæ vere ad Dominum impetum suum dirigit, omne illi suum desiderium permittit, ipsaque in omnibus se ipsam abnegat, propriæque mentis inclinationibus haud obsequitur.

XXVI. Docendum in exemplo, quomodo fiat, ut pereat homo, eo quod propriæ obsecutus fuerit voluntati; propter

Digitized by Google

enim affectum ad aliquid ex mundanis contingit eum aut in ignem conjici, aut mari demergi, aut in captivitatem se ipsum tradere. Ponatur, domum aut villam casu fortuito inflammari. Qui ergo saluti consulere propriæ decrevit, neglectis statim omnibus aufugit, quasi qui incendium jam sentiat, suæ unice vitæ curam servandæ habens. Alius autem amore cujusdam vasis, ut id flammæ subtractum secum efferat, moratur; inque ista mora et conatu circumventus a prævalente undique igne corripitur et comburitur. Vides ut propria voluntate et amore cujuspiam temporalis rei, quam præter se, imo super se ac salutem suam videtur diligere, talis flammis absumitur. Aliis rursus in naufragium incidentibus, is quidem illorum qui servare se ipsum, quantum potest, omnino constituit, cunctis confestim vestibus abjectis, nudum se in aquam mittit, et hac ratione potest suam conservare vitam. At quispiam ex istis, vestem conservare cupiens, absorbetur fluctibus, propter vile lucrum, o miseriam! se ipsum perdens. Fingatur iterum judicium perferri irruptionis hostilis, et quemdam statim a cognito periculo pedes in fugam quam potest velocissimam dare, securum reliquorum præter se, omnium. At alium non prius velle fugere, quam pecuniam secum auferat; sed hunc cunctantem hostilis manus superveniens comprehendit. Vides, voluntate istius propria, et propter adhæsionem nimis addictam cuidam mundanarum rerum, misere illum et corporis et animæ irreparabilem subire jacturam.

XXVII. Pauci profecto sunt, qui perfectam ad Deum charitatem habeant; qui omnes voluptates mundi et omnes cupiditates nihili ducant; qui denique omnes maligni tentationes patienti longanimitate perferant. Cæterum non ob hoc desperandum; neque bona spes negligenda est. Etsi enim multæ naves naufragium patiantur, sunt tamen om-

Digitized by Google

nino non paucæ, quæ felici trajectu portum tenent. Propterea fide nobis imprimis opus, patientiaque et attentione, generoso quoque in certaminibus animo; ac præterea fame ac siti bonitatis, simul cum multa prudentia et discretione; quin et acrimonia et impudentia in petendo. Nam plerique hominum, ut duximus, sine labore ac sudore consequi regnum cœlorum volunt, et sanctos quidem viros felices prædicant, honoremque ipsorum ac charismata concupiscunt; parium vero cum ipsis tribulationum, laborum et passionum consortes fieri renuunt. Sed istud omnes, et meretrices, et publicani cupiunt. Atqui propter hoc tentationes propositæ sunt et probationes; ut per eas appareat, quinam vere suum ipsorum Dominum diligant, et ut hi juste consequantur cœleste regnum.

XXVIII. Afflictionibus, passionibus, patientia et fide absconditas esse promissiones puta, ipsamque gloriam, ac bonorum cœlestium fruitionem. Quandoquidem et jactum in terram frumenti granum, et insitum arboris surculum, necesse est putrescere, et ignominiose procidere; et sic demum multiplicem ornatissimi sui indumenti fructum recipere. Nisi enim per illam putredinem, per illas velut ignominias transierint, nunquam eum ultimum decorem, nunquam speciosam illam pompam sibi circumdarent, qua se ostentant. In hac quidem sententia Apostolus est: « Per multas enim, inquit, tribulationes oportet nos in» trare in regnum Dei[1]. » Et Dominus: « In patientia vestra » possidebitis animas vestras[2]. » Et, « In mundo tribulatio» nem habebitis[3]. »

XXIX. Quanta unusquisque vestrum fide diligentiaque dignus fuerit habitus sancti fieri Spiritus particeps, tanta ipsi mensura gloriæ continget in illa resurrectionis die corpus ejus coronari. Quod enim nunc collegit in anima,

[1] Act. xiv, 21. — [2] Luc. xxi, 19. — [3] Joan. xvi, 33.

Digitized by Google

tunc exterius revelatum apparebit in corpore; cujus quasi experimentum aut exemplum spei capere licet ex arboribus. Hyeme siquidem jam transacta, et lætiores calidioresque passim diffundente radios sole; ac, pro mitiori videlicet tempestate anni, ventis flantibus, trudunt illæ foras folia et flores, et fructus induunt. Similiter et flos fœni per idem tempus e sinu telluris egerminat, tegiturque illis terra, et veluti decoro pallio amicitur. Ad hunc modum et corpora sanctorum tunc splendebunt, foras demum erumpente luce illa, quæ in ipsis erat, ineffabili; virtutem dico et gratiam Spiritus; quæ tunc ipsis erit vestis, esca, potus, exultatio, gaudium, pax, et ut verbo cuncta uno complectar, vita æterna.

OPUSCULUM V.

De elevatione mentis.

I. Beatus Moses subostendit formam, per resplendentem in ejus vultu Spiritus gloriam, in quam nullus hominum posset intendere, ejus gloriæ qua in justorum resurrectione glorificabuntur corpora sanctorum, qua gloria ex hoc tempore in interiori homine sanctorum animæ dignæ habentur. « Nos enim, ait, revelata facie, hoc est, in interiori homine, gloriam Domini speculantes, in eamdem » imaginem transformati a claritate in claritatem[1]. » Circa hoc scriptum est rursus : Mosem quadraginta noctibus et totidem diebus, nec cibi meminisse nec potus, quod humanæ naturæ modum excedit[2] : nisi spiritualis impertita

[1] 2 Cor. III, 18. — [2] Exod. XXIV, 18, et XXXIV, 28.

Digitized by Google

ipsi esca fuerit. Qualem videlicet jam nunc sanctæ animæ percipiunt ex Spiritu.

II. Claritas, qua jam hinc sanctorum abundant animæ, illa ipsa reget et amiciet nuda corpora in resurrectione, ac rapta in cœlos auferet; et tunc illi corpore pariter et anima in Dei regno simul perpetuo requiescent. Adamum quippe creans Deus alas ipsi corporeas, velut avibus, non indidit; utpote cui alas spirituales, quibus post resurrectionem attolleretur, et raptus quocumque vellet spiritus, libere ferretur, dare ipsi decreverat. Has spirituales alas sanctorum animabus jam tunc datum est habere, quæ ad cœlestem ipsas transferunt sensum. Christianorum enim alius, quam cæterorum ornatus, alia indumenta, mensa alia, et alia fruitio est, quandoquidem e cœlis venturum Christum scimus, suscitaturum eos, qui ex omni ævo dormierunt; quemadmodum sacræ Scripturæ docent: in duas partes dividet[1], et quæ sequuntur.

III. Quibus curæ est christianæ vitæ officia quam optime omnia exequi; eos ante quidvis aliud oportet, partis animæ, quam superiorem et prædominantem vocant, intellectualis videlicet ac discretivæ, diligentem habere rationem; ut accurate boni malique discrimen facientes, nec quæ præter naturam invectæ sunt cupiditates, naturæ puræ esse judicantes inoffensum vitæ cursum habeant, utpote qui discretionis veluti oculo utantur; et qui a fallaciis pravitatis securi esse possint. Est enim voluntas animæ, membra corporis a noxa errantium sensuum incorrupta servari; seque ipsam a mundi avocationibus arcere: custodireque cor ne in mundum extendat membra suarum cogitationum; sed ea colligat et undecumque restricta contineat, ab humili cura et voluptate coërcens. Enimvero ubi Dominus aliquem id sedulo agentem viderit; sic, inquam, attentum,

[1] Matth. xxv, 33.

Digitized by Google

semperque cum metu ac tremore servire ipsi paratum, suggeret ipsi ad ulteriora gratiæ auxilium. Quare vero Deus ultro se mundo tradentibus et voluptates sectantibus id faceret?

IV. Prudentes illæ virgines, quæ peregrinum a sua ipsarum natura oleum (quod est Spiritus gratia) in vasis cordis præsumpserant, potuerunt in thalamum simul intrare cum sponso. Aliæ vero fatuæ et malæ, ea sibi sufficere ducentes, quæ natura ipsis suppéditabat sua, iisque propterea contentæ, omni sollicitudine omissa supinæ securitati se dederunt, neque, quod debuerant, studuerunt oleum istud lætitiæ in vasis cordis ipsarum præsumere: sed velut obdormierunt per incuriam torporemque ac confidentiam justitiæ propriæ. Ob quod regni thalamus ipsis occlusus est. Manifestum enim erat, a partibus eas mundi stare, illi defixas quodam quasi amicitiæ vinculo, quæ fuit causa cur totum et integrum amorem suum sacrare sponso in solidum nequiverint; sed illæ peregrinum a natura ipsarum bonum, sanctificationem, inquam, Spiritus, quærentes, totam suam Christo affixerunt charitatem, ibi conversantur, ambulant, orant; ibi ratiocinantur; ibi meditantur, ab aliis omnibus aversæ. Nam quinque animæ sensus, qui sunt: prudentia, intelligentia, discretio, patientia et misericordia, si superne gratiam et sanctificationem Spiritus acceperint, fient virgines vere prudentes: si autem in natura ipsarum relinquantur, fatuæ verissime reperiuntur; et merito accensentur filiis hujus sæculi.

V. Sicuti hospitem naturæ nostræ malitiam, per primi transgressionem hominis in nos peregre intrusam admisimus; novam quasi naturam in nobis mora et usu longi temporis operatam; ita per hospes quoque istud nostræ naturæ bonum (donum dico Spiritus cœlestis) ejicere vicissim convenit e nostra natura pestem illam, et in primæ-

Digitized by Google

vam nos restituere puritatem; etenim nisi multa oratione et fide, multa attentione, et a rebus mundi aversione, consequamur, ut polluta immixtione malitiæ natura nostra, ab illa charitate, quæ Deus est, sanctificetur; et ad finem usque sine offensa permanserimus in plena et exacta divinorum ejus observatione mandatorum, cœlestis regni compotes esse non poterimus.

VI. Subtilem quamdam abstrusioremque doctrinam, prout potero, exponere hic volo. In corpus quodam modo se ipsum transformat immensus et incorporeus Dominus, per benignitatem infinitam; et minuit, parvumque, ut sic dicam, contrahens se facit, ingens ille supersubstantialis, ut sic possit cum intellectualibus suis creaturis quasi coalescere. Animas sanctorum dico, et Angelos, ut sic hæ creaturæ possint vitæ immortalis, qua ipsa ejus Divinitas fruitur, participes effici. Quoniam horum quodque secundum propriam naturam corpus est; corpus, inquam, sunt et Angelus, et anima, et dæmon. Etsi enim res tenues subtilesque sunt, tamen in hypostasi, caractere, ac forma propriis, secundum tenuitatem naturæ ipsorum corpus sunt tenue; sicut in sua hypostasi corpus hoc nostrum, crassum corpus est; itaque anima corpus cum sit exilis tenuitatis, circumdat sibi atque induit membra hujus corporis, induit, nempe, oculum, per quem videt, aurem, per quam audit; manum, nares; uno verbo, cuncta corporis membra circumponit sibi, cumque illis penitus commiscetur perque hæc cunctas functiones humanæ conversationis exequitur. Ad similem igitur modum ineffabilis et incomprehensibilis Christi bonitas contrahit ac parvam facit ac quasi in corpus fingit se ipsam; atque se immiscens amplectitur fideles et amicas sibi animas, « Et unus cum » ipsis sit Spiritus[1], » secundum oraculum Pauli; anima in

[1] 1 Cor. VI, 17.

Digitized by Google

animam, ut sic dicatur, et hypostasi in hypostasim quasi coalescente. Ut per hoc tali animæ in ipsius Divinitate vivere contingat, et ad immortalem vitam tandem pervenire, voluptateque incorrupta, et ineffabili gloria gaudere.

VII. Tali animæ Dominus, quoties quidem vult, fit ignis, consumens quidquid in ea pravum ac aliunde invectum est; sicut ait Propheta : « Deus noster ignis consumens » est. » Alias eidem animæ fit ineffabilis quies[1]; aliquando gaudium et pax, circumfovens, et undique amplectens ipsam : tantum ne desimus nostris partibus, ut illum amemus, illi gratificemur moribus probis. Hæc qui præstabit, ipso sensu perspiciet inire se jam possessionem inenarrabilium bonorum, quæ oculus non vidit, auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt; per quæ Spiritus Domini fit nunc in requiem, nunc in exultationem, et voluptatem et vitam ejus animæ, quæ se illo dignam ostenderit. Incorporat enim se ipsum sicut in escam spiritualem, ita et in indumentum et ornatum inenarrabilis splendoris, ut sic eam spirituali lætitia impleat. « Ego enim, ait, panis » vitæ sum[2]. » Et, « Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, » fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam[3]. »

VIII. Ita cuique sacerdotum et sanctorum Deus apparuit, ut et ipsi fuit Deo placitum et videnti utile : aliter Abrahamo, aliter Isaaco, aliter quoque Jacobo, Noë, Danieli, Mosi, Davidi, et unicuique Prophetarum, minuens et in corpus fingens se ipsum, sicut dictum est, transfiguransque se, ac forma visibili assumpta intuendum se præbens diligentibus ipsum; non quantus est, cum sit incomprehensibilis; sed quantum illi capere possunt; propter multum et incomprehensibilem, quo in ipsos fertur, amorem.

IX. Anima Dei dignatione consecuta, ut virtutem illam

[1] Deut. IV, 24, et Hebr. XII, 29. — [2] Joan.. VI, 51. — [3] Ibid. 44.

Digitized by Google

ex alto, divinumque illum ignem intra se domesticum habeat; illa supercœlestis boni Spiritus quasi concretam suis ipsius membris charitatem obtinens, omni profecto mundani amoris expeditur nexu, et vinculo malitiæ solvitur. Ut enim ferrum, plumbum, aurum, argentum conjecta in ignem solvuntur; ipsorumque inflexibilis antea et ad tactum resistens soliditas in fluidam mollitiem mutatur; ita ut quandiu in igne perstant, fluxa, liquida, resoluta cernantur et sint, rigiditate prorsus deposita naturali, ob flammæ vim; sic et anima, quæ supercœlestem illum concepit ignem spiritualis charitatis, omnem a se affectum mundani spiritus procul habet, vinculisque malitiæ cunctis exolvitur; et ex ipsa se relaxat emollescens duritiæ peccati; parva omnia mundana reputans, et ut vilia contemnens. Hanc aio equidem vel si quosdam fratres habeat, ipsi charissimos; senseritque aliquid impedimenti ipsos objicere exercitio suæ in Deum charitatis, amori ipsorum, nuntium exemplo esse remissuram. Si enim amor erga nuptias ob carnalem conjunctionem initas a patre, matre, et fratribus disjungit, ut si quis horum aliquem amet, leviter et superficiari amet; omnem vero affectum animi; omne desiderium ad cohabitantem ipsi conjugem affixum habeat; atque si carnalis hujusmodi amicitia omnem aliam carnis amicitiam disrumpat, an segne otium erit desiderio perturbationis omnis immuni permissis amorem aliquem mundi non cohibendi?

X. Benignus et hominum amans Deus, multa patientia expectat cujusquo peccantium pœnitentiam; in festum cœleste instituens respiscentis conversionem: « Gaudium » enim, ait ipse, est in cœlo super uno peccatore pœniten» tiam agente[1]. » Si vero quis hanc animadvertens Dei bonitatem et longanimitatem, qua sibi temperat a singulis

[1] Luc. xv, 10.

Digitized by Google

protinus criminibus ulciscendis, expectans, ut diximus, pœnitentiam, negligat præceptum, et Dei bonitatem, proh nefas! in occasionem contemptus vertat, peccata peccatis accumulans, et scandalo scandalum superstruens, desidiamque assuens desidiæ; is sane peccatorum implet terminos, et de cætero in tali deprehenditur lapsu, ex quo non amplius illi continget in integrum restitui; quippe quasi contritis ruina membris innitens, et maligno se usque in finem permittens, perit. Sic Sodomis accidit; expleta enim et supercumulata mensura peccatorum, cum ne scintillam quidem, ut sic dicam, bonæ mentis ad spem pœnitentiæ reliquam fecissent, igne divinæ ultionis instrumento sunt absumpti. Sic et in diebus Noë, quando ruentes effusis in nefas omne habenis homines, nullo argumento dato verisimiliter confidendi fore, ut ad meliorem se frugem reciperent, tantam tamque gravem supra sese molem exaggerarunt delictorum, ut secum terram universam in exitium pertraherent. Haud dissimilia Ægyptiis evenere, multa contra Deum impie ausis, multis grassatis in ejus populum injuriis. Bonus quidem Dominus cladem extremam diu distulit, aliis super aliis castigationibus eos ad resipiscentiam invitans; at cum nullum finem facerent sæpius iniquitatis resumendæ, tandem populum Domini rite dimissum persequentes, ac retrahere conantes, extremo ipsos ira divina exitio mactavit. Israëlitas pariter multa delinquentes, cædis quinetiam Prophetarum Dei reos, postquam solita sibi longanimitate diu tolerasset Dominus; ubi ad extremum vidit eo ipsos immanis processisse amentiæ, ut neque divinam in misso ad eos Dei Filio reveriti majestatem, manus ei cruentas intulerint, damnatos irrevocabiliter abjecit in omne tempus, dejecitque; ablata iis prophetia, sacerdotio, religione, quas commisit credentibus in ipsum gentibus.

Digitized by Google

XI. Accurramus ad vocantem nos Christum alacriter, effundentes super ipsum corda; et ne nostram, sponte remittentes de nostra contentione, desperemus salutem. Nam et hoc diaboli sophisma est, recordatione priorum delictorum inducere in desperationem. At nobis ita cogitandum est : si Dominus, cum in hunc mundum advenit, cæcorum, paralyticorum, surdorum medicus et restitutor in integrum fuit; si mortuos jam corruptos suscitavit; quanto magis cæcitatem mentis, animæ pigritiam, incuriosi cordis curabit surditatem? quandoquidem, ut non alius ab ipso corporis creator est; ita et animam ipse condidit. Et, si erga fluxa et mortalia tam benigne ac clementer affectus est; quanto magis immortali animæ, morbo iniquitatis et ignorantiæ laboranti; deinde accedenti ad ipsum et oranti, benevole curationem adhibebit? ejus enim vox hæc est : « Pater meus cœlestis, annon faciet vindic » tam clamantium ad se die ac nocte? ita dico vobis, quia » cito faciet vindictam eorum[1]. » Et illa ejus quoque vox est : « Petite et dabitur vobis[2]. » Et rursus : « Si eo, quod » amicus ejus sit non dabit; propter improbitatem tamen » ejus surget, et dabit illi quanto indiget[3]. » Quibus verbis ad piam nos quamdam in petitione impudentiam, et improbam importunamque instantiam hortatur. Enimvero propter peccatores ipse venit, ut eos ad se converteret. Tantum a falsis recedentes præoccupationibus Domino vacemus; et ille nos non despicit; sed promptus est, subministrans, quo ab ipso egemus, auxilium.

XII. Sicut in morbo et infirmitate deprehensis, quando jam corpus non amplius alimenta cibi et potus percipere potest; desperatur de ægroto, et pro certo signo mortis ejus id habetur, unde amici et necessarii ipsius illum lugent : sic Deus et Angeli animas esca cœlesti pasci amplius

[1] Luc. XVIII, 7. — [2] Matth. VII, 7. — [3] Luc. XI, 8.

Digitized by Google

non valentes, multo luctu ac lamentis prosequuntur. Si ergo factus sis Dei thronus, illum insidentem tibi habens, si anima tua sit tota spiritualis oculus, tota lux; si pastus es cibo illo spirituali; si potatus aqua viva, et spirituali vino lætificante cor; si tuam induisti animam vestibus ineffabilis luminis: si horum omnium interior tuus homo, experimentum ceperit, et plenam securitatem, vivis ecce vita abhinc æterna; ex præsenti jam tempore Christo conrequiescens. Sin nondum hæc percepisti; neque adhuc eo profecisti, ut ista possideas: plora vehementer, et lamentis indulge, quod tales haud dum lucratus divitias sis. Sit vero tibi ea cura, hæc tua oratio perpetua pro tua mendicitate. Sed utinam saltem paupertatis suæ sensus possidentem subeat; et non, ut jam plenus ac satur opum divinarum, secure circumvagetur; nec quærens, nec pulsans: « Quærens enim, inquit, inveniet, et pulsanti aperietur[1]. »

XIII. Si compositum illud oleum tantam habet vim, ut eo usi ad dignitatem ascendant regiam; quanto magis qui quoad mentem et interiorem hominem sanctificante exultationis oleo uncti, et arrham boni accipientes Spiritus, mensuras perfectionis inscendent; regni, inquam, et filiationis Christo regi consortes et collegæ facti, ingrediendi ad Patrem et egrediendi, ut videtur ipsis liberam habentes potestatem, etsi enim solidam istam nondum creverunt hæreditatem, mole utique adhuc gravati carnis; tamen ob arrabonem Spiritus, certa et secura spe confidunt, et conregnaturos se tandem Christo, et fruituros copiose et abundantes Spiritus, minime dubitantes, quin, quoad in carne vixerint, perstituri in possessione sint virtutis et voluptatis illius, cujus semel experiendo gustum acceperunt; quippe cum superimpositum post inobedientiam

[1] Matth. VII, 7, et Luc. XI, 10.

Digitized by Google

hominibus Satanæ operculum, gratia veniens per purgationem interioris hominis et mentis, auferat penitus, et omne inquinamentum, omnemque cogitationem ab anima everrat; volens illam esse mundam, et propriam recipere naturam, perspicacibus et omni liberis impedimento veri luminis claritatem intueri oculis. Qui tales sunt jam ex hoc tempore ac vitæ statu in illud rapiuntur sæculum, et quæ ibi sunt pulchritudines ac miracula spectant. Quemadmodum enim corporeus oculus plene sanus et vigens, solares audacter inspicit radios; sic et hi lucida mente, inaccessibiles splendores Domini semper intuentur : ad quam tantæ mensuram pertingere felicitatis haud facile hominibus est : sed laboribus ad hoc opus est plurimis, certaminibusque et sudoribus innumeris. Multi quippe sunt quibus gratia inest quidem operationes etiam quasdam suas exercens : cæterum ita, ut simul non absit ab iis malitia intus latens. Itaque tunc ambo spiritus, lucidus et tenebrosus; in uno et eodem operantur corde. Quod autem dictum est : « Quæ enim societas luci ad tenebras[1] ? » Et, « Lux » in tenebris lucet[2]. » Similiaque, divisim ac singillatim, non uniformiter, et in universum accipienda sunt. Nam in tantum quidam acquiescunt gratiæ Dei, in quantum continere se ipsos possunt, et non vinci ab inhabitante in ipsis peccato. His contingit, dum constantius interdum attentiusque orationi vacant, ut quiete perfundantur; postea tamen sordidarum cogitationum insultus pati; quin et a subrepente furtim incessi peccato; præsente nihilominus ipsa quoque gratia. Leviores igitur et minus cauti, nec satis intelligentes, quatenus in ipsis polleat divina gratia, temere credunt, plane jam exterminatum esse peccatum. At discreti et vere prudentes rerum, non utique inficias

[1] 2 Cor. VI, 14. — [2] Joan. I, V.

Digitized by Google

iverint, se, utcumque inhabitante dignatos gratia, nec tamen turpibus et absurdis cogitationibus non concuti.

XIV. Novimus quosdam ex fratribus sæpe adeo uberi superfusione gratiæ ditatos, ut quinque ac sex totis annis in ipsis penitus veluti emarcuerint et extinctæ fuerint cupiditates; deinde tamen, dum portu et tranquillitate frui videbantur, apparentem rursus, velut ex insidiis, malitiam tam vehementibus ipsos et feris insultibus pulsasse, ut pavorem et consternationem ipsis incuteret. Nemo igitur eorum, quibus acutius cernere sacræ prudentiæ lumen dedit, ausit unquam dicere; ex quo præsentem in me sentio gratiam, liberatus sum in omne tempus ab omni malitia. Duo enim, ut dictum est, inter se adversa in mente agunt, gratia et concupiscentia, utcumque cito creduli et imprudentes statim dicant : « Vicimus et debellatum jam est. » Mihi quidem contra sic videntur hujus se generis res habere, ut quando soli pure fulgenti suboriens repente vapor et caligo velamen veluti obduxerit; sic similiter, uti diximus, se habent, qui gratia Dei potiti, sed accurate nondum purgati sunt; sed in penetralibus profundis adhuc a peccato tenentur. Quare multa profecto discretione opus est, ad experientiam rerum talium perfectissimam parandam.

XV. Ut sine oculis, lingua, auribus, pedibus, videri, dici, audiri, ambulari nequit; sic pariter impossibile est, sine Deo et ab ipso dato efficaci auxilio, communicare mysteriis divinis, et nosse Dei sapientiam, aut in Spiritu ditescere. Nam sapientes quidem Græcorum, in meditatione doctrinarum exercentur, et ad invicem reciprocandas verborum rixas longo triti usu sunt. Servi autem Dei, etsi congressibus disputationum inexercitati sint, tamen divina notitia, et Dei gratia perficiuntur.

XVI. Audeo dicere; ne ipsis quidem illis sancto Para-

Digitized by Google

cleto repletis Apostolis, contigisse, ut liberi prorsus a curis essent; sed exultationem et ineffabile eorum gaudium timor aliquis consequebatur ex ipsa gratia, ne forte pejoris partis tentarentur occasionibus. Ipsa enim gratia in tuto res ipsorum ponebat, ne vel ad minimum excederent a recto. Atque ut puerulus parvo calculo in murum solidum conjecto nullum ei damnum infert; aut jaculum hebes loricam firmam minime lædit; sic pars illa malitiæ reliqua in ipsos impetum faciens inefficax et frustraneum esse demonstrabatur, quod illos nimirum Christi virtus optime munivisset. Cæterum quantumlibet perfectis, libertas tamen arbitrii inerat. Non enim verum est, quod quidam inscite garriunt, post acceptam gratiam, nihil nisi laxationem et quietem restare. Requirit enim Dominus in perfectis quoque voluntatem animæ in obsequium Spiritus, ut hæc invicem consentiant. Dicit enim Apostolus: « Spi» ritum nolite extinguere [1]. »

XVII. Simplici nomenclatione designare res, facile cuivis et factu pronum est. Facile quippe omni homini est dicere panem hunc, (ut hoc exemplo utamur) ex frumento esse compactum; quo autem modo quave arte tota ejus præparatio administrata fuerit singillatim exponere, haud quivis queat; sed id eorum saltem est, qui experientiam rei habent. Ad hunc igitur modum cuilibet in promptu est, de affectuum vacuitate et perfectione disserere; experientia vero capessere negotium, hoc vero est reipsa et in veritate methodum perfectionis percipere.

XVIII. Quicumque de spirituali doctrina, sine gustu et experientia disputant, eos aio ego esse similes homini, per æstatem, meridie calidissimo existente, per campum desertum aridumque transeunti; atque in siti, qua multa et flagrantissima torquetur, animo sibi fontem fingenti ge-

[1] 1 Thess. v, 19.

Digitized by Google

lidum proxime fluentem aquam dulcem et crystallinam habentem; et ea se ad satietatem usque, nullo prohibente prolui. Aut homini, qui, cum mel omnino nunquam gustarit, tamen aliis declarare conatur, quanta sit ejus suavitas. Tales profecto sunt quicumque reipsa et intimo in se ipsis experimento eorum, quæ ad perfectionem, sanctificationem et perturbationum abolitionem pertinent, non ante præparati, alios de his docere disserendo volunt. Etenim si dederit his Deus, ut vel exiguum aliquem horum, quæ inexperti prædicat, sensum percipiant, tunc demum clare intelligent veritatem et ipsas res non secundum eorum expositionem, sed multo aliter sese habere.

XIX. Evangelium quidem diserte præcipit omni homini, hoc non agere; hoc agere; si velit amicus fieri amantis homines regis. Ait enim: « Ne irascaris: Ne concupiscas: » Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et » alteram [1]. » At Apostolus distincte ac minutatim exequens partes singulas rerum præceptarum, qua sensim ratione administrari oporteat purgationis opus, cum patientia nimirum et longanimitate, edocet. Primum quidem lacte pascens, ut infantes; deinde promovens in augmentum, postremo ac perfectionem perducens. Atque ut in exemplo rem exponamus: Evangelium quidem perfectam ex lana exhiberi tunicam mandat; Apostolus autem distincte insuper tradit, qua methodo pectendum sit, qua inde texendus arte pannus, et quomodo in tunicam is sit præparandus.

XX. Sunt quidem a fornicatione quidem apparente, a furto, ab avaritia similibusque abstinentes delictis; ac propterea se ipsos accensentes sanctis; a cujus tamen veritate appellationis longo absunt intervallo. Habitat enim in mente ac sensibus ipsorum malitia sæpe; vivit et serpit,

[1] Matth. v, 39.

Digitized by Google

necdum iis plane relictis foras profecta. Sanctus porro is demum est, qui est sanctificatus et interiorem perfecte purgatum habet hominem. Etenim aliquis fratrum, una simul cum aliis quibusdam fratribus orans, divina captivatus vi, et raptus, vidit supernam civitatem Jerusalem, et lucidas, quæ illic sunt, domos, et lucem immensam atque ineffabilem. Audiit quoque vocem dicentem hunc esse locum justorum requiei; deinde inflatus et magna de se præsumens, in grave incidit peccatum, et multis consequenter implicatus est malis. Si ergo hic ita lapsus est, quomodo poterit e vulgo aliquis dicere: Quandoquidem jejuno, et peregre dego, et facultates meas dispertior; prætereaque a supra memoratis custodivi me malis, nihil profecto deest, quominus ego quoque sanctus sim? Etenim non ab apparentibus malis abstinentia, est perfectio, uti dictum est; sed mentis purgatio, eaque perfecta.

XXI. Hæc qui reputas, ingredere, aio, per attentam in cogitationes tuas vigiliam, penitus intra captivam tuam et servam peccati mentem; et vide illam adhuc infra cogitationes ipsas in imis, quæ dicuntur, animæ penetralibus tuæ nidulantem anguem; interficientemque te suo inficiendis veneno primariis animæ tuæ membris. Abyssus enim vere inscrutabilis cor est. Si ergo hunc occidisti, si quantum erat in te iniquitatis, totum expurgasti, et peccatum ejecisti, gloriare in Deo de puritate. Sin minus, humiliatus, uti egenus et peccator adhuc, accede ad Christum, pro occultis tuis orans. Apparet enim universam tam veteris quam novi fœderis Scripturam ad puritatem præcipue referri; quippe cum omni homini tam Judæo, quam Græco, imprimis expetibilis puritas sit; quanquam eadem cunctis haud adeo adeptu facilis; pertingere autem ad istam cordis munditiam, aio neminem aliter, quam per Jesum solum posse. Ipse enim substantialis vere veritas est; absqu

Digitized by Google

quali veritate impossibile est, aut nosse veritatem, aut salutem assequi.

OPUSCULUM VI.

De Charitate.

I. Sicut in hisce apparentibus exteriori homini renuntiasti, erogasti et distribuisti res tuas; sic et renuntiare te præoccupationibus pravis circa res morum oportet; et si sapientiam didicisti carnalem, aut cognitionem es adeptus negotiorum, et hanc abdica. Si justificationibus carnalibus confidis, ab his quoque absiste humilians te ipsum et in parvum contrahens. Sic enim « Stultitia prædicationis [1] » percipere doctrinam poteris. In hac autem veram invenies sapientiam; non in sermonibus exquisite ornatis, sed in crucis virtute. His quasi elaboratus transcriberis in sortem eorum, qui digni habiti sunt eamdem acquirere. « Crux » enim Christi, ait Paulus, Judæis quidem scandalum; » gentibus autem stultitia; nobis vero, qui salvamur, Dei » virtus et Dei sapientia [2]. »

II. Etiamsi acceperis gustum e cœlo; etsi particeps sis factus sapientiæ illius, et requiem habueris in anima tua; neque sic extollaris; neque quasi jam perveneris ad omnem veritatem, eamque comprehenderis, arroganti apud te sis confidentia. Ne et tu audias: « Jam saturati estis: » jam divites facti estis; sine nobis regnatis; et utinam » regnetis, ut et nos vobiscum regnemus [3]. » Sed etsi gustaveris, te, tanquam nondum christianismum attigeris, esse reputa. Neque hoc superficiarie præ te feras velim; sed ut

[1] 1 Cor. I, 21. — [2] Ibid. 18. — [3] Id. IV, 8.

Digitized by Google

penitus insitum semper, ac intime sanctum in mente sit tua.

III. Ut avarus quispiam, etsi pecuniam congesserit innumerabilem, haud exsatiatur, sed plura potius desiderat; aut qui a potione dulcissima ante satietatem depulsus est, sitim magis accendit: sic Dei gustus contra omnem satietatem gloriari novit, imo quanto quis magis istiusmodi divitiis abundat, tanto magis considerat, se esse pauperem. Tales Christiani non habent in æstimatione sua pretiosam animam propriam; sed velut quidam prorsus nihili, sic se coram Deo dejectos tenent, servosque omnium hominum se ipsos reputant. De tali valde gaudet Deus, et in ea suaviter requioscit anima, ejus humilitate delectatus. Si ergo aliquid habet quispiam, ne propterea inflетur, existimans esse aut habere se aliquid. Nam arrogans confidentia abominatio est Domino; et hæc a principio ejecit e paradiso hominem. Is enim cum audisset: « Eritis sicut » dii [1], » concepit illam insanam spem, et in dementem intumuit fiduciam. Considera, quomodo Deus tuus et Rex tuus, sed et Dei Filius, « Se ipsum exinanivit, formam servi » accipiens [2]. » Quomodo pauper factus est, quomodo cum inhonoratis est reputatus, quomodo passus est. Si autem ille cum Deus esset talia ultro subiit: tu homuncio concretus carne et sanguine; tu terra et cinis, heu me! tu nullam ex te boni particulam omnino habens; sed totus quantus es ex immunditia conflatus, altum sapis, et gloriando te ostentas? Quin tu si quidem sapis, propter hoc ipsum, quod accepisti a Deo, dic: Meum hoc non est; ab alio accepi; et cum ipsi videbitur, prorsus auferet a me id quod dedit. Sic omne quidem bonum Domino, malum autem tuæ ipsius ascribe infirmitati.

IV. Quem ait Apostolus, « Thesaurum se habere in

[1] Gen. III, 5. — [2] Philip. II, 7.

Digitized by Google

» vasis fictilibus [1], » sanctificantem existima Spiritus virtutem, quam adhuc in carne superstes dignus habitus est accipere. Etenim alibi rursus idem dicit : « Qui factus est » nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et re» demptio [2]. » Qui igitur invenit et apud se habet cœlestem hunc Spiritus thesaurum, omnem justitiam mandatorum, omnem operationem præscriptam, non pure solum et irreprehensibiliter, sed etiam sine labore et ærumna potest exequi, quod antea citra laborem multum facere, tantum aberat, quin posset. Neque enim valet quis, quantumvis velit, fructum Spiritus vere ac prout oportet excolere, ante perceptionem boni Spiritus. Itaque vim sibi quivis inferat subinde per patientiam currens et fidem, ac ferventer Christum oret, ut thesaurum istum cœlestem queat assequi ; et tunc omnem justitiam in ipso et per ipsum præstare poterit pure ac perfecte ; sine labore, inquam, et ærumna.

V. Qui divinas divitias Spiritus in se ipsis habent, quando cum aliquibus miscent spirituales sermones, eas quasi promentes e proprio thesauro, iis, quibuscum conversantur, communicant. Qui vero istiusmodi opes non recondiderunt in penetralibus cordis, ex quo divinorum sensuum, mysteriorumque et doctrinarum naturæ captum excedentium præstantia redundaret ; sed deflorata solum quædam e libris utriusque Testamenti, summa in lingua ferunt ; aut auditores facti spiritualium virorum ; eorum doctrina se ostentant, quæ ab iis perceperunt tanquam sua proferentes, et partus sibi subjicientes alienos. Hi sane aliis quidem facilem præbent eorum, quæ dicunt, fruitionem ; ipsi vero post dictionem reperiuntur mendicis similes. Quippe cum ad suum quæque verum auctorem, quæ ipsi falso pro suis venditarunt, sponte quasi sua redeant, ipsis in egestate

[1] 2 Cor. IV, 7. — [2] 1 Cor. I, 30.

Digitized by Google

domestica relictis, utpote qui thesaurum non possideant proprium; quem si haberent, possent se quidem primum ipsos oblectare, aliisque deinde, unde juvarentur, impertire. Propterea primum debemus a Deo nobis veras istas divitias comparare, tunc facile poterimus prodesse aliis communicando ipsis doctrinas spirituales et mysteria. Sic enim complacuit divinæ bonitati, habitare in quolibet qui crediderit; etenim « Qui diliget me, inquit, diligetur a » Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me » ipsum. » Et alibi: « Ego et Pater veniemus, et mansio- » nem apud eum faciemus [1]. »

VI. Qui eo digni habiti honore sunt, ut filii Dei fierent, et Christum in se ipsis resplendentem circumferrent, variis et differentibus modis a sancto reguntur Spiritu, et in arcano cordis a gratia demulcentur. Nihil vero conducibilius est, quam aliqua voluptatum genera, quæ in mundo conspicua sunt, in medium adducere, ut quibus fruitur anima gratiæ divinæ oblectamentis, iisdem comparentur. Est videlicet quando sancti videntur quibusdam velut excipi regiis epulis supra modum opiparis ac lautis, iisque jucundissime, imo ultra quam exprimi dicendo queat, beate saginari. Et nunc quidem ut sponsa cum sponso spiritualiter congaudentes; nunc ut incorporei quidam Angeli, in tanta agilitate sunt et levitate, ut putent nullo corpore se circumvestiri. Aliquando veluti potu aliquo exhilarati, et inebriati ebrietate ineffabili mysteriorum Spiritus exultant. Aliquando fletu et luctu squallent, ob hominum salutem cum gemitu ingemiscentes. Nam divino erga omnes homines amore accensi ob totum humanum genus luctu comprehenduntur. Et interdum tanto amore cum voluptate verbis non exprimenda inflammati sunt, ut si fieri possit, omnem prorsus hominem, sine discrimine boni, mali, innocentis, scelerati,

[1] Joan. xiv, 22 et 23.

intra suæ viscera colligere charitatis, et fovere cupiant. Nonnunquam adeo se vilipendunt, ut pateat neminem sibi esse inferiorem ; quin et postremos omnium se esse existiment. Et nunc quidem inenarrabili absorpti sunt Spiritus gaudio, mox veluti aliquis ex fortibus heroïbus regia indutus armatura in bellum descendit, atque hostes propulsat ; eumdem in modum et ipsi armis Spiritus muniti invisibiles adoriuntur inimicos, eosque propriis conculcant pedibus. Est cum ipsos multa circum amplectitur serenitas et tranquillitas, paxque fovet beata, voluptate imis in sensibus delibutos prorsus mira. Rursus prudentia, sapientia divina et cognitione Spiritus ineffabili beantur, et tot ac tantas res a gratia Christi edocentur, ut nulla lingua ea possit effari. Est vero quando non alii ac unus ex vulgo appareant. Sic multifariam divina gratia se ipsam varians ac multipliciter transformans exercere vult, ac diverse instruere animam, ut perfectam ipsam immaculatam, purissimam super cœlesti sistat Spiritui.

VII. Hi quos modo diximus Spiritus effectus magnorum graduum sunt, et perfectioni proximorum. Hæ siquidem diversæ consolationes gratiæ, differenter quidem cæterum indesinenter in iis a Spiritu exercentur, operatione operationem Spiritus semper excipiente. Quando enim aliquis ad perfectionem Spiritus pervenerit, cunctis perfecte perturbationibus purgatus, et totus Paracleto Spiritui per ineffabilem communionem unitus ; et cum ejus anima ad eam evecta dignationem fuerit, ut Spiritus et ipsa sit, in unum cum Spiritu concreta ; tunc totus lux, totus gaudium, totus requies, totus exultatio, totus charitas, totus visceralis compassio, totus bonitas, totus benignitas fit ; et quasi absorptus immergitur in virtutes potentiæ boni Spiritus, sicut in abysso maris lapis aqua undecumque comprehensus. In hunc igitur modum tales homines om-

Digitized by Google

nimode Dei Spiritui cohærentes ipsi Christo assimilantur, virtutes Spiritus immutabiles in se ipsis habentes; et fructus iis consentaneos cunctis exhibentes. Fieri enim nequit, ut, cum intus ipsi inculpati et puri per Spiritum effecti sint, fructus extra malitiæ proferant; sed omni ex parte per omnia fructus in iis Spiritus elucent. Talis profectus est spiritualis perfectionis, « Plenitudinis Christi, » in quam occurrere nos Apostolus adhortatur dicens : « Ut » impleamini in omnem plenitudinem Christi. Et rursus, » « Donec occurramus in virum perfectum in mensuram æta- » tis plenitudinis Christi [1]. »

VIII. Est quando, simul ac incipit aliquis genu flectere, plenum huic repente divina operatione fit cor; et anima condelectatur Domino, ad instar, ut dictum est, sponsæ cum sponso. Hoc magnus dicit Isaïas : « Quo enim modo » gaudet sponsus super sponsam, sic gaudebit Dominus » super te [2]. » Est etiam, quando contingit occupari quidem talem tota die; una autem ubi se idem hora orationi permiserit, rapitur ab ipsa interior homo, et immenso profundo illius sæculi futuri tenetur comprehensus. Oblectat autem ipsum arcana et ineffabilis voluptas, ita ut mens quidem obstupescat tota suspensa, et in sublime rapta; oblivioque internis sensibus subrepat terrenæ hujus mundi sapientiæ; utpote repletis ipsi objecto digniori cogitationibus, ut dictum est, et captivis procul abductis contemplatione infinitarum et incomprehensibilium rerum; ut in illa hora per orationem homini accidat, evolare simul cum oratione ipsius animam.

IX. Ad interrogantem autem : an possibile homini sit in eo semper statu durare? sic respondendum est : Nunquam quidem gratiam non inesse, et non penitus radicari, quasi coalescentem in naturam unam homini in quo est.

[1] Ephes. III, 19, et IV, 13. — [2] Isaï. LXII.

Digitized by Google

Cæterum una cum sit ipsa, non uno tamen modo, sed multipliciter, prout vult, et convenire videt ad ipsius utilitatem hominis, varias vicissitudines dispensat. Nam aliquando quidem acriorem ipsi, aliquando languidiorem flammam subjicit. Est quando lux magis resplendeat; est, quando contrahat fulgorem, et caliginem obducat quamdam, divina prorsus dispositione, lampade inextinguibiliter nihilominus ardente. Quando vero fulgentiori puriori radiat lumine, velut abundantiori potu exhilaratus homo festum diem celebrat. Est etiam cum ipsum in cordo micans lumen alteri lumini sub intimis profundius latenti velut fenestram aperit, ut homo totus dulcedine illa et speculatione plane absorptus, non amplius in se ipso sit; sed quasi fatuus et noxius habeatur mundo, propter inusitatas illecebras amoris et voluptatis et profunditatem, quibus dignus habetur mysteriorum. Et contingit sæpius isto tempore ipsum perfectorum contingere graduum mensuram, et omni liberum esse peccato et irreprehensibilem; verum posthæc contrahi rursus quodam modo gratiam; et ab adversaria potestate velum iterum obtendi.

X. Sic tecum reputa res gratiæ se habere. Finge tibi residere perfectionem in duodecimo gradu; est igitur, ut ad hanc gradus mensuram liceat ascendere; sed vicissim remittit gratia, et uno descendens gradu in undecimo, ut ita loquar, subsistit. Ubi mirabilia illa ipsi ostenduntur, et quorum ille experimentum cœpit homo; sed eodem modo si hæc se semper haberent, non esset ipsi possibile, ut dispensationem hanc gratiosam et onus illud sustineret. Neque sane audire, nec curare quidlibet quamvis minimum rerum humanarum potest, nisi quod jacet tantum in angulo correptus, et suspensus, et inebriatus. Unde perfecti ipsi gradus mensura non indulgetur; ut et fratrum curam habere, et ministerio verbi vacare possit.

Digitized by Google

XI. Cum audiendo sermones de regno Dei ad pias lacrymas movemur, non acquiescamus iis lacrymis tanquam nostris; neque has imputemus aut auribus nostris, quasi bene audierint; aut oculis, quasi bene viderint, et sufficere istos sensus ad talia reputantes. Etenim aliæ sunt aures, alii oculi, alii fletus, uti et alia mens et anima alia; divinus nempe ipse ac supercœlestis Spiritus audiens et flens, orans et cognoscens, voluntatemque in veritate divinam faciens. Quandoquidem Apostolis Dominus maximum promittens Spiritus donum : « Vado, ait, at Paracletus » Spiritus sanctus, quem Pater mittet in nomine meo, » ille vos docebit omnia[1]. » Et rursus : « Adhuc multa ha» beo vobis dicere; sed non potestis portare modo; cum » autem venerit ille Spiritus veritatis, deducet vos in om» nem veritatem[2]. » Ille igitur orabit, ille lacrymabitur. Etenim « Quid oremus, inquit divinus Apostolus, prout » oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis » gemitibus inenarrabilibus[3]. » Nam ipsi Spiritui soli Dei voluntas perspecta est. Siquidem « Quæ Dei sunt, inquit, » nemo novit, nisi Spiritus Dei[4]. » Quoniam et quando juxta promissionem, die Pentecostes descendit Paracletus, et virtus boni Spiritus animabus Apostolorum insedit; velamen quidem illud, quo innata homini pravitas mentem obumbrat, plane ab iis ablatum est; vitiosi vero affectus aboliti sunt; oculique mentis ipsorum sunt aperti. Et tunc de cætero sapientia repleti, et perfecti constituti a Spiritu, per illum quidem et Dei voluntatem facere decreverunt, per illum et ad omnem veritatem manuducti sunt, regnantem in animabus ipsorum. Quando ergo nobis quoque audientibus verbum Dei, in lacrymas resolvi contigerit, oremus Christum, fiducia omnem dubitationem pellente, ut venia ad nos, certo sperantes, suum

[1] Joan. xiv, 26. — [2] Id. xvi, 22. — [3] Rom. viii, 26. — [4] 1 Cor. ii, 2.

Digitized by Google

Spiritum, auditurum et oraturum in nobis ad ipsius voluntatem.

XII. Rem sic se habere puta : incumbit vis quædam superne obtegens expeditam mentem, ut aër quidam tenuis; ardente nihilominus semper et lucente, ut dictum est, lampade; sed illi ejus luci quoddam superne quasi operculum imponitur; unde qui ejusmodi est, haud inficias iverit, nequaquam esse se perfectum, nec ex toto liberum a peccato; verum, ut sic dicam, liberum simul et non liberum, id vero haudquaquam omnino sine Numine; sed per dispensationem divinam. Ac nonnunquam quidem dissolvitur et scinditur ille «Medius paries maceriæ;» quandoque omnino non dissolvitur. Neque pari per omnia in his passu procedit orationis negotium; sed est quando amplius accenditur gratia, et consolatur, et quietem præbet; et rursus, quando hebetior, et remissior fit, prout ipsa gratia accommodate ad ipsius utilitatem hominis benevole providens, varie dispensat. Ingressus tamen sum certis momentis in perfectam mensuram; gustum percepi et experientiam habui beati illius ævi. Nondum autem quemquam vidi Christianum perfectum, aut omni ex parte, in tempus omne, liberum. Sed requiescit aliquis in gratia, et mysteriorum ac revelationum fit particeps; et in multam dulcedinem gratiæ intrat; et peccatum rursus nihilominus inest ipsi. Tales porro propter exuberantem gratiam et lumen ipsos illustrans, per imprudentiam dico, perfecti esse et liberi videntur sibi; ego vero nondum, uti dixi, vidi ullum hominem perfecte liberum; nam et quadam ex parte mihi contigit, momentis quibusdam in illam, quatenus dictum est, mensuram ingredi. Et novi, edoctus experimentis, qualis demum sit perfectus homo.

XIII. Cum audire tibi contigerit de communicatione sponsi cum sponsa, de choris, de cantu, et festis nihil

Digitized by Google

materiale aut terrenum cogitaveris. Etenim in exemplum duntaxat per condescensionem hæc assumuntur. Quoniam illa, quæ his designantur, spiritualia et oculis carneis incontigua sunt. Animæ vero sanctæ ac fideli sub comprehensionem veniunt et ipsa communicatio sancti Spiritus, et supercœlestis thesauri, chori ac festa sanctorum Angelorum. Quin isti tantum homini manifesta fiunt, qui experimentum eorum cœperit; non introductus autem in hæc adyta, nec qualemcumque talium formare ideam potest. Reverenter igitur de hujusmodi rebus audi, quoad tibi contingat credenti ut dignus habearis fruitione tuarum rerum. Et tunc scies ipsa experientia oculorum animæ, qualium bonorum animæ Christianorum fieri compotes queant. Nam in resurrectione corpori quoque continget horum esse participi, videreque illa et quodam modo palpare, quando ipsum spirituale factum fuerit.

XIV. Propria animæ nostræ decora, et boni fructus, videlicet oratio, charitas, fidesque et vigilia et jejunium, et alia virtutum officia, ubi mixta per participationem fuerit communioni Spiritus, tunc et ipsa, velut thymiama conjectum in ignem, opulentam emittunt fragrantiam: sed et nobis redditur facile conversari congrue ad voluntatem Dei; utpote cum sine Spiritu sancto, quemadmodum jam anteà dictum est, nemo possit intelligere Dei voluntatem. Ut enim quæ viro nubit mulier, prius quidem quam ei conjungatur, proprio vivit arbitrio, et prout ipsi libitum est de se consulit; simul autem sub mariti convenerit manum, sub eo rerum omnium actionumque suarum moderatore vivit, se respicere ipsam ex eo desinens; pari modo et anima prius habeat voluntatem quamdam propriam, leges ususque proprios, opera propria: postquam vero digna facta fuerit, quæ supercœlesti viro jungeretur

Digitized by Google

Christo, subjicitur legi viri, non amplius suam, sed sponsi sequens voluntatem.

XV. Nuptialem vestem Spiritus gratiam esse puta, quam qui induere dignus non fuerit, cœlestium nuptiarum epulique spiritualis particeps non erit. Ponamus studium in spirituali et divino bibendo vino, et inebriemur ebrietate sobria, ut, quemadmodum qui vino pleni sunt, loquaciores fiunt, ita et nos spirituali hoc large hausto mero, mysteriorum divinorum eloquamur narrationes. «Et calix tuus (ait David) inebrians me quam præclarus est[1]!»

XVI. Ipsa est illa pauper Spiritu anima, quæ cognoscit quidem sua vulnera; cognoscit vero etiam eas, quibus circumambitur, perturbationum tenebras, et a Domino continue liberationem quærit. Quæ tolerat quidem labores: de nullo autem eorum, quæ super terram sunt, bono gaudet; sed in bono tantum medico, et in ejus curatione confidit. Quomodo igitur hæc vulnerata anima decora et formosa erit, et ad vitæ societatem individuam cum Christo ineundam apta? quomodo aliter, quam perspectam habendo antiquam suam originem, et claram præ se ferendo propriorum vulnerum et mendicitatis notitiam. Nam si iis, quæ habet, vulneribus et cicatricibus passionum non delectatur, nec patrocinatur delictis suis, non imputat ipsi suam deformitatem Dominus; sed venit et sanat ac curat eam, nullique obnoxiam alterationi et immarcessibilem quamdam ei restituit pulchritudinem. Tantum ipsa ne libero assensu participet iis, quæ fiunt, ut dictum est; neve consentiendo ea comprobet, quæ inordinatæ perturbationes operantur: sed tota virtute ad Dominum clamet ut per bonum ipsius Spiritum liberare se dignetur a cunctis pravis affectibus. Beata profecto talis anima; væ autem illi,

[1] Psal. xxii, 5.

Digitized by Google

quæ sensum intimum non capiet vulnerum suorum; quæque omnis se pravitatis funditus expertem per multam et immensam putaverit pravitatem. Talem enim neque bonus invisit medicus; nec sanat; quoniam sollicitudine non tangitur vulnerum propriorum; utpote quæ se bene habere, ac vigere sanitate existimet. « Non enim, inquit, egent qui » sani sunt medico, sed qui male habent[1]. »

XVII. Beati revera, et invidendi ob vitæ et exuperantis naturæ modum fruitionis felicitatem, quicumque per ferventem fidem, et vivendi usum ad virtutum normam exactum, super cœlestium sancti Spiritus mysteriorum sensu et experientia notitiam perceperunt, et conversationem in cœlis habent, tales omnium, qui uspiam vivunt hominum, præstantissimi sunt. Id quod demonstrari manifesto potest. Cui enim potentum, aut sapientum, aut prudentum, ascendere in cœlum contigit, interim dum versantur in terra; et illic operari opera spiritualia, et pulchritudines divini Spiritus intueri? Nunc vero pauper aliquis in speciem, summe pauper et exinanitus; ac ne vicinis quidem vel minimum notus, procidens in faciem suam coram Domino, ascendit in cœlum ducente sancto Spiritu, et in plena fiducia suæ animæ, mirabilibus illic rebus delectatur; ibique operatur, ibi diversatur, ibi conversationem habet, juxta divinum Apostolum dicentem: « Nostra autem conversatio in cœlis est[2]. » Et rursus: « Quæ oculus non vidit, et auris non audivit; nec in cor » hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum. » Mox subjungit: « Nobis autem revelavit Deus » per Spiritum suum[3]. » Ili sunt vere sapientes et potentes, hi et nobiles et prudentes.

XVIII. Quinetiam non habita ratione cœlestium illorum,

[1] Matth. IX, 12; XII, 17, et Luc. V, 31. — [2] Philip. III, 20. — [3] 1 Cor. II, 9, 10.

Digitized by Google

e solis his quæ præsentia sunt de sanctis judicans, non dubitabis, eos omnium longe hominum celsissimos pronuntiare. Age res dijudicetur hoc modo. Nabuchodonosor Babylonis imperator, congregatis, quibus præerat, gentibus ad adorationem statuæ, quam erexerat, Dei hoc ita sapientissime moderante providentia, ut et puerorum omnibus conspicua virtus fieret, et cuncti discerent unum esse Deum verum, qui in cœlis habitat. Tres pueri, iique captivi, ac libertate privati, ausi sunt ipsi obsistere; et cunctis, ex multo metu adorantibus, nec quidquam præter obsequium tentantibus; mutarum ritu pecudum, quo trahebantur, sequentibus; illi tantum abfuerunt, ut similia aliis paterentur; ut neque ignorari sint passi suam de religione sententiam: nec latere sustinuerint, sed cunctis audientibus dixerint: « Deos tuos non colimus et statuam » auream, quam erexisti, non adoramus[1]. » Quos cum in pœnam terribilis illa fornax excepisset, non sane vim suam exeruit, ac quasi et ipsa venerata ipsos esset, a malis eos immunes conservavit. Universis ac rege *ipso* Deum jam verum agnoscentibus. Hos equidem non magis terras incolentium, quam in cœlis degentium chori plausu celebrarunt. Nam heroïca facinora sanctorum haudquaquam esse ignota cœli incolis; sed hos illis accursu et testes adesse, divinus innuit Apostolus, dum ait: « Spectaculum » facti sumus Angelis et hominibus[2]. » Potes et hæc in Elia videre qui unus homo cum esset contra plurimos prævaluit, per devocationem ignis e cœlo. Sed et Moyses universam Ægyptum et Pharaonem tyrannum superavit. Idem in iis quæ de Loth, in iis quæ de Noë, quæ de multis aliis narrantur, cernere est, qui cum apparerent contemptibiles, multis illustribus et potentibus superiores evaserunt.

[1] Dan. III, 18. — [2] 1 Cor. IV, 9.

Digitized by Google

XIX. Unius fere cujusque, quas videmus rerum, ea conditio est, ut ni eis subveniat alienæ naturæ auxilium, quantum in ipsis est, ad operandum inutiles, informesque relinquantur. Ineffabilis enim Dei sapientia mysteria et typos per ea quæ in oculos incurrunt, iisque monstrat naturam humanam sibi relictam soli esse insufficientem ad exhibendum in se perfectum virtutum ornatum, et spiritualem sanctimoniæ decorem, nisi divinæ subsidio perfruatur manus. Sicuti terra in suis manens naturalibus, nisi agricolarum artibus laboribusque præparetur; præterea que nisi et imbrium et solis benignos recipiat influxus, inepta est et minime sufficiens ad gignendos fructus. Similiter et domus quælibet ut fiat habitabilis, eget lumine solari, alienæ utique ab ipsa naturæ; quo si careat, oppleta tenebris nulli sit usui. His similia multa videbis. Ad hunc igitur modum humana quoque natura impotens per se ipsam est, ad fructus virtutum perfectos producendos; indigetque ad id opera spiritualis agricolæ animarum nostrarum, qui est Spiritus Christi, alienæ profecto a nostra naturæ, cum nos creaturæ, ipse increatus sit; et excolendis arte sibi propria fidelium cordibus, iis, inquam, quæ se tota voluntate spirituali colono præbent, efficiat ea feracia perfectorum Spiritus fructuum; et lumen ejus splendeat in obtenebrata perturbationibus affectuum animæ nostræ domo.

XX. Duplex Christianis est bellum et duplex lucta. Nam et ea, quæ se corporis oculis objiciunt, invitant, titillando irritant et provocant animam ad se affectu complectenda, et ad oblatis per ipsa voluptatibus fruendum; ultraque hæc, adversus acris principis mundi principatus et potestates.

XXI. Gloria Mosis, quam in facie habuit, typus veræ gloriæ sanctissimi Spiritus erat; quemadmodum enim

Digitized by Google

illic nemo poterat intendere oculos in Mosis faciem[1]; sic et nunc resplendentem in anima christiana ejusmodi gloriam tenebræ affectuum non sustinent: sed ab illo abactæ fulgore diffugiunt.

XXII. Ei, qui veritatem et Deum amat, quique cœlestem dulcedinem gustavit, et insitam concretamque penitus animæ possidet gratiam, totumque se arbitriis gratiæ permisit: omnia sæculi hujus exosa sunt. Præstantior quippe hic et superior est quibuscumque mundi rebus; sive aurum dixeris, sive argentum; sive honores et dignitates, sive congratulationes et laudes; nullo talium capi potest, quoniam aliarum longe divitiarum, alterius excellentioris dignitatis gustum experiendo percepit, et voluptate incorruptibili anima ejus alitur; sensuque intimo ac possessione beata communicatis ab inhabitante ipsi Spiritu fruitur bonis.

XXIII. Hujus tanta est supra vulgares homines excellentia, quantum ratione præditus pastor eminet supra brutas pecudes; tantum, inquam, antistat mortalium cæteris sapientia, scientia, discretione; quippe qui alium spiritum, aliam mentem, aliam prudentiam ac sapientiam, quam prudentia mundi est, possidet. « Sapientiam enim, » inquit, loquimur inter perfectos, sapientiam vero non hu» jus sæculi; neque principum hujus sæculi, qui destruuntur, » sed loquimur Dei sapientiam in mysterio[2]. » Propter hæc cunctis hominibus, mundi spiritum habentibus, uti dictum est, seu prudentiæ, seu sapientiæ comparatione, ille a nobis descriptus immenso intervallo supereminet; siquidem hic « Omnes homines dijudicat[3], » secundum quod scriptum est: spiritualis, inquam, cognoscit unumquemque, discernens unde loquatur, ubi stet, in quibus versetur. Ipsum autem vicissim dignoscendi aut dijudicandi, nemini spiritum mundi habentium facultas est; nisi qui pariter

[1] Exod. xxxiv, 30, et 2 Cor. iii, 7. — [2] 1 Cor. ii, 6. — [3] Ibid. 15.

Digitized by Google

cum eo Divinitatis impertitus Spiritu fuerit, ut ait de talibus loquens divinus Apostolus : « Spiritualibus spiritualia » comparantes; animalis autem homo non percipit quæ sunt » Spiritus Dei. Stultitia enim est illi; spiritualis autem ju» dicat omnia : et ipse a nemine judicatur[1]. »

XXIV. Non aliter cuiquam contingere sanctissimi hujus Spiritus participatio potest, quam si plane peregrinus factus huic sæculo, totum se addicat inquisitioni charitatis Christi; ita ut omnibus, quæ circa materiam versantur, curis solutus animus, uni huic assequendo scopo vacet, quo sic dignus fiat in unum cum Christo coalescere spiritum, ut ait Apostolus : « Qui adhæret Domino unus spiri» tus est[2]. » Animæ vero quæ omnino cuipiam rerum hujus sæculi defixa est, aut in eam affectu aliquo propendet; puta divitiis, gloriæ, aut amicitiæ mundanæ, non erit possibile fugere, et trajiciendo perrumpere tenebras diabolicarum potestatum.

XXV. Veritatis et Dei amantes animæ, ne brevem quidem intermissionem admittere sustinent amoris quo erga Dominum flagrant; sed totæ ex toto cruci hujus confixæ, spiritualem profectum sensu quodam intimo et arcana intelligunt experientia. Vulneratæ igitur isto desiderio, et, ut sic dicam, famelicæ justitiæ omniumque virtutum, atque illustrationis boni Spiritus, etsi mysteriis dignæ divinis; etsi lætitiæ cœlestis et gratiæ factæ participes sint, non tamen in se confidunt, neque esse se aliquid putant; sed quanto abundantius consequuntur spiritualia dona, tanto avidius inexplebiliter inhiant ulteriori participationi cœlestium gratiarum; tantoque ad hanc se laboriosius enitendo disponunt. Rursus quanto dulcius sentiunt se proficere in Spiritu, tanto quasi gulosius appetunt perceptionem deliciarum earumdem; et spiritualiter locupletatæ,

[1] 1 Cor. II, 13-15. — [2] Id. VI, 17.

Digitized by Google

sibi quantum in ipsis est, pauperes videntur juxta divinam Scripturam : « Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient[1]. »

XXVI. Tales animæ et gratiam accipiunt plenæ liberationis a perturbationibus affectuum; et illustrationem et communionem divini Spiritus in plenitudine gratiæ perfecte assequuntur. Diversæ autem ab his, pigræ, laborum impatientes, non quærunt sanctificationem cordis (unde et quasi in carne adhuc existunt) non ex parte sed integram per perseverantiam et patientiam recipere; quæ neque sperant omnibus sensibus et plena fiducia cordis participes Spiritus Paracleti fieri, perque ipsum a perturbationibus malitiæ liberari, licet gratiam divinam adeptæ sint. Sed a malitia illusæ omnem sollicitudinem remittunt, veluti receperint jam gratiam, et, quæ ex ipsa fluit, consolationem, et spirituali dulcedine perfruantur. Unde et faciles in tumorem mentis incidunt, non contritæ corde, nec sitientes, nec anhelantes ad perfectam extinctionis affectuum mensuram; acquiescentes exigua hac gratiæ consolatione; et magis in elationem, quam in humilitatem proficientes, unde et gratia potius, quam consecuti erant, spoliantur. Non sic vere Dei amans anima, ut præcedens declaravit sermo; quantumlibet enim innumeris se commendabilem fecerit officiis virtutum; etiamsi acerrimis vigiliis corpus extriverit; utcumque donis Spiritus magnis et variis, etiam revelationum et communicationis mysteriorum fuerit digna habita; de se tamen adeo sentit modice, ut sibi videatur ne rudimentum quidem adhuc ponere cœpisse vitæ secundum Deum rectæ : nedum se possidere ullam præstantiorum in via Spiritus æstimet dotium; tota interim vehementi charitatis nisu ad Christum insatiabiliter amandum incumbens.

[1] Eccli. XXIV, 29.

Digitized by Google

XXVII. Ad hunc gradum pertingere, neque cito, neque facile contingit ulli. Sed præcedant necesse est multi labores et certamina, moræ longæ et studium cum probatione et tentationibus variis, usque dum ad perfectam mensuram quietis perturbationum perveniatur. Ita enim demum per cuncta contentionum ærumnarumque genera exploratus, et tentationibus a malitia suscitatis animose toleratis, magnorum deniquo bonorum, et donorum Spiritus, opumque divinarum beatur; postremoque hæres fit regni cœlestis.

XXVIII. Anima vero non habens quidem hanc, de qua diximus, exquisitæ conversationis solertiam; neque dum intimi sensus experimento sibi conscia ejus, quæ est in corde suo, sanctificationis, lugeat et quærat a Domino ferventer, ut boni hujus et operationis Spiritus quæ in mente fit per arcanas contemplationes, efficiatur compos. Porro quemadmodum juxta ecclesiasticam legem, in delictis deprehensi corporeis, segregantur quidem primum per sacerdotem; deinde præscripta canonibus pœnitentia exhibita, communioni restituuntur; qui vero sine offensione et pure vixerunt, promoventur ad sacerdotium, et ab exteriori loco interius ad altaris viciniam admissi, statum jam et ordinem accipiunt, ut ministri et assessores Domino fiant; ad consimilem modum rem se habere reputemus in hac mystica Spiritus communione, qua dictum ab Apostolo est: « Gratia Domini nostri Jesu Christi, » charitas Dei et Patris, et communicatio sancti Spiritus[1]. » Videbis, inquam, similem hic quoque quasi disciplinæ ordinem. Habitat enim divina Trinitas in anima pure vivente, cum adjuvante ipsam divinæ benignitatis auxilio; habitat autem non in quantum in se est; sic enim est incomprehensibilis universæ, quanta est, creaturæ; sed in quantum aptus et capax est homo. Postquam vero anima in quopiam

[1] 2 Cor. XIII, 13.

Digitized by Google

offenderit, transgrediens ordinem divinum, ac Dei spiritum contristaverit, ejicitur et segregatur a spirituali lætitia mens, divina quidem gratia, et charitate omni, et operatione Spiritus sese contrahentibus; lapsa in defectum anima afflictionibus interim, et tentationibus, et malignorum spirituum vexationibus, tradita; quoad rursus recte jam ambulans, denuo se ad Spiritus beneplacitum adaptaverit; deinde velut per omnes circumducta pœnitentium gradus, confessione nempe et humiliatione, visitatione tandem iterum gratiæ beatur; quin et cœlestis uberiorem interdum mensuram lætitiæ recipit. Quod si nulla in re Spiritum contristaverit, sed juxta Dei beneplacitum vixerit, cunctis pravis cogitationibus valide resistens, Dominoque indivulse adhærens; talis merito ac consequenter nunquam interrupto auctu proficit anima, donisque ineffabilibus instruitur; nec non a gloria in gloriam, a quiete in perfectiorem quietem transferetur. Denique et usque ad supremum, quo perducere christianismus *hominem* potest, perfectionis apicem progressa, perfectis operariis, et inculpatis Christi ministris in æterno regno adjungetur.

XXIX. Hæc quæ videmus in paulo ante memorato sacrorum ritu, figuras esse puta et umbras occultorum. Templum puta visibile cordis, sacerdotem, veri sacerdotis Christi gratiam: et sic porro. Ut igitur in Ecclesia visibili nisi prius fiant sacræ lectiones, et quæ cætera canone ecclesiastico consequi debent, procedant, psalmodiæ et sacrum ipsum mysterium corporis et sanguinis Christi peragi a sacerdote, insequens est. Vicissim autem, si vel maxime ecclesiasticus canon expletus fuerit, oblatio autem mystica non celebretur a sacerdote, nec Eucharistia et communio corporis Christi administretur, haud perfecte absolvitur ecclesiasticarum cæremoniarum ordo, et mancus mutilusque Dei cultus ac religio est. Sic mihi tu de Christiano

Digitized by Google

quolibet cogita. Si enim is in jejunio quidem et vigilia, et in psalmodia item et in cunctis officiis virtutum universarum omni se diligentia exercuerit : nec tamen eo unquam proficiendo pertingat, ut mystica Spiritus operatio in altari cordis ejus a gratia cum sensu intimo, et omnis spiritualis quietis arcana expérientia peragatur, imperfecta fuerit tota illa præcedens series religiosarum observationum, et ferme inutilis non habens exultationem spiritualem, arcane in corde productam.

XXX. Bonum est jejunium, bona vigilia, bona similiter omnis exercitatio, et vita peregre traducta ; cæterum hæc prœmia sunt status et conversationis Deum vere amantium ; unde inconsultum profecto est iis magnopere confidere. Est enim, quando gratiæ cujusdam participes fiamus : et tum malitia intus in nobis subsidens, (prout superius est memoratum a nobis) subdole agit et sponte se subtrahit; nec operatur, quæ sua sunt. Sed hominem inducit, ut existimet mentem suam esse emundatam : et sic porro impellit eumdem in perfectionis persuasionem. Tum vero latronum ritu in ipsum facit impetum, eumque in infima usque terræ præcipitat. Sunt homines innutriti tractationi armorum, qui annis viginti aut latrocinio, aut militiæ assuevere ; quippe sciunt machinationes in rebus militaribus. Hi subsident, et insidiis intenduat, ac hostium avertunt aures ; et sic insilientes trucidant ex improviso. Quanto magis malitia, tot millium annorum, et opus hoc perdendi animas sibi proponens, insidias noverit ejusmodi in cordis abscondito comminisci, et temporibus opportunis de industria. Imo quietam esse et non operari, ut animam ipsam in persuasionem perfectionis pertrahat? (An ergo cum hi tali dolo et successu fraudes struere didicerint usa duarum decadum annorum : existimabimus diabolum, qui nobis ingenitæ pravitati præsidet, non multo plus etiam in

hoc genere sciro ac posse?) Christianismi fundamentum, quantacumque quis obierit omnium officia virtutum, his tamen non acquiescere; non iis confidere; non inde magnum quid se fecisse, reputare; neque ubi gratiæ particeps est factus, repente, ac se comprehendisse arbitrari; multo minus velut jam saturum otiari; quin tum magis esurire ac sitire: lugere ac flere, ac contritum penitus cor habere.

XXXI. Cogita mihi sic se habere spiritualem statum. Finge tibi animo palatium quoddam regium, aulis constans diversis; ac vestibula quidem principio extare, partesque anteriores ædium; tum introrsum continua serie penitius recedentes alias, in quibus et purpuram et thesauros verisimile sit latere reposita. Deinde rursus post has adhuc interiora conclavia: ubi diversari rex ipse creditur. Ut igitur si quispiam istiusmodi extimas tantum quasdam forte ingressus mansiones, existimaret se ipsa jam penetralia domicilii tenere, vehementer erraret: ita in rebus spiritualibus se res habet; qui bellum ventri et somno inferentes, in Psalmorum quoque decantatione, et continuatione precum perseverant, ne putent se pervenisse jam ad metam, ac quietis inscendisse cubile. Unde enim hæc persuasio? Adhuc eorum in primoribus porticibus et circa aulas hæret conversatio; nondum ubi purpura et thesauri regii sunt repositi; licet gratiæ spiritualis alicujus sint beati; ne quæso hoc eos decipiat, ut apicem arripuisse jam se perfectionis putent. Explorare aliquem æquius fuerit; ecquid in suo vase fictili thesaurum invenerit? Ecquid jam induerit Spiritus purpuram? An regem viderit, et conquieverit? Etenim existima rursum animam quidem profunditatem quampiam habere et membra multa. Peccatum autem subrepsisse putet in membra omnia; et cogitationes quoque cordis occupasse. Deinde postquam homo requi-

Digitized by Google

sivit Spiritus gratiam, eam venire, et duas apprehendisse forsitan animæ partes. Id cum sentiret imperitus gratiæ hujus, opinatur universa pariter animæ membra gratiæ comprehensa vi teneri, ac peccatum ex ea prorsus eradicatum; nesciens plerasque adhuc animæ partes occupari a peccato. Concesso enim (ut sæpius demonstratum est) gratiam indesinenter operari, sicut oculum in corpore; cum eo tamen nihilominus est verum simul cum ea subesse pariter malitiam, latenter mentem fallentem. Qui ergo haud satis novit discernere, quasi magnum quid jam sit assecutus, magnum aliquid de se ipso opinatur; et quasi ultima purgatione ad purum excoctus sit, inflatur. Sed multum a vero abest hæc ejus vanissima persuasio. Ut enim præcedens sermo monstravit, ars hæc est Satanæ; quodam tempore de industria se abscondere, ac, quasi recessisset, intermittere operari quæ solebat; hoc spectantis, ut arrogantem sui fiduciam parum cautis spiritualibus ingeneret. Verum enimvero qui plantat vineam, haud statim vindemiat ejus fructum. Neque qui semen in terram jacit, frumentum eodem tempore in horrea convehit. Quid ergo an recens natus infans perfectæ subito incrementum adipiscitur ætatis? Respice in Jesum. Ex quanta gloria filius Dei et Deus cum esset Christus, in quot qualesque perpessiones, ignominiam et crucem descenderit; et rursus propter illam ipsam ejus humiliationem superexaltatus idem fuerit, adeo ut sedeat ad Patris dexteram. At malus serpens subseminata primo suo susurro in Adami animo cupiditate Divinitatis, in quantam ipsum dejecit ignominiam, illius superbissimi juxta punitione desiderii. Hæc igitur ipse reputans, consule tibi, constituens quantum potes in securo res tuas; et stude semper humiliare tuum cor, et illud habere contritum.

Digitized by Google

OPUSCULUM VII.

De libertate mentis.

I. Cum audieris descendisse Christum in inferos, et detentas illic animas liberasse; non longe distare illa ab his, quæ nunc geruntur, puta. Cogita mihi sepulcrum esse cor. Ibi cogitationes et mentes defossas gravi teneri comprehensas caligine. Venit igitur Dominus ad animas in inferis ipsum clamore magno invocantes, in profundum videlicet cordis advenit; et ibi morti imperans: Dimitte, ait, clausas isthic animas, me qui possum eas liberare, ut id faciam orantes. Deinde gravem lapidem removens superpositum animæ, tumulum aperit, et, quæ vere erat mortua, resuscitat; quæque obscura custodia conclusa tenebatur animam liberat.

II. Contingit sæpe insusurrare tibi Satanam in aurem cordis, et dicere: Scis quot et quanta perpetrasti mala? repleta tibi sceleribus est anima; gravaris multis et fœdissimis peccatis. Non te lateat suggerentem talia malum dæmonem id agere, ut te in desperationem, humilitatis prætextu, contrudat. Ex quo enim pertransgressionem primam irrepsit in hominem malitia, liber aditus diabolo datus est ad animam quotidie alloquendam, ut homo hominem et ad eidem suggerenda absurda. Responde igitur illi tu: «At habeo scriptas asseverationes Dei aientis: Nolo »mortem peccatoris; sed ut convertatur per pœnitentiam, »et vivat[1]. » Quam enim aliam potuit habere causam des-

[1] Ezech. xxxiii, 11.

Digitized by Google

cendendi, nisi ut peccatores salvos faceret, jacentes in tenebris illuminaret, vitæ redderet mortuos?

III. Ut adversaria potestas, ita et divina gratia ceu hortatoria, non necessitatem inducens esse ostenditur; ut vere nobis libertas, et nostri potens arbitrium servetur. Inde est, cur eorum, quæ homo inductus a Satana perpetraverit mala, non a Satana potius exigantur pœnæ, quam ab homine ipso; utpote qui non vi adactus, sed propria voluntate persuasus, malitiæ assenserit. Similiter autem et in bono, non ascribit successum sibi, sed homini gratia, et ei propter hoc gloriam apponit; quoniam ipse sibi boni causa fuerit. Neque enim necessitatem inducente vi, ut dictum est, constrictam ipsius voluntatem facit immobilem gratia; sed, etiam cum præsens adest, libero cedit arbitrio; ut manifestetur, quænam sit ejus voluntas; uti se habeat erga virtutem et malitiam. Posita quippe lex est, non naturæ, sed sui compoti arbitrio, electionis in alterutrum domino, nempe ad bonum et malum.

IV. Custodire oportet animam eamque a conversatione corpus cum corpore coïens altero ad immunditiam polluitur; sic et anima corrumpitur malis et sordidis copulata cogitationibus, concordansque et assentiens: enim arcere profanarum malarumque cogitationum. Ut nec iis solum quæ ad nequitiam et impuritatem; sed et illis quæ ad quodvis malitiæ impellunt genus, velut, infidelitatis, doli, vanæ gloriæ, iræ, invidiæ, rixæ. Et hoc est, « Mundare nos ipsos ab omni inquinamento carnis et spiri» tus[1]. » Esse enim quamdam puta et corruptionem et fornicationem in occulto animæ ab impuris illic cogitationibus perpetratam; et quemadmodum, « Qui templum Dei » violaverit (juxta magnum Apostolum) disperdet illum » Deus[2], » quod Dei templum corpus est; sic qui polluit

[1] 2 Cor. VII, 1. — [2] 1 Cor. III, 17.

Digitized by Google

animam et mentem, assentiendo pravis, pœnam utique debet. Custodire igitur convenit, sicut a visibili peccato corpus, ita et animam a cogitationibus immundis; quoniam hæc sponsa Christi est. « Despondi enim vos, ait, uni viro » virginem castam exhibere Christo[1]. » Audi quoque Scripturam dicentem : « Omni custodia serva cor tuum; quia ex » ipso vita procedit[2]. » Et, « Perversas cogitationes separare » a Deo[3]; » rursus disce a divina id docente Scriptura.

V. Rationem exigat a sua unusquisque anima, discernens et explorans, ad quænam afficiatur? Et si haud consonans Dei legibus contigerit videre cor; omni conatu quemadmodum corpus, ita et mentem conservare incorruptam studeat, atque impuris assensum cogitationibus negantem. Siquidem velit juxta promissionem introduci in convictum et choros purarum virginum[4]. Cohabitatio enim et familiaris conversatio puris omnino et in recti amore fixis promissa est animabus.

VI. Sicut agri proprii diligentissimus colonus novat eum prius et ex eo spinas tollit; ac tum demum injicit semina; ita et qui a Deo expectat sementem gratiæ accipere, purgare prius debet animæ suæ agrum, ut semen deinde in eum incidens Spiritus, perfectos et multiplices reddat fructus. Nam ni hoc fiat ante omnia, et nisi mundaverit quis se ipsum ab omni inquinamento carnis et Spiritus, caro est et sanguis, et longe distat a vita.

VII. Undecumque hostis machinationes astutas, dolos et maleficia, circumspicere oportet. Etenim ut Spiritus sanctus per Paulum « Fit omnibus omnia, ut omnes sal- » vos faciat[5] : » sic et spiritui malo in studio est, omnia fieri, ut omnes in interitum propellat. Itaque is cum orantibus simul orare simulat, id spectans, ut ex ipsa oratione sumat

[1] 2 Cor. xi, 2. — [2] Prov. iv, 23. — [3] Sap. i, 3. — [4] Apoc. xiv, 4. — [5] 1 Cor. ix, 22.

Digitized by Google

ansam decipiendi orantem subjiciatque eidem arrogantem confidentiam; cum jejunantibus jejunat, ut ipsos inanibus decipiat et dementet. Scripturarum habentibus notitiam, similibus dat operam sub specie scientiæ cupiens eos subvertere. Cum aliqui revelationis lumine beantur, videtur et ipse ejusmodi habere. « Transfigurat enim, ait Paulus, »se Satanas in Angelum lucis [1]. » Ut opinione fictæ lucis deceptos ad se adducat. Et, ut cuncta ejusmodi semel colligam, mira se artium subtilitate in omnia variat, quo similitudine subjugatos, boni specie apparentis in veram alliciat irreparabilemque perniciem; « Consilia, inquit, »destruentes et omnem altitudinem extollentem se adver»sus scientiam Dei [2]. » Vide quousque superbus ille impostor audendi proterviam extendat, ut non dubitet conari eos ipsos dejicere, qui divinum Numen in cognitione veritatis possideant. Ut adeo unumquemque oporteat cor suum omni custodia servare; multamque a Deo prudentiam poscere, ut det nobis, deprehendere diabolicæ malignitatis artes; prætereaque exercitare, ac quasi elaborare mentem ac cogitationes nostras elimando per spiritualem curam sine intermissione convenit, et ad Dei voluntatem adaptare ipsas; quo non majus nec pretiosius opus est. « Confessio, enim ait, et magnificentia opus ejus [3]. »

VIII. Dei amanti animæ, utcumque omnia bona faciat, nihil sibi, sed Deo cuncta ascribere mos est. At Deus vicissim sanam ejus et rectam, cum admixtione prudentiæ, scientiam attendens, in contrarium plane modum omnia ipsi imputat; ac velut illa sola laborasset, et suis unius viribus in solidum cuncta peregisset, sic ei remunerationes admetitur. Enimvero si Deo luberet rigido nobiscum judicio agere; nihil prorsus homini ab eo vere debitum reperiretur, quandoquidem possessiones, pecunia cunctaque

[1] 2 Cor. xi, 14. — [2] Id. x, 5. — [3] Psal. cx, 3.

Digitized by Google

hujus vitæ bona, quæ instrumenta bene operandi bonis sunt in solidum ejus dominio subjacent. Terram et universa quæ illa fert aut continet; ipsum corpus, ipsam animam, sed et ipsum esse, homo per gratiam habét. Quid igitur ipsi relinquitur proprium, unde possit in confidentiam inflari, aut spem concipere vera ratione nixam obtinendi districto judicio quasi jure sibi debitum quidpiam? Cæterum hanc maximam ex hominibus Deus percipit gratiam; et hoc ex iis quæ ipsi offeruntur unum longe jucundissimum accidit; anima res, uti se vere habent agnoscat; et quæcumque facit bona, quæcumque propter Deum mala tolerat, quæcumque intelligit et sentit, imputet supremo Largitori, et uni ei accepta referat.

IX. Sicut Israëlitas, quoad quidem ad Domini beneplacitum se conformarunt (etsi nunquam id illi ea qua oportuerat diligentia fecerunt,) verum quandiu saltem in speciem sana in eum fide se præditos utcumque operando monstrarunt, columna ignis et nubes præibat, mare autem iis dans transituris viam recedebat; ipsique innumerisque aliis adjuti miris operibus fuere; quando autem a fidelitate Deo debita defecerunt, tunc et hostibus sunt dediti, et diris servitutibus attriti sunt. Sic et tu reputa similia contingere animæ, postquam per gratiam Deum agnoverat; postquam a multis per eum sordibus fuerat abluta, gratiisque præterea exornata; cum fidem charitatemque tot nominibus debitas cœlesti suo Sponso ad extremum non præstiterit, ut excidat vita, cujus particeps erat effecta. Eo enim usque potest vis exitialis Satanæ pertingere, ut etiam eos dejiciat, qui ad tam sublimem istum dignitatis ascenderunt apicem. Quocirca contendendum tota virtute est, ut cum timore et tremore invigiletur conservandæ spirituali vitæ; iis maxime, qui Spiritus Christi participes sunt facti. Quam ad rem cavendum diligenter est, ne quid ab iis par-

Digitized by Google

vum aut magnum oscitanter fiat, unde contingat Domini Spiritum contristari. Quemadmodum enim « Gaudium est » in cœlo, ut veritas testatur, super uno peccatore pœni- » tentiam agente [1] ; » sic et mœror vicissim super una anima excidente ab æterna vita.

X. Quando gratiæ dignationem acceperit anima, tunc ei maxime utiles sunt scientia, prudentia et discretio; quas propterea ipsas res Deus illi, dummodo postulet, largitur, ut ad beneplacitum per has possit servire Spiritui, quod ut faceret, est illi per gratiam indultum ; in quo cavere sollicite debet, ne illi subrepat insidians innata malitia, ne labatur per ignorantiam; ne idcirco, quod negligenter et sine timore vivat, pervertatur ad aliquid agendum, quod Domini voluntati non congruat.

XI. Sicut operatio affectuum, quæ est Spiritus erroris, tenebrarum et peccati mundum hunc animans, in eo domicilium obtinet homine, qui plenus turget dictatis sapientiæ carnalis ; ita e contrario vis et operatio lucidi Spiritus in homine sanctificato habitat ; juxta dicentem : « An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur, » Christi [2] ? » Et rursus : « Vivo autem jam non ego ; vivit » vero in me Christus [3]. » Et, « Quicumque in Christo » baptizati estis, Christum induistis [4]. » Et Dominus : « Ve- » niemus ego et Pater meus, et mansionem apud eum fa- » ciemus [5]. » Hæc non obscure, nequo otiose, sed in virtute et veritate iis, qui digni habentur, insunt. Lex enim prius sermone experte substantiæ instruebat homines, grave ipsis et importabile imponens jugum, et nullum valens porrigere auxilium ; ex eo quod non posset virtutem Spiritus conferre. Sicut ait Paulus : « Nam quod impos- » sibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem [6], etc. »

[1] Luc. xv, 10. — [2] 2 Cor. xiii, 3. — [3] Galat. ii, 20. — [4] Id. iii, 10. — [5] Joan. xiv, 23. — [6] Rom. viii, 3.

Digitized by Google

Ab adventu autem Christi ostium gratiæ credentibus in veritate apertum est; Deique virtus et operatio Spiritus ipsis suppeditatur.

XII. Postquam Christus, prima et naturalis bonitas, donum Spiritus divinis transmisit Discipulis, exinde credentibus divina illa virtus obumbrans, et eorum inhabitans animas, medetur quidem passionibus peccati, tenebris autem et morte ipsos liberat. Eatenus quippe et vulnerata et carcere clausa erat anima, et caligine peccati undique comprehensa. Denique nunc quoque anima nondum gratiam sortita inhabitantem in se Dominum habendi; nec in se intime sentiendi informantem animantemque sese, ac penitus fœcundantem omni operatione virtutem Spiritus divini, in tenebris adhuc est. Quibus autem divini Spiritus supervenit gratia, et imis mentis ipsorum penetralibus insedit; his sane Dominus vice animæ est. « Qui enim » adhæret Deo, divinus ait Apostolus, in unum cum eo » coalescet Spiritum [1]. » Et ipse Dominus, « Sicut tu Pa» ter in me, et ego in te, ita et ipsi in nobis unum *sint* [2]. » O bonitatem et dignationem indultam tantum depressæ a malitia hominum naturæ! Cæterum uti quando pravitati vitiorum adhærebat anima, unum idemque quasi cum ipsis erat; et quanquam propriam habebat voluntatem, tamen quod illi lubebat, nequibat facere. Quod et Paulus de se ait: « Non enim quod volo hoc facio [3]; » quanto utique magis Dei virtute cum sanctificata et digna eo facta anima conveniente, in unam illa cum Deo voluntatem erit. Fit enim anima tunc vere quasi anima Dei, per hoc quod sponte, et ex proposito regenti se submittit boni Spiritus *virtuti*, et per propriæ voluntatis vias non amplius ambulat. « Quis » enim, inquit, nos separabit a charitate Christi [4]? » Quæ vox est animæ unitæ Spiritui sancto.

[1] 1 Cor. VI, 17. — [2] Joan. XVIII, 21. — [3] Rom. XVII, 19. — [4] Ibid. 35.

Digitized by Google

XIII. Qui vult imitator esse Christi, et per hoc consequi ut appelletur filius Dei, utpote genitus ex Spiritu, cum ante omnia convenit occurrentes afflictiones, sive hæ corporei morbi sint, sive injuriæ ab hominibus, sive opprobria, seu etiam ex insidiis invisibilium hostium, animose ac fortiter tolerare. Per divinam providentiam sapienter ac benevole cuncta disponentem, permittuntur advenire animabus ejusmodi probationes adversitatum variarum, ut manifestentur quæ inter eas sincere Dominum diligunt. Signum id fuit ab omni ævo sanctis Patriarchis, Prophetis, Apostolis et Martyribus, ut per angustam hanc viam tentationum et afflictionum transirent, et sic Deo placerent. « Fili, ait Scriptura, accedens ad servitutem » Dei, præpara animam tuam ad tentationem, deprime cor » tuum et sustine. » Et alibi, « Quæ inferuntur tibi omnia » ut bona excipe; sciens quoniam sine Deo nihil fit[1]. » Patientiæ igitur et spei ante omne aliud opera danda est animæ Deo placere volenti. Una enim hæc est ex artibus diaboli, torporem nobis injicere in tempore afflictionis, ut avertat nos a spe in Domino ponenda. Nunquam autem Deus tantum fatigari tentationibus permittit animam in ipsum sperantem, ut ad incitas redacta, omnis inops consilii æstuet. « Fidelis enim, ait Apostolus, Deus est, qui » non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed fa» ciet etiam cum tentatione eventum ut possitis sustinere[2]. » Neque vero diabolus, quantum ipsi libitum est, affligit animam; sed qua mensura id agere sinitur a Deo. Si enim hominibus ignotum non est, quantum oneris portare mulus possit, quanto par ferendo sit asinus, quanto camelus; unde consentaneum cujusque viribus cuique pondus imponunt; et si perspectum figulo est, quanto temporis spatio vasa in fornace relinqui debeant, ne longius æquo ibi

[1] Eccli. II, 1, 2. — [2] 1 Cor. X, 13.

Digitized by Google

hærentia dissiliant ; nec rursus, ante sufficientem coctionem cum eximuntur, inutilia fiant : si tanta, inquam, in homine prudentia est, multo atque adeo infinitis partibus magis, divina Sapientia perspicit, animæ cuique quantum pondus tentationis immitti debeat, ut per eam probetur, idonea regno cœlorum fiat.

XIV. Sicut cannabis mataxa nisi diu tunsionem ferat, non habebit usum attenuationis in fila subtilissima ; sed quanto contusa longius fuerit, quanto radiis pectinum sulcata crebrius, tanto purior utiliorque evadet. Et quemadmodum recens formatum vas, quoad induratum igne fuerit, ineptum est usibus humanis ; denique veluti puer parvulus non idoneus est ad functiones vitæ, cum nec ædificare, nec plantare, nec semen in terram jacere ad hoc paratam valeat ; aut aliud quid ex usu mundi hujus agere : sic animæ plerumque, licet divinæ participes gratiæ, etiamsi per Dei benignitatem indulgentem infantiæ ipsarum, perfusæ fuerint dulcedine cœlesti, usque ad gustandam Spiritus requiem ; nondum tamen probationibus exercitæ ; nondum exploratæ malorum spirituum insultibus variis ; nihil ultra puerilem sunt progressæ balbutiem, ut ita dicam, necdum aptæ regno Dei sunt. Etenim « Si extra disciplinam (ait divinus Apostolus) estis, cujus » participes facti sunt omnes ; ergo adulteri, et non filii » estis [1]. » Itaque et tentationes et afflictiones utiliter immittuntur homini ; utique probatiorem et robustiorem ejus animam reddentes, quas si ad finem usque pertulerit, cum spe ad Dominum, fieri non poterit, quin consequatur promissiones Spiritus, et liberationem a perturbationibus affectuum pravorum.

XV. Quemadmodum per multa traducti tormenta Martyres, postquam usque ad ipsam etiam perferendam

[1] Hebr. XII, 8.

Digitized by Google

mortem robur invictæ fortitudinis ostenderunt, coronis sic gloriæ facti sunt digni : ac quanto pluribus et gravioribus perfuncti laboribus sunt, tanto majorem apud Deum claritatem ac libertatem sunt adepti : pariter animæ diversi generis afflictionibus traditæ, sive iis, quæ palam ab hominibus proficiscuntur, sive quæ intra mentem contingunt exurgentibus cogitationibus absurdis ; sive quæ morbis corporeis sese exerunt; si patienter perseverando usque ad finem toleraverint, easdem cum Martyribus coronas, eamdem apud Deum consequentur libertatem; quandoquidem Martyrium afflictionum, quod Martyres ab hominibus sunt passi, hi ab impressionibus acerbis infestorum ipsis malignorum spirituum pertulerunt; ac quanto plures hi quoque gravioresque adversantis insultus diaboli perpessi fuerint, tanto abundantiorem gloriam, non in futurum solum a Deo recipient, sed et hic quoque uberiori beabuntur Spiritus consolatione.

XVI. Quandoquidem in confesso est arctam et angustam esse viam quæ ducit ad vitam, ideoque paucos esse, qui per eam transeunt : omnis diaboli tentatio propter nobis repositam in cœlis spem robuste ac constanter sustinenda est; quantascumque enim tandem tribulationes pertulerimus, quid hæ comparandum habent, aut cum futura repromissione; aut cum jam hinc dari solita consolatione boni Spiritus; aut cum liberatione a caligine pravarum inclinationum; aut cum multitudine debitorum? « Non enim sunt, ait, condignæ passiones hujus tempo» ris ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis[1]. » Omnia ergo, ut dictum est, ferre fortiter debemus, propter Dominum; uti generosi milites ne mori quidem pro nostro imperatore dubitantes. Cur enim, quando mundo et sæcularibus attendebamus rebus, molestias eas, in quas

[1] Rom. VIII, 18.

Digitized by Google

postea incidimus, non experiebamur; sed nunc cum accessimus ad serviendum Deo, multiplices illas tentationes patimur? Vides propter Christum has in nos immitti afflictiones ab adversario invidente nobis speratas retributiones, languoremque ac desidiam injicere animabus nostris studente, ne ad Dei beneplacitum vita transacta, promissis præmiis donemur. Omnes ejus contra nos irritæ fiunt machinæ nobis cum Christo pugnantibus. Hic enim magnus, hic invictus nobis protector et propugnator præsto est. Reputemus animo ipsum quoque, quando pertransivit hoc sæculum, opprobriis oneratum, impugnatum, irrisum, denique ignominiosa morte per crucem consummatum esse.

XVII. Si voluerimus omnem afflictionem et tentationes sustinere facile, mors propter Christum optetur a nobis, et is scopus voti nostri obversetur perpetuo mentis nostræ oculis. Id quippe est nobis præceptum, ut tollamus crucem nostram et sequamur ipsum; quod significat paratos nos esse debere ad moriendum. Si sic affecti præparatique animo fuerimus, omnem, ut dictum est, afflictionem internam et apparentem facilitate perferemus magna. Mori enim utique pro Christo cupiens, quæ tandem ægre ferre adversa vel molesta poterit? Ob hoc ipsum enim graves esse putamus afflictiones, quia nobis non placet pro Christo mori, nec spes ac rationes nostras ex eo ducere suspensas. Qui vero Christum possidere, et tam opimam hæreditatem desiderat cernere, ejus quoque imitari passiones similiter concupiscat. Quare qui se dicunt amare Dominum, in eo demonstrabunt, an vere id affirment, si omnem ipsis supervenientem afflictionem non generose modo, sed libenter etiam et amanter, ob spem in ipso positam, perferant.

XVIII. Eum, qui ad Christum accessit, oportet ante

Digitized by Google

omnia, etiam per vim ad bonum trahere se ipsum, quamvis reluctante nostro corde. « Vim enim patitur, ait mentiri nescius Dominus, regnum cœlorum, et violenti rapiunt illud[1]. » Opus quoque est eumdem contendere intrare per angustam portam. Oportet igitur, ut dictum est, ipsos vel invitos adigere se ad virtutem; ad charitatem, qui charitate carent; ad mansuetudinem, qui hac indigent; ad habendum cor humanum et miseriis alienis compatiens, quinetiam ad sustinendas æquo animo ignominias et despectus, et in pace durandum etiam cum vilipenditur. Quos sic laboriose certantes Deus viderit, subjugantesque ut multa rebellantem inutiliter naturam, et frangentes contumaciam cordis trahi ad bonum recusantis, eos etsi nondum orationi assueverint, et nondum precandi donum Spiritus adepti fuerint; illis dat orationem veram, dat viscera misericordiæ, patientiam, longanimitatem, et ut semel dicam, replet nos omnibus fructibus Spiritus. Si vero quis aliarum quidem egens virtutum sit, ad orationem tamen solam ipsum contingat, vi etiam sibi facta, incumbere, ita ut donum orationis aliquod assecutus sit; ad parandam autem mansuetudinem, humilitatem, charitatem, et totam illustrem illam familiam virtutum; prætereaque ad firmam obtinendam fidem fiduciamque in Christum, remissus sit ac negligens; tali aliquando datur oratio illa gratiæ ex parte in gaudio et quiete, juxta illius desiderium a bono Spiritu; sed aliorum idem expers manet omnium bonorum; eo quod ad eorum quoque acquisitionem vim sibi non inferat, ut dictum est, nec a Christo ea postulet. Oportet enim non solum ad prædicta urgere se ipsum etiam invitum, et a Deo eadem eo usque, quoad assequamur, petere; sed et dijudicare non utilia aut prorsus otiosa verba; meditari autem semper ore et

[1] Matth. xi, 12.

Digitized by Google

corde divina oracula; nec porro irasci, et clamore uti. « Omnis enim, ait, amaritudo, et ira, et clamor tollatur a » vobis [1]. » Similiter vitet murmurare de quoquam, vitet judicare temere, vitet inflari despiciendo superbe alios. Sic enim se gerens consequetur, ut Dominus ipsum sibi acriter imperantem cernens, ac trahentem se ad bonum multo nisu, viqne adhibita, tribuat illi omnino gratiam facile ac sine labore agendi, quæ prius vix conatu anhelo, ac summa contentione, propter reluctantem innatam corruptionem, poterat exequi; et tunc redduntur ipsi cuncta hæc officia virtutis, quasi ea, quæ naturaliter operatur. Quoniam de cætero Dominus, juxta promissionem, ingressus in ipsum est, et in eo residet, uti vicissim et ipse in Domino; unde in ipso Dominus intime habitans, sua ipse intra eum et per eum mandata multa facilitate implet.

XIX. Qui ad orationem duntaxat vi se adhibita cogit, uti prius exposui; præterea vero ad humilitatem, ad charitatem, ad mansuetudinem, aliarumque virtutum ordinem in se accersendum non elaborat, nec se in id violentia adigit; ad hunc tantummodo profectus terminum potest pertingere, ut interdum ei poscendi divina gratia adveniat, quoniam pro innata sibi bonitate Deus petentibus amanter innuit quæ volunt. Cum autem is non assuefecerit se ipsum, nec usu tritum exercitando sese fecerit in cæteris, quas memoravimus, virtutibus, aut excidit gratia quam acceperat, et elatus in superbiam labitur: aut in illo, quem attigit, gradu non proficit, nec crescit. Fere enim sedes ac requies est boni Spiritus humilitas, charitasque ac mansuetudo, et quæ sequuntur sancta Christi mandata. Qui ergo voluerit harum complexu concursuque pariter omnium per assiduum augmentum ad perfectionem tandem pertingere, primum quidem vim inferat sibi, ut dic-

[1] Ephes. IV, 31.

Digitized by Google

tum est, et contumaciter reluctans cor suum docile et morigerum Deo efficere studeat. Etenim qui sic sibi vim prius intulerit; et quidquid est in anima rebelle, totum id, velut cicuratam belluam, patiens jam imperii, et obediens ad nutum rectæ rationi, ac sanctæ disciplinæ, reddiderit; quique cum adeo jam bene se habente anima, petierit, et Deum oraverit, ut promoveat quod cœpit, obtinebit cumulate quantum postulat; benignissimo Domino largo illi concessuro, ut crescat et floreat indultum ipsi a Spiritu orationis donum; quod in de se modice sapientibus libenter et permanenter acquiescit. Hoc enim ipsum, cum charitate et charitatis prole mansuetudine expetierat. Et tunc gratificatur hæc illi Spiritus, et docet eum veram humilitatem, charitatemque non fictam, quas illa sibi vi poposcit. Sic igitur de cætero proficiens et perfectus in Domino regno dignus declaratur. Humilis quippe nunquam cadit; quo enim caderet, qui, quantum in ipso est, imo semper loco sub rebus omnibus jacet? quare magna quædam superbia humilitas; magna contra humilitas exaltatio et secura dignitas.

XX. Qui Deum vere amaverunt, neque ob spem regni elegerunt ei servire : quasi mercatores, lucrum; aut operarii, mercedem captantes; sed neque ob metum præparatæ peccatoribus pœnæ; verum in illum uti Deum solum et creatorem proprium affectu inclinati, ex recte conclusa inde ratione consequenter agnoscentes, æquum ac juste debitum esse, ut creaturæ conditori, servi Domino, propter ipsam ejus excellentiam, placere ac gratificari studeant; hoc agunt et conantur sincero piæ voluntatis nisu : cui et parem mentis attentionem merito adjungunt. Etenim ipsis multa est necessaria prudentia, si præcavere velint, ne quotidiana quæ accidunt, impedimenta ipsis sint placendi Deo ista intentionis puritate; siquidem non

Digitized by Google

egestas solum et igominia, sed et opes et honor tentationes animæ fiunt; quin et ex parte, ipsa consolatio, ipsa illa beata quies ex inhabitantis dono gratiæ complectens animam; nisi se illa tantum boni, mera Dei liberalitate, nullo suo nactam merito, intime sentiat, et multam insuper adhibeat, cum modica sui æstimatione, circumspectionem. Nam sine his, excellens hæc gratia, valde pronum secum affert periculum præbendi ei, quam ornat, animæ occasionem tentationis, et objiciendi profectui ejus obstaculum. Utpote insidiatore malo dæmone, conari solito hujus, qua videt frui animam, prætextu et fiducia nimia gratiæ, sensim relaxare contentionem in ulteriora nitendi, langoremque et neglectum injicere. Atque adeo ipsa gratia, ut secure innoxieque possideatur, exigit in illo qui eam percipit reverentem quamdam trepidationem, qua in vigiliam acuatur circumspectandi ac disponendi providenter cuncta; ut et donum tantum quanti valet æstimet; et dignos ejus fructus repræsentare studeat. Igitur, non ab afflictionibus solum, sed et a consolationibus periclitatur anima tentari. Et per ambas istas res a Conditore animæ probantur, ut his explorationibus manifesto appareat quales sint? mercenariæ-ne nundinatrices charitatis, quæstus sui causa Deum amantes; an solum propter se ipsum eum diligant, quod illum, ut est in sua natura propria, citra respectum ad nos, omni dignum amore honoreque sciant. Ut autem negligenti, modicam habenti fidem, et pueriliter adhuc sapienti, impedimento hæc sunt ad æternam vitam: videlicet tam acerbæ ac laboriosæ res, ut morbi, penuriæ, ignominiæ; quam his contrariæ, divitiæ, gloria, laudes et applausus hominum; prætereaque pungens in occulto Satanæ impugnatio; sic rursus, aliter dispositos, in loco memoratorum modo, ponens reperies: fervido in fide, prudenti, et generose forti subsidia potius et adjumenta res illas easdem esse ad

Digitized by Google

consecutionem regni Dei; « Diligentibus enim Deum (ait » divinus Apostolus) omnia cooperantur in bonum[1]. » Ex his igitur apparet, quis demum sit verus Dei amator; is nimirum, qui per cuncta, quæ in hoc mundo putantur obstare, perrupta, victa, calcata, tantum versus Deum amore feruntur, dicentes cum Propheta: « Funes pecca- » torum circumplexi sunt me, et legem tuam non sum » oblitus[2]. »

XXI. Divinus apostolus Paulus exactius et clarius demonstrare volens, quid vere sit perfectum christianismi mysterium in unaquaque anima credente, venire talem animam in hujus experimentum docet, per divinam operationem. Quæ scilicet operatio est supercœlestis luminis in revelatione et virtute Spiritus irradiatio. Ne forte quis, in hoc errans, putet nihil aliud esse illuminationem Spiritus nisi cognitiones vi humani productas intellectus; et propter istam ignorantiam, et desidiam periclitetur, a perfecto gratiæ excidere mysterio. Propterea exemplum circumambientis faciem Mosis Spiritus gloriæ, ad cognitionis repræsentationem haud dubie conformem refert. Ait igitur: « Quod » si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in » gloria, ita ut non possent intendere filii Israël in faciem » Moysi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur: quo- » modo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? Nam » si ministratio damnationis in gloria est, multo magis » abundat ministerium justitiæ in gloria. Nam nec glorifi- » catum est quod claruit in hac parte propter excellentem » gloriam. Si enim quod evacuatur per gloriam est; multo » magis quod manet in gloria est[3]. Quod evacuatur, » dixit, idcirco quod mortali corpori Mosis circumaffulgeret illa lucis gloria. Subjungit: « Habentes igitur talem spem » multa fiducia utimur[4]. » Et progressus paulum, ostendit

[1] Rom. VIII, 28.— [2] Psal. CXVIII, 61.— [3] 2 Cor. III, 7-11.— [4] Ibid. 12.

Digitized by Google

immortalem illam Spiritus in Apocalypsi gloriam, nunc in immortali, qui latet intus, homine, dignis immortaliter et inevacuabiliter resplendere. Ait ergo : « Nos vero omnes » (hoc est, per fidem perfectam ex Spiritu geniti) revelata » facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem » transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Do- » mini Spiritu[1]. Revelata facie, » animæ scilicet; et quando reversus quis fuerit ad Dominum, tolletur velamen. « Do- » minus autem Spiritus est[2] » Manifeste igitur per hæc monstravit velamen tenebrarum superinjectum fuisse animæ, quod ab Adami transgressione campum habuit naturam humanam pervadendi. Nunc autem per illustrationem Spiritus id auferri e fidelibus et vere dignis animabus; quæ et causa Christi adventus fuit. Nam Deo complacuit, ad talem mensuram sanctitatis pertingere eos qui vere in ipsum credunt.

XXII. Ea, de qua dictum est, « Spiritus irradiatio, » non solum intellectualium sensuum revelatio est, et illuminatio gratiæ; sed subtantialis et subsistentis lucis in animabus emissio. Nam illud : « Qui dixit de tenebris lumen » splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illumi- » nationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu[3]. » Et illud : « Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam » in morte[4]. » Hoc est, ne cum solvetur carne anima, obtenebretur mortis malitiæ velo. Illud præterea : « Revela » oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua[5]. » Illud quoque : « Emitte lucem tuam et veritatem tuam; » ipsa me deducent et adducent in montem sanctum tuum » et in tabernacula tua[6]. » Sed et illud etiam : « Signatum » est super nos lumen vultus tui, Domine[7]. » Et reliqua in unam eamdemque quam proposui sententiam conspirant.

[1] 2 Cor. III, 18. — [2] Ibid. 17. — [3] Id. IV, 6. — [4] Psal. XII, 4. — [5] Id. CXVIII, 18. — [6] Id. XLIII, 3. — [7] Id. IV, 7.

Digitized by Google

XXIII. Illa item quæ beato Paulo « Circumfulsisse lux[1] » dicitur in via, per quam et in tertium cœlum elevatus est, et mysteriorum ineffabilium auditor factus[2], non intellectualium sensuum et cognitionis illuminatio erat; sed virtutis boni Spiritus in substantia in anima facta irradiatio: cujus excessum splendoris non ferentes carnis oculi, excæcati sunt, per quam et omnis scientia revelatur, et ad veritatem Deus dignæ et amatæ animæ innotescit.

XXIV. Omnis anima, quæ per studium et fidem perfectam in virtute et plena certitudine gratiæ, digna facta est quæ Christum induceret jam hinc, et supercœlesti incorruptibilis imaginis luci uniretur; ea nunc quidem cognitione cœlestium mysteriorum in substantia, et prout sunt impertitur; in magna vero resurrectionis die, eadem illa supercœlestis claritatis imagine corpus quoque ipsius glorificatum, et a Spiritu, sicut scriptum est, in cœlos raptum[3]; et tanta dignatione honoratum, ut configuretur corpori claritatis ejus, regnum æternum vicissitudine successionum carens[4], Christo ipsi collega et consors habebit.

XXV. Quantum quis proprio studio et fide de cœlesti claritate Spiritus sancti participaverit, animamque bonis operibus ornaverit; tanto dignius efficiet corpus suum glorificatione, quæ illi in illam resurrectionis diem reservatur. Quod enim quisque intus nunc condidit, tunc prodibit exterius quemadmodum quæ per hyemem in sinu arborum latet vis generativa fructuum, verna temperie se foras exerit; ut et demonstratum superius est. Impressa ergo mentibus sanctorum deiformis imago Spiritus, quæ in occulto nunc latet, corpus quoque divina specie induet, et cœleste efficiet; profanorum vero ac scelestorum, quod nunc mundani spiritus velamen circuminvolvit, deformes stig-

[1] Act. IX, 3. — [2] 2 Cor. XII. — [3] 1 Thess. VI, 16. — [4] Philip. III, 21.

Digitized by Google

matibus criminum animas, mentesque, heu me! ipsorum, tenebrosas et fœdas reddit; tunc etiam corpora maculosa, in summum palam dedecus omnium oculis ostendet.

XXVI. Quemadmodum post transgressionem Adami, lata in eum sententia mortis justo Dei optimi judicio, primum executioni mandata est in ejus anima, vere per peccatum jam tum mortua, intellectualibus ejus sensibus, per privationem cœlestis et spiritualis gratiæ, extinctis, et ad mortuorum similitudinem redactis: posterius vero ad corpus quoque mors pervenit, expletis trahendo mortalem vitam annis triginta supra nongentos: sic et nunc per crucem et mortem Salvatoris humano generi reconciliatus Deus, restituit vere credentem animam adhuc carni devinctam in fruitionem spiritualium luminum et mysteriorum, et intellectuales ejus sensus divina luce gratiæ oculatos reddit; denique ipsum etiam corpus immortali et incorruptibili circumvestiet claritate.

XXVII. Qui se ab hoc mundo procul tenent, sancte et ex virtutum præscriptis viventes; adhuc tamen velamento perturbationum inumbrati; cui miseriæ, propter inobedientiam protoplasti obnoxii omnes sumus: carnali inquam, subjecti sensui, quem Apostolus «Mortem» merito appellat[1]; hi similes sunt hominibus noctu iter agentibus, ad lucem astrorum, quæ sunt Dei præcepta. Quandiu enim nondum perfecte liberati a tenebris sunt, clare omnia perspicere non possunt. Quibus et convenit, labore ac fide, virtuti attendendo, orare Christum solem justitiæ, ut illuminet corda ipsorum, quo possint exacte pervidere cuncta, et spiritualium bestiarum incursum in nos varium atque multiplicem; et incorruptibilis mundi pulchritudines arcanas ineffabilis et decoris et voluptatis, quo scilicet modo valde provectis in virtute, et quorum cordibus lu-

[1] Rom. VII, 24.

Digitized by Google

men intellectuale radios immisit, talia omnia manifesta et plane perspecta sunt. « Perfectorum enim est, ut beatus » ait Paulus, solidus cibus, eorum nempe, qui bonis habi- » tibus exercitatos habent sensus, ad discretionem boni et » mali [1]. » Sed et divinus Petrus ait : « Et vos habentes pro- » pheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, sicut » lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat » et lucifer oriatur in cordibus vestris [2]. » Vulgus autem nihil plane differt ab illis, qui per noctem, omni carentem lumine, ambulant; nec minimo splendore fruuntur; id quod est verbum Dei, animas eorum illuminare valens; ut fere non dissimiles cæcis sint. Hujusmodi homines sunt materialibus implicati curis, et sæcularium nexibus negotiorum vincti, et neque divino timore firmati, nec ullum curantes exercere beneficentiæ aut virtutis cujusdam opus. Etenim quotquot sæcularem utcumque degentes vitam, tamen, uti dictum est, a mandatis sanctis, velut a quibusdam illuminantur stellis, fidei et Dei timori attendentes; hi sane non prorsus comprehensi sunt tenebris, unde et spem salutis habere possunt.

XXVIII. Ut multum inter se differentes viæ ac rationes sunt, quibus ab hominibus colliguntur divitiæ; utique cum alii ex functionibus publicorum magistratuum; alii ex mercimoniorum negotiatione, alii ex diligenti labore et agricultura rem faciant; alii aliunde : parem mihi tu quoque puta observari posse in rebus spiritualibus rationem et modum. Ex his aliqui locupletantur usu exercitioque charismatum variorum, ut significat Apostolus verbis illis : « Habentes donationes secundum gratiam, quæ data est » nobis, differentes [3]. » Alii multiplici exercitatione religiosorum varii generis operum, praxique virtutum ac frequentatione laudabilium in diversa specie officiorum, Dei

[1] Hebr. v, 14. — [2] 2 Petr. i, 19. — [3] Rom. xii, 6.

Digitized by Google

cum animis [illegible] coelestes ingenti copia congerunt opes. At [illegible] in hac parte non insignes sunt, qui aurum [illegible]; in [illegible]imitate videlicet et patientia cursentes in [illegible] particulis captandis, ex quibus magn[illegible] confidentia communi spe interim bona gaudent. Neque [illegible] quasi mercenarii molles iidem ignavique, qui [illegible] expectant quodcumque bonum ipsis in manus [illegible], cum multa exinde deberent in usum [illegible], [illegible], cum patientia, tractatione maturare, [illegible] semper egentesque circumeant. [illegible] quidem gratiam parati et ar[illegible] sunt [illegible]; [illegible] tamen facile mutabiles, et a [illegible] pigritiaeque comperti, ac [illegible] exercendo quod acceperunt [illegible], privantur, ablata ipsis, qua fuerant bona, gratia. Nunquam enim non socordia, oscitantia, [illegible] propositi; dissonae res et [illegible] gratia [illegible]. Quare qui scatet hisce vitiis, [illegible], apud Deum reprobus et ingle[illegible], [illegible], sic et in futuro saeculo [illegible].

XXI. Transgresso Dei mandatum homini, et ex beata [illegible], duabus ex hoc contigit quasi catenis [illegible]. Prima est, qua devincitur nexu sensibili cum [illegible] carnalibus voluptatibus, divitiis, existimatione, amicitia, uxore, liberis, cognatione, patria, possessionibus, et, ut uno cuncta complectar verbo, cum omnibus quae hic cernuntur: a quibus Dei sermo nos juxta [illegible] professionem abjungi praecipit. Altera est catena in [illegible]. Etenim vinculo quodam tenebrarum [illegible] a [illegible] spiritibus nequitiae; quo fit, ut non possit neque amare Deum, nec credere, nec oratione uti, quemadmodum vellet. Omnino enim haec, quam experi-

Digitized by Google

mur adversantium oppositio, tam in palam apparentibus, quam in intus abstrusis, ex transgressione primi hominis in nos omnes transiit. Quando igitur quis obedientem aurem verbo Dei præbens, abjunxerit quidem se a sæcularibus negotiis; renuntiaverit autem cunctis carnalibus voluptatibus; tunc ille Deo adhærens, et per otium cum eo conversans, virtutem accipit ad discendum latere in adytis cordis aliam luctam, et aliud cogitationum bellum; et sic permanens, ac Christi miserationes implorans, fide ipsum multa, postquam sustinuerit, sequente, quin et Dei impulsu cooperante, potest interioribus liberari vinculis, et maceria illa tenebrarum, quam obmoliuntur ipsi Spiritus nequitiæ, qui sunt occulte rebellantium in nobis appetituum motus et conatus. Hoc autem bellum, per gratiam Christi et virtutem, possumus vincendo finire. Sine Deo vero adjuvante, et per se ipsum, liberare se quemquam, quoad lucta, quæ ipsi est, cum cogitationibus expeditus fuerit, est impossibile; renuere tamen et non condelectari, possibile.

XXX. Si quis rebus mundi hujus, et variis teneatur vinculis; idemque feratur motibus appetituum inordinatorum; procul is sane aberit, ut cognoscat quod diximus, esse quamdam occultam aliam luctam, et bellum in arcano aliud. Sat enim et abunde gratulandum fuerit, si quis se abjunxerit ab apparentibus cunctis, et carnales prorsus voluptates abdicaverit, Dominoque adhærere cœperit; ac intelligere queat penitus intra nos habitantem perturbationum ex pravis affectibus luctam, et occultum in nobis bellum. Nisi enim in eum, quem diximus, modum cuncta comparata sint, haud utique ex omnibus animæ viribus, et totus ex toto quis adhærere Deo, sincero affectu decernet. Neque cognoscet arcanos istos in prava tendentium appetituum insultus, et vincula, quæ intra sunt; sed periclitatur eo erroris labere, ut vulneribus transfixus, et morbis

affectus, quos ultro fovet, perfecte tamen putet se valere. Ei autem, qui concupiscentias, et gloriam contempserit, primum quidem posse datur ea quæ diximus cognoscere; deinde precato Christum cum fide, et arma Spiritus e cœlis adepto; loricam scilicet justitiæ, galeam salutis, scutum fidei, et gladium Spiritus; facile fit, totas illas adversas debellare acies.

XXXI. Innumerabiles hosti nostro insunt nocendi artes, avellere nos a charitate in Christum conanti. Aut enim intus afflictiones, per Spiritus nequitiæ in animam immittit; aut cogitationes obscœnas et nefandas producit, patratorum olim flagitiorum memoriam refricans; interdum et satagens injicere tædium, suggestionesque desperationis inserens; salute eam potiri non posse; ita quidem ut cogitationes istas ex anima per se ipsa ultro enatæ videantur; non autem ab alieno Spiritu maligne subseminatæ, utpote qui cupit latere. Aut igitur hæc agit, aut labores corporeos immittit; aut variis excogitatis modis procurat, contumeliis bonos affici ab hominibus. At quanto acerbius malignus hostis hæc in nos ignea jaculatur tela; tanto nos instantius convenit spei suspensas ex Deo magis magisque habere rationes; certo utique persuasos divina nobis talia permitti voluntate; quæ unum id spectat, ut amantes Dei animæ tot exploratæ probationibus, manifesto monstrent se eum in veritate diligere.

XXXII. Anni mille hujus ævi, mundo incorruptibili et æternitati comparati, ea illi fere proportione respondent, qua ut si quis ex universa arena unum granum accipiat; considerationem et hanc institue; concessum tibi esse supremum in omnes terras imperium cum plena et secura possessione omnium thesaurorum. Faciamus præterea tuum istud regnum incœpisse statim a primo rerum ortu, ac terminum ejus fore consummationem ultimam sæculi,

Digitized by Google

et rerum modo apparentium expectatam alicuius commutationem. Quid ergo? num opinione tibi data eligendi, utrum malles ex istis duobus regnis, præoptares hoc terrenum in mundi fine desiturum; præferens id illi cœlesti alteri, vero, solido et permanenti regno? Haud equidem crediderim, si utique sapias, et æquo rectoque judicio de re tua tanta statuas. « Quid enim, ait Veritas, prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur[1]? » Pro qua nihil par in commutationem dari posse didicimus, quandoquidem et mundo ipso toto, et qualicumque mundano regno, sola per se ipsam anima pretiosior multo est; nedum ut comparari cum iis possit cœlorum regnum. Inde autem pretiosiorem cunctis dicimus animam, quod solam illa minter omnes inferiores creaturas dignam Deus judicavit, cui suum propriæ naturæ Spiritum intime unitum penitus inderet et communicaret; quod non cœlo, non soli, non astris, non mari, non terræ concessit; non alii denique visibilium creaturæ ulli præterquam uni homini; quem vice omnium a se conditorum in partem quasi propriam sibi se posuit, sibique applicuit, eo contentus. Si ergo hæc quæ maximi fiunt in mundo, divitiæ, dico, amplæ, et terræ totius imperium in monarchæ unius pleno arbitrio positum haudquaquam, recte judicantes, cum æterno commutaremus regno; quæ dementia plurimorum est, quos quotidie videmus vilibus illud et mediocris, etiam vulgari æstimatione, pretii rebus post habere, puta, cupiditati cuipiam, exiguæ laudi, lucro non magno, et similibus? Enimvero quod quis in hoc mundo diligit, cuique defigitur, id omnino, quantum in ipso est, cum cœlorum regno commutat; quin, quod longe et capitalius, et id Deum suum facit. Sicut alicubi scriptum est: « A quo quis victus est, ei

[1] Matth. XVI, 26.

» mancipatur[1]. » Oportet igitur totum ex toto hominem ad Deum totum confugere, illum amplecti, ex eo pendere, ipsi animam et corpus quasi clavis cruci configere, incedentem per omnia sancta ejus mandata.

XXXIII. Hæc sint ita. Cæterum idem utique justum arbitraris corruptibilem istam gloriam, et desiturum regnum, aliaque, quotquot sunt ejus generis caducarum rerum, illa concupiscentibus contingere multis empta laboribus et sudoribus; æquum-ne tamen censes æternum consortium regni Christi, et inenarrabilium illorum adeptionem bonorum, gratis quiddam esse parabile, ac facilitate summa, citra laborem contentionem veullam cuivis volenti evenire?

XXXIV. Quod consilium, quæve ratio est adventus Christi? quisve naturæ nostræ ad se ipsam reditus, et in integrum restitutio? Reddidit enim Christus humanæ naturæ ablatam ipsi prius dignitatem Adami protoplasti; prætereaque donavit hæreditatem ipsi cœlestem, o vere divinam et magnam boni Spiritus gratiam! Educens vero ipsam ex carcere tenebrarum viam etiam vitæ et januam monstravit, per quam cum transit, et ad quam cum pulsat, potest in interiora regni penetrare: « Petite, enim ait, et » dabitur vobis; pulsate et aperietur vobis[2]. » Per illam portam nemini eorum, qui volunt, impossibile est, suæ ipsius animæ invenire libertatem, nec eam convenientes ipsi recipere cogitationes, et, cum Christum secum possidet habitantem locupletem esse. eoque veluti sponso frui per communicationem boni Spiritus, vide ineffabilem charitatem Domini adversus hominem, ad sui ipsius imaginem conditum.

[1] 2 Petr. II, 19. — [2] Matth. VII, 7.

Digitized by Google

APOPHTHEGMATA

MACARII MAGNI.

Quidam e fratribus interrogavit Abbatem Macarium magnum, exquirens quænam esset, et in quo sita perfectio? Respondens senex dixit : Nisi acquisierit homo humilitatem magnam, quam non solum corde teneat, sed et corpore præferat; in nulla re se ipsum æstimans, sed potius modico sui sensu deprimens infra omnem creaturam; non judicando unquam omnino quemquam nisi se solum; sufferendo contumeliam, ejiciendo ex corde suo omnem malitiam : vim sibi faciendo ad hoc, ut sit longanimis, benignus, fratrum amator, sobrius, pudicus, continens. Scriptum est enim : « Vim sibi facientium est regnum cœ» lorum[1]. » Recte utendo oculis, ad videndum ea tantum quæ juvant animam, invigilando custodiæ linguæ; avertendisque auribus ab omni auditione vana et noxia. Manus tenendo ne quidquam nisi justum operentur. Cor mundum coram Deo servando, corpusque impollutum. Habendo quotidie præ oculis mortis memoriam : abnegando intus in Spiritu iram et malitiam, exterius autem materiam et res sensibiles, cognatos quoque secundum carnem simulque voluptates; renuntiando item diabolo et cunctis operibus ejus; ad hæc indesinenter orando, et in omni tempore, loco, negotio, opere, astando Deo, præsentemque sentiendo ac venerando illum. Nisi quis, inquam, hæc omnia fecerit, perfectus esse non potest.

Frater aliquis interrogans senem dixit : Abba, qui fit, ut,

[1] Matth. VI, 12.

Digitized by Google

cum ego in mea cellula faciam cuncta quæ decent, tamen non inveniam consolationem a Deo? Ait illi senex: Hoc tibi contingit eo, quod vanis cum otioso confabulationibus indulges; et quia omnino vis potiri optato voluntatem tuam propriam. Reposuit seni: Quid igitur facere me jubes, pater? Respondit senex: Vade, ini familiaritatem cum viro timente Deum, et humilia te ipsum coram eo; et renuntia voluntati tuæ; et tunc invenies consolationem a Deo.

Dixit Senex: Qui ingreditur seplasiam, et in foro unguentario deambulat, etsi nihil emat aut contingat ex aromatibus, omnino tamen et interim fruitur odore, et ipse bene olet aliquandiu: sic qui conversatur cum patribus, trahit ex illis contagione salutari quod ipsum juvet: nam si quidem velit recte agere, monstratam ad hoc ab illis viam humiliationis videt; et horum exempla, verbaque instar illi muri sunt ad arcendas dæmonum incursiones.

Dixit Senex: Si te infirmitas occupet corporis, ne turberis dans te tristitiæ inerti. Si enim velit te Dominus tuus morbo corporeo affligi, tu quis es, qui succensere aut ægre ferre audeas? Nonne ipse tui curam in omnibus gerit? an sine ipso vel potes vivere? patienter ergo tolera: et ora ipsum, ut tibi quæ novit expedire præbeat. Hæc enim est voluntas ejus. Sede cum longanimitate, comedo charitatem.

Dixit senex: Si acrem homo naturam ad legitime certandum exerat, exigit ab eo Deus, ne affectu nimio inhæreat materiæ corporeæ cuiquam, usque ad minutam acum; nam si quid tale addictius amaverit, impedietur mens ejus a sensibus et votis Deo dignis, per vehementiam desiderii possessis incubantis; et mœrorem quem ex amatarum rerum jactura, crebro inevitabiliter accidente, concipiet.

Digitized by Google

Dixit senex : Oratio, et sensus sobrii attentique, simulque vexatio corporis, cum abundantiori diligentia Deo perseveranter oblata, in perturbationes potestate hominem instruunt.

Interrogatus est senex : Quid est, vivere hominem tanquam hospitem et peregrinum? Dic, inquit, tibi ; Tace, et non habeo hic negotium: Hæc itera et fac in omni loco et operatione ; tunc eris vere in statu advenæ et peregrini.

Dixit senex : Vita sancta sine doctrina, plura bona efficit, quam doctrina sine vita sancta. Nam sanctus indoctus vel tacens videntibus prodest : doctus sine sanctitate, etiam solum cogitans, obturbat. Si autem doctrina sana et vita sancta in unum concurrant, philosophiæ totius veram et plenam speciem absolvunt.

Dixit senex : Ne ambias, aut libenter admittas caput fieri congregationis fratrum, ne forte imponas collo tuo alienorum onera peccatorum.

Dixit idem senex : Vim sibi facere in orando, et ariditatem diu ferre patienter, gignit, orare cum gaudio et cum quiete. Vim sibi facere ad robur boni propositi pertinet : orare autem cum quiete munus est gratiæ.

DE ABBATE MACARIO ÆGYPTIO.

I. Narravit de se ipso Abbas Macarius ad hunc modum : Quando eram juvenis, et in cella residebam in Ægypto, apprehenderunt me ac fecerunt clericum in vico ; sed nolens acquiescere, fugi ad alium locum. Venit ad me sæcularis vir pius, qui accipiebat quod manibus operabar, et ministrabat mihi. Contigit autem per tentationem, ut quædam virgo vi prolapsa sit in stuprum. Ea cum uterum gereret, interrogabatur, quis esset auctor criminis? Respondit itaque Anachoretam esse. Unde egressi compre-

Digitized by Google

matibus criminum animas, mentesque, heu me! ipsorum, tenebrosas et fœdas reddit; tunc etiam corpora maculosa, in summum palam dedecus omnium oculis ostendet.

XXVI. Quemadmodum post transgressionem Adami, lata in eum sententia mortis justo Dei optimi judicio, primum executioni mandata est in ejus anima, vere per peccatum jam tum mortua, intellectualibus ejus sensibus, per privationem cœlestis et spiritualis gratiæ, extinctis, et ad mortuorum similitudinem redactis: posterius vero ad corpus quoque mors pervenit, expletis trahendo mortalem vitam annis triginta supra nongentos: sic et nunc per crucem et mortem Salvatoris humano generi reconciliatus Deus, restituit vere credentem animam adhuc carni devinctam in fruitionem spiritualium luminum et mysteriorum, et intellectuales ejus sensus divina luce gratiæ oculatos reddit; denique ipsum etiam corpus immortali et incorruptibili circumvestiet claritate.

XXVII. Qui se ab hoc mundo procul tenent, sancte et ex virtutum præscriptis viventes; adhuc tamen velamento perturbationum inumbrati; cui miseriæ, propter inobedientiam protoplasti obnoxii omnes sumus: carnali inquam, subjecti sensui, quem Apostolus «Mortem» merito appellat[1]; hi similes sunt hominibus noctu iter agentibus, ad lucem astrorum, quæ sunt Dei præcepta. Quandiu enim nondum perfecte liberati a tenebris sunt, clare omnia perspicere non possunt. Quibus et convenit, labore ac fide, virtuti attendendo, orare Christum solem justitiæ, ut illuminet corda ipsorum, quo possint exacte pervidere cuncta, et spiritualium bestiarum incursum in nos varium atque multiplicem; et incorruptibilis mundi pulchritudines arcanas ineffabilis et decoris et voluptatis, quo scilicet modo valde provectis in virtute, et quorum cordibus lu-

[1] Rom. VII, 24.

Digitized by Google

men intellectuale radios immisit, talia omnia manifesta et plane perspecta sunt. « Perfectorum enim est, ut beatus » ait Paulus, solidus cibus, eorum nempe, qui bonis habi- » tibus exercitatos habent sensus, ad discretionem boni et » mali [1]. » Sed et divinus Petrus ait : « Et vos habentes pro- » pheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, sicut » lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat » et lucifer oriatur in cordibus vestris [2]. » Vulgus autem nihil plane differt ab illis, qui per noctem, omni carentem lumine, ambulant; nec minimo splendore fruuntur; id quod est verbum Dei, animas eorum illuminare valens; ut fere non dissimiles cæcis sint. Hujusmodi homines sunt materialibus implicati curis, et sæcularium nexibus negotiorum vincti, et neque divino timore firmati, nec ullum curantes exercere beneficentiæ aut virtutis cujusdam opus. Etenim quotquot sæcularem utcumque degentes vitam, tamen, uti dictum est, a mandatis sanctis, velut a quibusdam illuminantur stellis, fidei et Dei timori attendentes; hi sane non prorsus comprehensi sunt tenebris, unde et spem salutis habere possunt.

XXVIII. Ut multum inter se differentes viæ ac rationes sunt, quibus ab hominibus colliguntur divitiæ; utique cum alii ex functionibus publicorum magistratuum; alii ex mercimoniorum negotiatione, alii ex diligenti labore et agricultura rem faciant; alii aliunde : parem mihi tu quoque puta observari posse in rebus spiritualibus rationem et modum. Ex his aliqui locupletantur usu exercitioque charismatum variorum, ut significat Apostolus verbis illis : « Habentes donationes secundum gratiam, quæ data est » nobis, differentes [3]. » Alii multiplici exercitatione religiosorum varii generis operum, praxique virtutum ac frequentatione laudabilium in diversa specie officiorum, Dei

[1] Hebr. v, 14. — [2] 2 Petr. i, 19. — [3] Rom. xii, 6.

Digitized by Google

causa unius obitorum cœlestes ingenti copia congerunt opes. Ne ii quidem in hac parte non insignes sunt, qui aurum infodiunt; longanimitate videlicet et patientia currentes in singulis lucri particulis captandis, ex quibus magni olim conflandi cumuli spe interim bona gaudent. Neque latent nonnulli quasi mercenarii molles iidem ignaviique, qui statim veluti devorant quodcumque bonum ipsis in manus incidit, cum multa exinde deberent in usum secuturi temporis, solerti, cum patientia, tractatione maturare; hinc fit, ut nudi semper egentesque circumeant. Etenim tales ad capiendam quidem gratiam parati et ardenter sunt cupidi; mox tamen facile mutabiles, et a primo statim gustatu saturi, pigritiæque comperti, ac fugæ laboris, qui debebat adhiberi, exercendo quod acceperunt dono, eo merito privantur, ablata ipsis, qua fuerant beati, gratia. Nunquam enim non socordia, oscitantia, hebes tarditas supine secura propositi; dissonæ res et inconsentaneæ gratiæ fuerunt. Quare qui scatet hisce vitiis, expers operum bonorum, apud Deum reprobus et inglorius, uti jam nunc agnoscitur, sic et in futuro sæculo reperietur.

XXIX. Transgresso Dei mandatum homini, et ex beata paradisi dejecto statione, duabus ex hoc contigit quasi catenis ligari. Prior est, qua devincitur nexu sensibili cum negotiis sæcularibus, carnalibus voluptatibus, divitiis, existimatione, amicitia, uxore, liberis, cognatione, patria, possessionibus, et, ut uno cuncta complectar verbo, cum omnibus quæ hic cernuntur; a quibus Dei sermo nos juxta propriam professionem abjungi præcipit. Altera est catena in arcano astringens. Etenim vinculo quodam tenebrarum anima ligatur ab ipsis spiritibus nequitiæ; quo fit, ut non possit neque amare Deum, nec credere, nec oratione uti, quemadmodum vellet. Omnino enim hæc, quam experi-

Digitized by Google

mur adversantium oppositio, tam in palam apparentibus, quam in intus abstrusis, ex transgressione primi hominis in nos omnes transiit. Quando igitur quis obedientem aurem verbo Dei præbens, abjunxerit quidem se a sæcularibus negotiis; renuntiaverit autem cunctis carnalibus voluptatibus; tunc ille Deo adhærens, et per otium cum eo conversans, virtutem accipit ad discendum latere in adytis cordis aliam luctam, et aliud cogitationum bellum; et sic permanens, ac Christi miserationes implorans, fide ipsum multa, postquam sustinuerit, sequente, quin et Dei impulsu cooperante, potest interioribus liberari vinculis, et maceria illa tenebrarum, quam obmoliuntur ipsi Spiritus nequitiæ, qui sunt occulte rebellantium in nobis appetituum motus et conatus. Hoc autem bellum, per gratiam Christi et virtutem, possumus vincendo finire. Sine Deo vero adjuvante, et per se ipsum, liberare se quemquam, quoad lucta, quæ ipsi est, cum cogitationibus expeditus fuerit, est impossibile; renuere tamen et non condelectari, possibile.

XXX. Si quis rebus mundi hujus, et variis teneatur vinculis; idemque feratur motibus appetituum inordinatorum; procul is sane aberit, ut cognoscat quod diximus, esse quamdam occultam aliam luctam, et bellum in arcano aliud. Sat enim et abunde gratulandum fuerit, si quis se abjunxerit ab apparentibus cunctis, et carnales prorsus voluptates abdicaverit, Dominoque adhærere cœperit; ac intelligere queat penitus intra nos habitantem perturbationum ex pravis affectibus luctam, et occultum in nobis bellum. Nisi enim in eum, quem diximus, modum cuncta comparata sint, haud utique ex omnibus animæ viribus, et totus ex toto quis adhærere Deo, sincero affectu decernet. Neque cognoscet arcanos istos in prava tendentium appetituum insultus, et vincula, quæ intra sunt; sed peri[illegible]clitatur eo erroris labere, ut vulneribus transfixus, et morbis

affectus, quos ultro fovet, perfecte tamen putet se valere. Ei autem, qui concupiscentias, et gloriam contempserit, primum quidem posse datur ea quæ diximus cognoscere; deinde precato Christum cum fide, et arma Spiritus e cœlis adepto; loricam scilicet justitiæ, galeam salutis, scutum fidei, et gladium Spiritus; facile fit, totas illas adversas debellare acies.

XXXI. Innumerabiles hosti nostro insunt nocendi artes, avellere nos a charitate in Christum conanti. Aut enim intus afflictiones, per Spiritus nequitiæ in animam immittit; aut cogitationes obscœnas et nefandas producit, patratorum olim flagitiorum memoriam refricans; interdum et satagens injicere tædium, suggestionesque desperationis inserens; salute eam potiri non posse; ita quidem ut cogitationes istas ex anima per se ipsa ultro enatæ videantur; non autem ab alieno Spiritu maligne subseminatæ, utpote qui cupit latere. Aut igitur hæc agit, aut labores corporeos immittit; aut variis excogitatis modis procurat, contumeliis bonos affici ab hominibus. At quanto acerbius malignus hostis hæc in nos ignea jaculatur tela; tanto nos instantius convenit spei suspensas ex Deo magis magisque habere rationes; certo utique persuasos divina nobis talia permitti voluntate; quæ unum id spectat, ut amantes Dei animæ tot exploratæ probationibus, manifesto monstrent se eum in veritate diligere.

XXXII. Anni mille hujus ævi, mundo incorruptibili et æternitati comparati, ea illi fere proportione respondent, qua ut si quis ex universa arena unum granum accipiat; considerationem et hanc institue; concessum tibi esse supremum in omnes terras imperium cum plena et secura possessione omnium thesaurorum. Faciamus præterea tuum istud regnum incœpisse statim a primo rerum ortu, ac terminum ejus fore consummationem ultimam sæculi,

Digitized by Google

et rerum modo apparentium expectatam aliquandem utationem. Quid ergo? num opinione tibi data eligendi, utrum malles ex istis duobus regnis, præoptares hoc terrenum in mundi fine desiturum; præferens id illi cœlesti alteri, vero, solido et permanenti regno? Haud equidem crediderim, si utique sapias, et æquo rectoque judicio de re tua tanta statuas. « Quid enim, ait Veritas, prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur[1]? » Pro qua nihil par in commutationem dari posse didicimus, quandoquidem et mundo ipso toto, et qualicumque mundano regno, sola per se ipsam anima pretiosior multo est; nedum ut comparari cum iis possit cœlorum regnum. Inde autem pretiosiorem cunctis dicimus animam, quod solam illa minter omnes inferiores creaturas dignam Deus judicavit, cui suum propriæ naturæ Spiritum intime unitum penitus inderet et communicaret; quod non cœlo, non soli, non astris, non mari, non terræ concessit; non alii denique visibilium creaturæ ulli præterquam uni homini; quem vice omnium a se conditorum in partem quasi propriam sibi se posuit, sibique applicuit, eo contentus. Si ergo hæc quæ maximi fiunt in mundo, divitiæ, dico, amplæ, et terræ totius imperium in monarchæ unius pleno arbitrio positum haudquaquam, recte judicantes, cum æterno commutaremus regno; quæ dementia plurimorum est, quos quotidie videmus vilibus illud et mediocris, etiam vulgari æstimatione, pretii rebus post habere, puta, cupiditati cuipiam, exiguæ laudi, lucro non magno, et similibus? Enimvero quod quis in hoc mundo diligit, cuique defigitur, id omnino, quantum in ipso est, cum cœlorum regno commutat; quin, quod longe et capitalius, et id Deum suum facit. Sicut alicubi scriptum est: « A quo quis victus est, ei

[1] Matth. XVI, 26.

» mancipatur [1]. » Oportet igitur totum ex toto hominem ad Deum totum confugere, illum amplecti, ex eo pendere, ipsi animam et corpus quasi clavis cruci configere, incedentem per omnia sancta ejus mandata.

XXXIII. Hæc sint ita. Cæterum idem utique justum arbitraris corruptibilem istam gloriam, et desiturum regnum, aliaque, quotquot sunt ejus generis caducarum rerum, illa concupiscentibus contingere multis empta laboribus et sudoribus; æquum-ne tamen censes æternum consortium regni Christi, et inenarrabilium illorum adeptionem bonorum, gratis quiddam esse parabile, ac facilitate summa, citra laborem contentionem veullam cuivis volenti evenire?

XXXIV. Quod consilium, quæve ratio est adventus Christi? quisve naturæ nostræ ad se ipsam reditus, et in integrum restitutio? Reddidit enim Christus humanæ naturæ ablatam ipsi prius dignitatem Adami protoplasti; prætereaque donavit hæreditatem ipsi cœlestem, o vere divinam et magnam boni Spiritus gratiam! Educens vero ipsam ex carcere tenebrarum viam etiam vitæ et januam monstravit, per quam cum transit, et ad quam cum pulsat, potest in interiora regni penetrare: « Petite, enim ait, et » dabitur vobis; pulsate et aperietur vobis [2]. » Per illam portam nemini eorum, qui volunt, impossibile est, suæ ipsius animæ invenire libertatem, nec eam convenientes ipsi recipere cogitationes, et, cum Christum secum possidet habitantem locupletem esse. novae veluti sponso frui per communicationem boni Spiritus. Vide ineffabilem charitatem Domini adversus hominem, ad sui ipsius imaginem conditum.

[1] 2 Petr. II, 19. — [2] Matth. VII, 7.

Digitized by Google

APOPHTHEGMATA

MACARII MAGNI.

Quidam e fratribus interrogavit Abbatem Macarium magnum, exquirens quænam esset, et in quo sita perfectio? Respondens senex dixit : Nisi acquisierit homo humilitatem magnam, quam non solum corde teneat, sed et corpore præferat; in nulla re se ipsum æstimans, sed potius modico sui sensu deprimens infra omnem creaturam; non judicando unquam omnino quemquam nisi se solum; sufferendo contumeliam, ejiciendo ex corde suo omnem malitiam : vim sibi faciendo ad hoc, ut sit longanimis, benignus, fratrum amator, sobrius, pudicus, continens. Scriptum est enim : « Vim sibi facientium est regnum cœ» lorum[1]. » Recte utendo oculis, ad videndum ea tantum quæ juvant animam, invigilando custodiæ linguæ; avertendisque auribus ab omni auditione vana et noxia. Manus tenendo ne quidquam nisi justum operentur. Cor mundum coram Deo servando, corpusque impollutum. Habendo quotidie præ oculis mortis memoriam : abnegando intus in Spiritu iram et malitiam, exterius autem materiam et res sensibiles, cognatos quoque secundum carnem simulque voluptates; renuntiando item diabolo et cunctis operibus ejus; ad hæc indesinenter orando, et in omni tempore, loco, negotio, opere, astando Deo, præsentemque sentiendo ac venerando illum. Nisi quis, inquam, hæc omnia fecerit, perfectus esse non potest.

Frater aliquis interrogans senem dixit : Abba, qui fit, ut,

[1] Matth. VI, 12.

Digitized by Google

enim ego in mea cellula faciam cuncta quæ decent, tamen non inveniam consolationem a Deo? Ait illi senex : Hoc tibi contingit eo, quod vanis cum otioso confabulationibus indulges; et quia omnino vis potiri optato voluntatem tuam propriam. Reposuit seni : Quid igitur facere me jubes, pater? Respondit senex : Vade, ini familiaritatem cum viro timente Deum, et humilia te ipsum coram eo ; et renuntia voluntati tuæ; et tunc invenies consolationem a Deo.

Dixit Senex : Qui ingreditur seplasiam, et in foro unguentario deambulat, etsi nihil emat aut contingat ex aromatibus, omnino tamen et interim fruitur odore, et ipse bene olet aliquandiu : sic qui conversatur cum patribus, trahit ex illis contagione salutari quod ipsum juvet : nam si quidem velit recte agere, monstratam ad hoc ab illis viam humiliationis videt ; et horum exempla, verbaque instar illi muri sunt ad arcendas dæmonum incursiones.

Dixit Senex : Si te infirmitas occupet corporis, ne turberis dans te tristitiæ inerti. Si enim velit te Dominus tuus morbo corporeo affligi, tu quis es, qui succensere aut ægre ferre audeas? Nonne ipse tui curam in omnibus gerit? an sine ipso vel potes vivere? patienter ergo tolera : et ora ipsum, ut tibi quæ novit expedire præbeat. Hæc enim est voluntas ejus. Sede cum longanimitate, comede charitatem.

Dixit senex : Si acrem homo naturam ad legitime certandum exerat, exigit ab eo Deus, ne affectu nimio inhæreat materiæ corporeæ cuiquam, usque ad minutam acum ; nam si quid tale addictius amaverit, impedietur mens ejus a sensibus et votis Deo dignis, per vehementiam desiderii possessis incubantis ; et mœrorem quem ex amatarum rerum jactura, crebro inevitabiliter accidente, concipiet.

Digitized by Google

Dixit senex : Oratio, et sensus sobrii attentique, simulque vexatio corporis, cum abundantiori diligentia Deo perseveranter oblata, in perturbationes potestate hominem instruunt.

Interrogatus est senex: Quid est, vivere hominem tanquam hospitem et peregrinum? Dic, inquit, tibi; Tace, et non habeo hic negotium: Hæc itera et fac in omni loco et operatione; tunc eris vere in statu advenæ et peregrini.

Dixit senex: Vita sancta sine doctrina, plura bona efficit, quam doctrina sine vita sancta. Nam sanctus indoctus vel tacens videntibus prodest : doctus sine sanctitate, etiam solum cogitans, obturbat. Si autem doctrina sana et vita sancta in unum concurrant, philosophiæ totius veram et plenam speciem absolvunt.

Dixit senex : Ne ambias, aut libenter admittas caput fieri congregationis fratrum, ne forte imponas collo tuo alienorum onera peccatorum.

Dixit idem senex : Vim sibi facere in orando, et aridita-tem diu ferre patienter, gignit, orare cum gaudio et cum quiete. Vim sibi facere ad robur boni propositi pertinet : orare autem cum quiete munus est gratiæ.

DE ABBATE MACARIO ÆGYPTIO.

I. Narravit de se ipso Abbas Macarius ad hunc modum: Quando eram juvenis, et in cella residebam in Ægypto, apprehenderunt me ac fecerunt clericum in vico ; sed nolens acquiescere, fugi ad alium locum. Venit ad me sæcularis vir pius, qui accipiebat quod manibus operabar, et ministrabat mihi. Contigit autem per tentationem, ut quædam virgo vi prolapsa sit in stuprum. Ea cum uterum gereret, interrogabatur, quis esset auctor criminis? Respondit itaque Anachoretam esse. Unde egressi compre-

Digitized by Google

henderunt me adduxeruntque ad vicum ; atque appenderunt collo fuligine infectas ollas cum ansis vasorum, sicque circumduxerunt me in vico per compita, verberantes ac dicentes : Iste monachus vitiavit nostram virginem ; capite eum, capite. Et percusserunt me pene ad mortem. Accedens vero aliquis senum, dixit : Quousque cæditis monachum istum peregrinum ? Qui autem mihi ministrabat, sequebatur post me, pudore suffusus ; multis quippe contumeliis eum affecerant, inquientes : Ecce Anachoreta, cui tu testimonium perhibebas, quid fecit ? Ad hæc aiunt parentes puellæ : Non dimittemus eum, donec fidejussorem dederit, quod aliturus sit eam. Itaque significabam ministro illi meo, et spopondit pro me. Postea profectus ad cellam meam, dedi ei, quas habui, sportulas, dicens : Vende et affer cibum uxori meæ. Tum apud me : Macari, ecce tibi invenisti uxorem ; oportet, ut paulo amplius labores, quo nutrias eam. Et operabar nocte dieque, mittebamque ei. Porro cum advenit tempus miseræ, ut pareret, ad multos dies in cruciatibus permansit, nec pariebat. Percontantur, quid hoc esset ? Illa respondit : Ego scio, quoniam Anachoretam calumniata sum, prolatoque mendacio accusavi ; neque enim in culpa est, sed ille juvenis. Tunc qui ministrabat mihi, lætus adveniens nuntiavit : Virgo illa non potuit parere, donec ita confiteretur : Extra culpam est Anachoreta ; sed mentita sum adversus eum, et ecce totus vicus huc accedere vult cum honore, ut veniam a te supplex postulet. His ego auditis, ne mihi molestiam parerent homines, surrexi, atque huc in Scetim fugi. Inde principium causamque habet meus hic adventus.

II. Venit aliquando Macarius Ægyptius e Sceti ad montem Nitriæ in oblatione Abbatis Pambo, et dicunt ei senes : Sermonem profer fratribus, pater. Tum ille infit, ego nondum evasi in monachum, sed monachos vidi. Mihi

Digitized by Google

namque aliquando sedenti in cella apud Scetim molestæ erant cogitationes proficiscere in solitudinem, et vide quid illic oculis tuis occurret. Perstiti autem quinque annis, pugnans adversus cogitationem, ne forte inquiens a dæmonibus sit. Utque perseveravit cogitatio, abii in eremum. Illic inveni stagnum cum insula in medio ejus, et ad illud veniebant bestiæ eremi, ut biberent. Quas inter conspexi duos homines nudos, et contremuit corpus meum : existimavi enim esse spiritus. Ipsi vero postquam me viderunt trementem, ita locuti sunt : Noli timere, etiam nos homines sumus. Dixi illis : Unde estis, et quomodo venistis in solitudinem hanc ? Responderunt : E cœnobio sumus atque ex mutuo consensu egressi venimus huc, ecce quadraginta abhinc anni præterierunt. Unus e nobis Ægyptius est, alter Libycus. Ipsi quoque interrogaverunt me, his verbis : Quomodo se habet mundus ? Venit-ne aqua in tempore suo ? Mundus obtinet-ne abundantiam solitam ? Respondi : Etiam. Vicissim ego percontatus sum : Quanam ratione fieri potero monachus ? Aiunt mihi : Nisi quis renuntiaverit omnibus mundi rebus, non potest fieri monachus. Excepi : Ego infirmus sum, nec possum sicuti vos. Exceperunt etiam illi : Si non potes, quemadmodum nos, sede in cella tua, et peccata tua defle. Quæsivi ab eis, quando hyems est, non algetis ? Quando æstus est, non uritur corpus vestrum ? Responsum dederunt, Deus erga nos hac usus est dispensatione, nec hyeme rigemus, nec æstate nos æstus lædit. Propterea dixi vobis me nondum in monachum evasisse, sed vidisse monachos. Ignoscite mihi, fratres.

III. Abbas Macarius cum in paneremo, seu omnimoda solitudine habitaret : solus autem illic anachoreticam vitam ducebat, infra vero alia erat eremus, in qua plures fratres degebant. Eo, inquam, loci aliquando per viam circumspiciens senex, vidit Satanam venientem in figura

Digitized by Google

hominis, ut per locum, in quo erat, transiret: apparebat autem quasi tunicam gestans lineam perforatam, a cujus foraminibus pendebant parvi lecythi. Dicit ei magnus senex: Quo vadis? Respondit: Proficiscor ad fratres, ut eis suggeram. Tum senex: Et quare tibi ampullæ hæ? Ille: Affero fratribus condimenta. Senex: Et hæc omnia? Excepit, etiam, si unum alicui non placuerit, aliud porrigo; si neque hoc, do aliud, omnino autem ex illis saltem unum placiturum est ei. Atque his dictis abiit. At senex remansit, observans vias, donec reverteretur. Utque conspexit illum, ait: Salvus sis. Ille respondit: Quomodo contingere mihi poterit, ut salvus sim? Senex? Quare, Ille: Quia cuncti mihi fuerunt immites, nec ullus sustinuit me. Ad eum senex: Nullus ergo illic tibi amicus? Ad senem Satanas: Ne unum ibi amicum habeo, qui vel ipse mihi obtemperat; cumque me conspicit, instar auræ vertitur. Tum senex: Quomodo vocatur frater ille? Satanas ad hoc, Theopemptus. Quo dicto discessit. Itaque surgens abbas Macarius perrexit ad inferiorem eremum. Eaque re comperta fratres, sumentes ramos palmarum, ei obviam prodierunt. Cæterum unusquisque eorum præparabat se, putans, quod apud ipsum diversaturus esset senex. At ille requisivit, quisnam esset in monte, qui Theopemptus appellaretur. Quo invento, intravit in cellam ejus. Theopemptus autem suscepit eum lætus. Utque cœpit solum secum habere, senex: Quomodo, inquit, se res tuæ habent, frater? Is dicit: Recte, per preces tuas. Et senex: Num impugnant te cogitationes? Ille: Interim mihi bene est. Pudebat enim eum edicere. Ait illi senex: Ecce a quot annis vitam asceticam duco, et honore afficior ab omnibus; attamen me senem Spiritus fornicationis divexat. Theopemptus excepit: Crede, Abba, me etiam. Senex vero simulabat ab aliis etiam cogitationibus impugnari se, donec eum ad

Digitized by Google

confessionem adduceret. Postea dicit ei: Quomodo jejunas? Respondit: Ad horam nonam. Tum senex: Jejuna usque ad vesperam, exerce te, meditare, ac recita memoriter ex Evangelio aliisque Scripturis; cumque te subierit cogitatio, nunquam deorsum spectes, sed sursum semper; statimque tibi Dominus præbebit auxilium. Et postquam fratrem informasset senex, reversus est ad solitudinem suam. Ubi observans iterum videt dæmonem illum, aitque ei: Quo iterum pergis? Fratres, inquit, instigatum. Atque abiit. Ut vero rursus transiit, sciscitatus illum senex, quomodo haberent fratres? Respondit: Male. Et senex: Cur? Dæmon: Cuncti feroces sunt; quodque pejus est, ille, quem habebam amicum, et obsequentem mihi, ipse etiam, unde nescio, reversus est, nec amplius a me persuadetur, sed cunctis ferocior evasit: unde juravi me amplius ea loca non calcaturum, nisi post tempus. Quo pronuntiato, discessit, senem relinquens. Tunc sanctus intravit in cellam suam.

IV. Venit Abbas Macarius magnus ad Abbatem Antonium in montem; cumque pulsasset ostium, egressus est, petiitque: Tu quis es? Ille autem: Ego, inquit, sum Macarius. Et ostio clauso, intravit, relinquens eum. Sed postquam agnovit patientiam ejus, aperuit. Atque cum eo urbane agens, dixit: A multo tempore videre te desiderabam, audita tui fama. Et hospitaliter susceptum refecit, erat enim e multo labore fessus. Vespere autem facto, Abbas Antonius sibi madefecit ramos palmarum. Ait ei Abbas Macarius: Jube et ego mihi intinguam. Ille: Intingue, inquit. Confectoque magno fasciculo, intexit. Igitur sedentes a vespera, collocuti de animarum salute, plectebant; plecta autem per fenestram descendebat in speluncam. Et mane ingrediens beatus Antonius, vidit plectæ Abbatis

Digitized by Google

Macarii copiam, et infit: Multa virtus e manibus istis egreditur.

V. Abbas Macarius prædixit fratribus de vastatione Sceteos: Quando spectaveritis cellam ædificatam juxta paludem, scitote, quod prope sit Scetcos desolatio: quando videritis arbores, ad fores est; cum autem pueros conspexeritis, tollite melotes vestras, atque discedite.

VI. Dixit iterum, volens fratres consolari: Venit huc cum matre sua puer, qui a dæmonio vexabatur, et dicebat matri: Surge anus, abeamus hinc. Illa vero: Non possum, inquit, pedibus incedere. Tum puer ad eam: Ego te portabo. Et admiratus sum dæmonis nequitiam, quomodo eos hinc voluisset fugare.

VII. Referebat Abbas Sisoës: Quando eram in Sceti cum Macario, ascendimus septem nomina seu homines, ut cum eo meteremus: et ecce vidua quædam pone nos spicas colligebat, nec cessabat plorare. Vocavit ergo senex dominum prædii, dixitque ei: Quid habet anus hæc, quod semper plorat? Respondit: Quia vir ejus alicujus depositum dum servat, mortuus est subito, nec enuntiavit, ubi posuerit illud, vultque depositi dominus eam et liberos ejus sibi in servos vindicare. Excepit senex Dic ei ut veniat ad nos, ubi ob æstum conquiescimus. Cumque venisset mulier, ait illi senex: Quare omnino ita fles? Respondit illa: Maritus meus accepto deposito emigravit e vita, nec significavit moriens, ubi posuerit. Tunc senex ad eam: Veni, ostende mihi ubi sepelieris eum. Itaque ductis secum fratribus cum ea egressus est. Ut pervenerunt ad locum, dixit senex mulieri: Recede in domum tuam. Et postquam precati fuissent, vocavit senex mortuum his verbis: Ille, ubi posuisti alienum depositum? Responsionem dedit homo: Absconditum est in domo mea, sub pede lecti. Senex ad ipsum: Iterum dormi usque ad resurrectionis diem.

Digitized by Google

Hoc videntes fratres, præ timore ceciderunt ad pedes ejus. Tum illis senex : Non propter me id evenit, nihil quippe sum : sed propter viduam et pupillos Deus rem fecit, hoc vero magnum est, quod Deus vult animam esse sine peccato, et quidquid petierit accipiet. Profectus ergo nuntiavit viduæ, ubi jaceret depositum. Quæ accipiens dedit domino, ac in libertatem asseruit liberos, omnesque qui miraculum audiverunt, gloriam dederunt Deo.

VIII. Narravit Abbas Petrus de beato Macario, quod cum advenisset aliquando ad quemdam anachoretam, et invenisset eum ægrotantem, sciscitatus sit, quidnam cibi vellet sumere : nihil quippe erat in cella ejus. Qui postquam dixisset, pastillum, non piguit virum fortem Alexandriam proficisci, ut ægro daret : miraque res nemini manifesta facta est.

IX. Iterum memoravit ; Ad Abbatem Macarium cum fratribus cunctis in simplicitate conversantem dixerunt nonnulli? Quare te talem præbes? Ille respondit : Duodecim annos servivi Domino meo, ut mihi hanc gratiam largiretur ; et omnes mihi consilium datis, uti eam deponam?

X. Dicebant de Abbate Macario, quod si cum fratribus vacans versaretur, ita secum constituebat; si vinum affuerit propter fratres bibe ; et pro uno vini poculo, per unum diem aquam non bibas. Igitur fratres, reficere cupientes, dabant ei. Senex autem cum gaudio admittebat, ut se ipsum torqueret. At discipulus ejus, cui res nota erat, dicebat fratribus : Per Dominum, ne præbeatis illi ; alioqui in cella confecturus est se. Quo comperto fratres, non amplius ei porrigebant.

XI. Proficiscens aliquando Abbas Macarius a palude in cellam suam, portabat palmarum ramos ; et ecce occurrit ei in via diabolus falcem gerens. Utque voluit eum ferire,

Digitized by Google

non valuit. Itaque ait ei: Multa a te vis, Macari, quod adversus te nihil valeo. En enim, quidquid agis, ego quoque facio. Tu cibo abstines, et ego: vigilas; ego penitus non dormio. Unum solum est in quo vincis me. Interrogavit Abbas Macarius: Quodnam est illud? Respondit: Humilitas tua. Ac propterea adversus te nihil possum.

XII. Interrogaverunt quidam e patribus Abbatem Macarium Ægyptium, dicentes: Qui fit, ut sive comedas, sive jejunes, corpus tuum pariter siccum sit? Responditque illis senex: Lignum quod versat sarmenta quæ comburuntur, omnino ab igne consumitur. Simili modo si mentem suam homo in timore Dei mundaverit, ipse Dei timor corpus ejus consumit.

XIII. Profectus est aliquando Abbas Macarius a Sceti in Terenuthim; et ingressus est fanum, ut dormiret. Erant autem ibi vetera ethnicorum cadavera; e quibus unum acceptum posuit sub capite suo, velut embrimium. Dæmones ergo intuiti audaciam ejus, invidia ducti sunt: ac volentes eum terrere, velut fœminam de nomine vocabant, dicentes: Illa, veni nobiscum ad balneum: respondit autem alius dæmon sub ipso tanquam e mortuis, sic: Peregrinum habeo super me, nec possum venire. At senex territus non est, sed audacter verberabat corpus: Surge, inquiens, vade in tenebras si potes. Quo audito dæmones clamaverunt voce magna: Vicisti nos. Tum pudore suffusi aufugerunt.

XIV. Dicebant de Abbate Macario Ægyptio, quod ascendens e Sceti, ac sportulas portans, defatigatus sedit, oravitque ad hunc modum Deus: tu scis, nihil mihi virium superesse. Et illico juxta fluvium est delatus.

XV. Quidam in Ægypto filium habebat paralyticum, et tulit eum ad cellam Abbatis Macarii; relinquens autem ad ostium plorantem, longe abscessit. Igitur senex deorsum

Digitized by Google

aspiciens vidit puerum, et interrogavit eum : Quis te huc attulit? Respondit : Pater meus hic me projecit, et abiit. Dicit ei senex : Surgens assequere eum. Statimque sanitate recuperata surrexit et patrem consecutus est : atque ita reversi sunt in domum suam.

XVI. Abbas Macarius magnus dicebat fratribus in Sceti, postquam Ecclesiam dimisisset : Fugite, fratres. Ait illi seniorum quidam : Quonam fugere poterimus ultra solitudinem hanc? Ipse vero digitum suum ad os ponebat, dicens : Fugite hoc. Tum ingrediebatur in cellam suam, et clauso ostio sedebat.

XVII. Dixit idem Abbas Macarius : Si quempiam increpando, ad iram commoveris, affectui tuo satisfacis. Non enim, ut alios salves, perdes te ipsum.

XVIII. Idem Abbas Macarius, dum esset in Ægypto, invenit hominem habentem jumentum, et prædantem quæ ad usum suum possidebat : ipse vero tanquam peregrinus astans furi, una onerabat jumentum, magnaque cum quiete deduxit eum, dicens ; « Nihil intulimus in mundum : haud » dubium quod nec auferre quid possumus. Dominus de» dit : sicut ipse voluit, ita et factum est. Benedictus Domi» nus in omnibus[1]. »

XIX. Interrogaverunt quidam Abbatem Macarium dicentes : Quomodo debemus orare? Respondit ille senex : Non opus est loqui multum, sed extendendæ sunt manus, proferendumque : Domine, sicut vis et sicut nosti, miserere. Si autem ingruerit tentationis impugnatio, dici debet : Domine, adjuva. Ipse scit, quæ expediant, et facit nobiscum misericordiam.

XX. Dixit Abbas Macarius ; Si apud te extiterit contemptus velut laus, paupertas tanquam divitiæ, indigentia sicut abundantia, non moreris. Fieri enim non potest, ut

[1] 1 Tim. VI, 7, et Job. I, 21.

Digitized by Google

qui recte credit, et in pietate operatur, incidat in vitiorum sordes ac dæmonum errorem.

XXI. Referebant: Duo fratres in Sceti deliquerunt, quos segregavit seu excommunicavit Abbas Macarius Urbicus, et venerunt nonnulli, nuntiaruntque Abbati Macario magno Ægyptio. Qui affirmavit fratres non esse segregatos, sed Macarium; etenim diligebat eum. Auditu accepit Abbas Macarius, quod a sene excommunicatus fuisset, fugitque ad paludem. Egressus itaque est Abbas Macarius magnus, ac reperit eum a culicibus perforatum; dicitque ei: Tu segregasti fratres, et secessuri sunt in vicum. Ego vero segregavi te; tuque, veluti pulchra virgo in interius cubiculum fugisti huc. At ego, vocatis fratribus, ab ipsis didici nihil horum factum esse. Vide igitur tu, frater, ne a dæmonibus illusus fueris. Nam nihil vidisti. Sed veniam incurvatus pete pro delicto tuo. Ille autem dixit: Si vis, da mihi pœnitentiam. Videns ergo senex humilitatem illius, ait: Vade, jejuna tres hebdomadas, semel singulis hebdomadis comedens. Hæc scilicet erat illius perpetua operatio, hebdomadas jejunare.

XXII. Dixit Abbas Moyses Abbati Macario in Sceti: Volo cum quiete ac silentio vivere, nec sinunt me fratres. Ait illi Abbas Macarius: Video te indolis mollioris esse, nec posse fratrem a te avertere: sed si desideras quietam vitam, proficiscere ad eremum, intro in petra, et illic quiete deges. Atque hoc fecit, et conquievit.

XXIII. Frater convenit Abbatem Macarium Ægyptium, et dixit ei: Abba, effare mihi verbum, quonam modo salvus ero. Ait senex: Vade ad sepulcrum, et maledictis mortuos impete. Abiens igitur frater, convitiis et lapidibus appetiit: reversusque annuntiavit seni. Quærit ab eo; Nihil tibi responderunt? frater: Nihil. Tum senex inquit: Iterum proficiscere cras, laudibus eos effer. Pergens itaque

Digitized by Google

frater, collaudavit eos, vocans : Apostoli, sancti, justi. Tum adiit senem dixitque : Laudavi. Ille ei : Nihil tibi responderunt? Frater : Nullo modo. Tunc senex infit : Nosti quantis eos contumeliis affeceris, nec quidquam reposuerunt tibi ; et quantis eosdem laudibus ornaveris, nihilque ad te prolocuti sunt : ita etiam tu, si salutem consequi desideras, mortuus fias ; nec injurias hominum, nec laudes eorum cogites, instar mortuorum, sic poteris salvus fieri.

XXIV. Præteriens aliquando Abbas Macarius per Ægyptum una cum fratribus, audivit puerum ita matri suæ loquentem : Mater, quidam dives diligit me, et odi eum ; pauper vero odit me, ac eum diligo. Quo audito sermone admiratus est Abbas Macarius. Dicunt ei fratres : Quid hoc verbi est, pater, quod affectus sis admiratione? Respondit illis senex : Revera Dominus noster dives est diligitque nos, nec volumus illi obtemperare ; inimicus autem noster diabolus pauper est, odioque nos prosequitur, et diligimus ejus impuritatem.

XXV. Rogavit eumdem multis cum lacrymis Abbas Pœmen, dicens : Eloquere mihi verbum, quomodo assecuturus sim salutem. Senex vero ei respondit : Quam quæris rem, nunc recessit a mŏnachis.

XXVI. Aliquando Abbatem Antonium convenit Abbas Macarius, habitoque adeum sermone, Scetin reversus est. Obviam ei processerunt patres. Et in colloquio ait illis senex : Abbati Antonio dixi, quod in loco nostro carcamus oblatione. Cœperunt patres disserere aliis de rebus, nec requisierunt responsum discere a sene, nec senex eis prolocutus est. Hoc ergo pronuntiabat patrum quidam : Cum viderint patres, e fratrum memoria excidere, ut interrogent de re eis utili, necessitatem sibi imponunt principium orationis proferendi : quod si a fratribus non adigantur,

Digitized by Google

non persequuntur sermonem; ut ne deprehendantur locuti neque interrogati, videaturque esse otiosa loquela.

XXVII. Hunc in modum percontatus est Abbas Esaïas Abbatem Macarium : Profer mihi sententiam. Et dixit ei senex : Homines fuge. Rursus Abbas Esaïas : Quid est fugere homines. Senex vero : Sedere in cella tua, et deflere tua peccata.

XXVIII. Hoc referebat Abbas Paphnutius discipulus Abbatis Macarii : Rogavi patrem meum, ut aliquid mihi diceret. Illius autem oratio fuit : Neminem læseris, neminem condemnaveris. Hæc observa et salvus fies.

XXIX. Dixit Abbas Macarius : Noli dormire in cella fratris, qui malam famam habet.

XXX. Accesserunt aliquando fratres ad Abbatem Macarium Sceti agentem, nec quidquam invenerunt in cella ejus, nisi aquam putridam. Dicunt ei : Abba, ascende in pagum, reficiemus te. Excepit senex : Nostis, fratres, illius talis hominis pistrinum in pago? Respondent : Etiam. Tum senex : Ego quoque novi. Scitis et prædium illius, ubi fluvius salit? Aiunt; Scimus. Ego quoque scio, inquit senex. Quando igitur placet, vestri opus non habeo, sed mihi apporto.

XXXI. Aiebant de Abbate Macario, quod si ad eum accederet frater, cum timore, tanquam ad sanctum et magnum senem, nihil ei loquebatur. Si vero fratrum quispiam tanquam nihili faciens ei diceret; Abba, quando eras camelarius, et nitrum furabaris, ac vendebas, nonne verberabant te custodes? Si ista quis esset prolocutus, huic cum gaudio, si quid interrogasset, responsum dabat.

XXXII. De Abbato Macario Magno asserebant, quod extiterit, sicut scriptum est, Deus terrestris. Quia quemadmodum Deus mundum tegit; ita Abbas Macarius delicta

Digitized by Google

obtegebat; quæ vicerat, quasi non vidisset; quæ audierat, quasi non audivisset.

XXXIII. Narratio Abbatis Vitimii extitit, quod ita retulerit Abbas Macarius : Sedente me aliquando in Sceti, descenderunt illuc duo juvenes peregrini; quorum unus barbam gerebat, alter vero primam emittebat lanuginem. Hi venerunt ad me rogantes, ubi esset cella Abbatis Macarii? Tum Ego : Quid eum vultis? Aiunt : Audita ejus ac Sceteos fama, venimus, ut videamus eum. Dico : Ego sum. Factaque corporis inclinatione, inquiunt : Hoc in loco cupimus manere. Ego vero videns eos delicatos et velut in divitiis educatos, aio : Non potestis residere hic. Tum major infit : Si non possimus remanere hic, ad alium pergemus locum. Ego intra mentem meam; Cur pello eos, et scandalum patientur? Efficiet labor, ut ipsi sponte fugiant. Itaque dico eis : Venite, construite vobis cellam, si potestis. Illi : Ostende nobis locum, construemus. Dedit autem eis senex securim, peramque plenam panibus, et sal : ostenditque petram duram, monens : Lapides hic incidite, atque ex palude portate vobis ligna, tectoque imposito, residete. Putabam autem, inquit, illos propter laborem recessuros. Porro petierunt a me, quid eo loci operaturi essent. Respondi, plectam facerent : sumptisque e palude foliis palmarum, ostendi ipsis plectæ seu funis principium, utque consuere oporteret; dixique : Facite sportas, quas tradetis custodibus, ipsi vero afferent nobis panes. Deinde abscessi. At illi patienter quæcumque mandaveram executi sunt : nec venerunt ad me tribus annis. Ego vero assidue cum animo meo colluctabar, reputans; Ecquæ est eorum operatio, quod non accesserint interrogaturi de cogitatione? Qui procul habitant, veniunt ad me : et isti cum propinqui sint, non accesserunt, nec ad alios profecti sunt : duntaxat pergunt ad Ecclesiam, taciti, ut accipiant

Digitized by Google

oblationem. Igitur oravi Dominum, jejunans una hebdomade, ut manifestum mihi faceret, quidnam operarentur. Post hebdomadam vero surgens, ad eos abii, ut intuerer, quomodo agerent. Et cum pulsassem aperuerunt, meque salutarunt cum silentio. Feci orationem, et sedi. Major innuit minori, ut egrederetur: ipseque sedit, ad conficiendam plectam, nec quidquam loquebatur. Ad horam vero nonam strepitum edidit. Venit junior, fecit parum polentæ, ac majore innuente apposuit mensam, cumque super eam tres paximates posuisset, stetit tacens. Ego vero dixi: Surgite, comedamus. Inde consurgentes cibum sumpsimus. Attulit baucale, ac bibimus. Ut autem advenit vespera, petunt a me: Recedis-ne? Respondi: Non, sed hic dormio. Unde posuerunt mihi stoream ex parte, et sibi ad alium angulum ex parte; tuleruntque zonas suas et succinctoria, simulque collocaverunt se in matta ante me. Cæterum postquam composuerunt se, oravi Deum, ut mihi operationem eorum revelaret. Tunc apertum est tectum, ortaque est lux, velut per diem; ipsi autem non cernebant lucem. Cum vero existimarent dormire me, major fodicat minoris latus. Consurgunt, cingunt se, expandunt manus ad cœlum. Porro ego cernebam eos; ipsi non videbant me. Ad hæc vidi dæmones instar muscarum venientes super minorem, quorum alii accedebant, ut sederent in ore ejus, alii in oculis. Simul conspexi Angelum Domini cum gladio ignis præ manibus, circumvallantem eum, dæmonesque ab eo propellentem. At majori non poterant appropinquare. Circa matutinum vero tempus, recubuerunt: ego assimilavi, me mox expergefactum; ipsique similiter. Hoc autem duntaxat mihi elocutus est verbum major: Vis recitemus duodecim Psalmos? Excipio: Etiam. Tum psallit minor quinque Psalmos, a sex versibus, et unum alleluia, atque ad unumquemque versum, exibat ignis lampas

Digitized by Google

ex ore ejus, ascendebatque in cœlum. Pari modo etiam major, quando aperiebat os in psallendo, tanquam funiculus ignis egrediebatur, et pertingebat usque in cœlum. Etiam ego parumper ex pectore ac memoria recitavi. Post quod exiens, dixi : Orate pro me. Ipsi autem inclinaverunt se, tacentes. Comperi ergo, quod major perfectus esset, minorem adhuc impugnaret inimicus. Cæterum post paucos dies, mortis somnum obdormivit major frater, ac tertia dein die minor. Cumque e patribus nonnulli adirent Abbatem Macarium, ducebat eos in istorum cellam, cum his verbis : Venite, videte martyrium minorum peregrinorum.

XXXIV. Miserunt aliquando ad Abbatem Macarium in Sceti consistentem senes montis, orantes eum, et aiunt : Ne universa multitudo ad te veniendo fatigetur, precamur, ut accedas ad nos, quo videamus, antequam emigres ad Dominum. Qui ad montem cum affuisset, congregata est omnis multitudo circa eum. Senes vero rogaverunt, ut ad fratres haberet sermonem. Ille audita rogatione : Ploremus, inquit, et oculi nostri profundant lacrymas, antequam eo abeamus, ubi lacrymæ nostræ combusturæ sunt corpora nostra. Et ploraverunt cuncti, ceciderunt que super faciem suam, nechon dixerunt : Pater, ora pro nobis.

XXXV. Alia iterum vice dæmon insurrexit adversus Abbatem Macarium cum gladio, volens pedem ejus amputare : sed cum propter humilitatem ipsius non posset, dixit ei : Quæcumque habetis, habemus etiam nos : sola humilitate a nobis differtis et prævaletis.

XXXVI. Dixit Abbas Macarius : Si retinuerimus memoriam malorum, quæ nobis inferuntur ab hominibus, abolemus vim recordationis Dei : quod si recordati fuerimus malorum quæ per dæmones contingunt, erimus invulnerati.

Digitized by Google

XXXVII. Retulit Abbas Paphnutius, discipulus Abbatis Macarii, verba senis : Quando eram puer, cum aliis pueris pascebam buculas; et perrexerunt furatum ficus. Dumque currunt, una ex iis cecidit, quam tollens comedi. Quoties ergo ejus rei redit memoria, plorans sedeo.

XXXVIII. Narravit Abbas Macarius : Iter agens aliquando per eremum, inveni calvariam mortui ad solum jacentem; quam cum palmeo baculo movissem, locuta mihi est calvaria. Dico ei : Tu quis es. Respondit mihi caluaria : Ego eram pontifex idolorum, eorumque gentilium, qui hoc loco morabantur : tu vero es Macarius, qui Spiritum Dei fers : quacumque hora commotus fueris misericordia erga eos, qui in tormentis versantur, exiguum sentiunt solatium. Ait senex : Quodnam est solatium, et quodnam tormentum ? Quantum, inquit, a terra distat cœlum, tantum est ignis infra nos, a pedibus ad caput stantibus nobis in medio ignis : nec licet facie ad faciem videre quemquam; sed cujusque facies dorso alterius adhæret. Quando igitur oras pro nobis, unus ex parte spectat faciem alterius. Hoc est solatium. Et flens senex, dixit : Væ diei in qua natus est homo! Addidit : Est-ne aliud gravius supplicium ? Retulit cranium : Major pœna est subter nos. Tum senex : Et quinam illic degunt? Excepit : Nos, utpote qui ignoravimus Deum, modice misericordiam consequimur : qui vero cognoverunt Deum, et negaverunt eum, subtus nos sunt. Tunc senex calvariam sumens, humo mandavit.

XXXIX. Dictum est de Abbate Macario Ægyptio, quod aliquando e Sceti ascendebat in montem Nitriæ : et ut prope locum extitit, dixit discipulo suo : Præcede paululum. Cumque ille præiret, obvium habuit quemdam Græcorum seu gentilium sacerdotem. Ad quem clamans frater, vocabat : Heu, heu, inquiens, quo curris, dæ-

Digitized by Google

mon? Ille vero conversus, plagas ei inflixit, reliquitque semimortuum. Ac tollens, quod portabat lignum, cucurrit. Paululum progresso occurrit inter cursum Abbas Macarius, qui dixit ei : Salvus sis, salvus sis labore confecte. Ille admiratus venit ad eum, et ait : Quid boni vidisti in me, quod me salutaveris? Tum senex : Quoniam conspexi te labore fessum, ac nescis te in vanum defatigari. Sacerdos quoque : Ego salutatione tua compunctus sum, et cognovi ex parte Dei te esse. Alius vero malus monachus, obvius factus, contumelia me affecit : quare ego dedi ei plagas ad mortem. Agnovit autem senex, quod de discipulo suo loqueretur. Tunc, apprehensis ejus pedibus, sacerdos ita locutus est : Non dimittam te, nisi me feceris monachum. Et venerunt sursum, ubi erat monachus, portaveruntque illum ad Ecclesiam montis. Porro cernentes sacerdotem cum eo, stupefacti sunt; et fecerunt illum monachum. Multique gentilium propter eum facti sunt Christiani. Asserebat ergo Abbas Macarius, quod sermo malus etiam bonos malos faciat, et sermo bonus etiam malos bonos.

XL. De Abbate Macario memorabant, quod absente illo ingressus sit latro in cellam ejus. Cum autem rediisset, invenit latronem, qui camelum suppellectile sua onerabat. Ipse igitur intrans in cellam, de vasis accipiebat, et una cum eo onerabat camelum. Ut ergo sarcinam immiserunt, cœpit fur verberare camelum, ut surgeret; neque surgebat. Videns porro Abbas Macarius, quod non exurgeret, cellam ingressus invenit parvum sarculum, emissumque imposuit camelo, dicens : Frater, hoc quærebat camelus. Pede vero pulsans eum senex, ait : Surge. Confestimque surrexit, et parumper itineris confecit propter ejus sermonem. Sed iterum resedit, nec exurrexit, donec deposuissent cunctam suppellectilem. Tunc enim abiit.

Digitized by Google

XLI. Abbas Aio interrogavit Abbatem Macarium, sic: Dicito mihi aliquid. Ait ei Abbas Macarius: Fuge homines; sede in cella tua, et defle peccata tua; nec dilexeris loquelam hominum; salusque tibi obtinget.

Digitized by Google

S. MACARII ALEXANDRINI

ABBATIS NITRIENSIS

REGULA

AD MONACHOS.

I. Milites ergo Christi sic taliter suos debent componere gressus, charitatem in se perfectissimam continentes, « Deum ex tota anima diligere, et ex toto corde, et ex » tota virtute sua [1]. »

II. Invicem inter se perfectissimam sectantes obedientiam, pacifici, mites, moderati, non superbi, non injuriosi, non susurrones, non irrisores, non verbosi, non præsumptuosi, non sibi placentes, sed Deo cui militant Christo : non blasphemiam sectantes, nec dicentes quidquam præter quod bonum est : ad obsequium non pigri, ad orationem parati, in humilitate perfecti, in obedientia præcincti, in vigiliis instantes, in jejunio hilares.

III. Nullus se alio justiorem arbitretur ; sed unusquisque omnibus se inferiorem contemnat : « Quia se exaltat, » humiliabitur ; et qui se humiliat, exaltabitur [2]. »

IV. Præceptum senioris ut salutem suscipias : non murmurando ullam operam facias : non responsionem contra præceptum usurpes.

V. Non te extollas, aut magnifices aliquam utilem operam fecisse : non in acquirendo aliquid lucri congaudeas, aut in damno contristeris.

[1] Marc. xii, 30. — [2] Luc. xiv, 11.

Digitized by Google

VI. Non te familiaritas ulla sæcularis trahat; sed tota delectatio tua in cellula demoretur. Cellam ut paradisum habeas; fratres tuos spirituales ut æternos confidas habere parentes.

VII. Præpositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem. Similiter quoque omnes oportet diligere fratres, cum quibus etiam te confidis videre gloriam Christi.

VIII. « Non oderis laboriosam operam [1] : » Otium quoque ne sectatus fueris. In vigiliis confectus, in opere justo affectus, ambulans quasi dormitans lassus ad stratum tuum venias, et cum Christo requiescere te credas.

IX. Cursumque monasterii super omnia diligas. Qui vero sæpius orare voluerit, uberiorem inveniet misericordiam Christi.

X. Matutinoque dicto ita meditationem habeant fratres usque ad horam secundam : si tamen nulla causa extiterit, qua necesse sit etiam prætermissa meditatione aliquid fieri in commune.

XI. Post horam vero secundam unusquisque ad opus suum paratus sit usque ad horam nonam, ut quidquid injunctum fuerit, « Sine murmuratione perficiat [2], » sicut dicit sanctus Apostolus.

XII. Si quis autem murmuraverit, vel contentiosus extiterit, aut referens in aliquo contrariam voluntatem præceptis, digne correptus secundum arbitrium senioris vel modum culpæ, tandiu abstineat, quandiu vel culpæ qualitas poposcerit, vel se pœnitendo humiliaverit, vel emendaverit; ita ut correptus non audeat usquam recidere.

XIII. Si quis frater, vel qui in oratorio sunt, vel qui per cellulas consistunt, quicumque ejus errori consenserit, culpabilis erit.

[1] Eccli. VII. 16. — [2] Philip. II, 14.

Digitized by Google

XIV. Ad horam vero orationis, dato signo, non statim prætermisso omni opere quod agit, paratus fuerit, foras excludatur, ut erubescat; quia nihil orationi præponendum est.

XV. Operam Deo dabunt singuli fratres tempore quo Missæ in vigiliis observandis fiunt, quando omnes conveniunt, ne deficiant. Quicumque gravatur somno, exeat foras : non se fabulis occupet, sed statim redeat ad opus, quo convenitur. In congregatione autem ipsa ubi legitur, aures semper ad Scripturas habeant, et silentium observent.

XVI. Hoc etiam attendendum fuit, ut frater, qui pro qualibet culpa arguitur vel increpatur, patientiam habeat, et non respondeat arguenti se; sed humiliet se in omnibus secundum præceptum Domini dicentis : « Quia Deus » humilibus dat gratiam, superbis autem resistit[1]. » Et, « Qui se humiliat, exaltabitur[2]. »

XVII. Qui vero sæpius corripitur, et non se emendaverit, novissimus in ordine stare jubeatur. Qui si nec sic quidem se emendaverit, extraneus habeatur, sicut Dominus dixit : « Sit tibi sicut ethnicus et publicanus[3]. »

XVIII. Ad mensam autem specialiter nullus loquatur, nisi qui præest, vel qui interrogatus fuerit.

XIX. Nullus se in sua peritia, neque in voce exaltet, sed per humilitatem et obedientiam lætetur in Domino.

XX. « Hospitalitatem sectantes[4] » per omnia, et ne avertas oculum, aut inanem dimittas pauperem; ne forte Dominus in hospite aut in paupere ad te veniat, et videat te hæsitantem, et contemnaris; sed omnibus hilarem te ostende, et fideliter age.

XXI. Passus injuriam taceas. Injuriam facere non nosse, factam posse tolerare. Non te inania seducant consilia,

[1] Jacob. IV, 6. — [2] Matth. XXIII, 12. — [3] Id. XVIII, 17. — [4] Rom. XII, 13.

Digitized by Google

sed magis te specialiter in Christo confirma. Non tibi æstimes ullos proximiores parentes, quam qui tecum sunt in cellula fratres.

XXII. Si ad necessaria requirenda e monasterio bini egrediantur vel terni fratres, tales fiant quibus creditur, qui timorem Dei in se habere videntur, non qui verbositatem aut gulam sectantur.

XXIII. Ergo si quis de sæculo ad monasterium converti voluerit, Regula ei introeunti legatur, et omnes actus monasterii illi pateſiant. Qui si omnia apte sustinuerit, sic digne a fratribus suscipiatur in monasterio.

XXIV. Nam si aliquam in cellula voluerit inferre substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus, velut Regula continet. Qui susceptus fuerit, non solum de substantia quam intulit, sed etiam nec de se ipso ab illa judicabit hora. Nam si aliquid prius erogavit pauperibus, aut veniens in cellulam aliquid intulit fratribus, ipsi tamen non est licitum, ut aliquid habeat in sua potestate.

XXV. Et si ex qualibet causa scandali post tertium diem inde exire voluerit, nihil penitus accipiat, nisi in veste qua venit. Quod si casu transierit, nullus hæredum[1] ejus adire debeat. Quod si impulsare (10) voluerit, Regula ei legatur, et confundatur turpiter, et discedat confusus; quia et illi a quo repetit, fuerat recitata.

XXVI. Ergo ex qualibet causa quis peccaverit frater, ab oratione suspendatur, et jejuniis distringatur. Quod si coram omnibus fratribus prostratus veniam postulaverit, dimittatur illi.

XXVII. Nam si in sua voluerit perseverare nequitia et superbia, et dicat : « Hic ego durare non possum, sed accipiam casulam meam, et eam ubi voluerit Dominus : » quisquis de fratribus eum hoc dixisse prius audierit, re-

[1] Id est, *prædium*.

Digitized by Google

ferat præposito et præpositus abbati. Abbas coram omnibus fratribus resideat, et eum exhiberi jubeat, et virgis purgetur, et oratio fiat, et sic ad communionem recipiatur. Ut si quis sane non emendatur doctrina, virgis purgetur.

XXVIII. Quod si casu quis frater de monastario exire voluerit, nihil penitus accipiat, nisi in potatissimo (11) vestimento, et extra communionem infidelis discedat. Nam quieti et pacifici excelsum diripiunt regnum, et filii computantur Altissimi [1], et pretiosas splendidasque accipient coronas; filii autem tenebrarum in exteriora ibunt tormenta. « Super quem requiescam, dicit Dominus, nisi » super humilem, et quietum et trementem sermones » meos [2] ? »

XXIX. Quarta et sexta feria qui infrangunt jejunium, Judæ æstimantur participes, qui Christum tradidit.

XXX. Illud etiam attendendum fuit, ut intra monasterium artificium non faciat ullus, nisi ille cujus fides probata fuerit, qui ad utilitatem et necessitatem monasterii faciat quod poterit facere.

EPISTOLA SANCTI MACARII

DATA AD MONACHOS.

Lignorum copia ingentem excitat flammam; multitudo autem escarum emittit concupiscentiam. Pessima concupiscentia escarum, et inobedientia generat mortem. Indigens venter in orationibus vigilantiam præstat, et coronam animæ acquirit; repletus autem somnum inducit gravissi-

[1] Matth. v, 4 et 9. — [2] Isai. LVII, 2.

Digitized by Google

mum. Oculus gulosi convivia scrutatur, oculus autem sapientum meditatur continentiam. Formidolosus miles horrescit ad tubam, quæ bellum significat; et gulosus, si abstinentiam prædicantem audierit, non libenter auscultat. Flamma cum marcescit, elucescit iterum si acceperit lignum; et libido sopita rursum crescit in saturitate. Non miserearis corpori, si lassitudine defecerit: equus consentiens indigens corpus, nec ascensorem dejicit unquam. Concupiscentia gulæ mater est libidinis. Oleum nutrit lampada lucernæ, et ignem reaccendit confabulatio mulieris. Facies mulieris sagitta est truculenta; infigit vulnus in animam. Ut venenum fuge confabulationem mulieris, si castus esse volueris; absconsum namque in eis est venenum bestiarum nequissimum. Magis appropinqua igni ardenti, quam mulieri novellæ. Cum sis juvenis, fuge impetum libidinis, et confabulationem mulieris. Qui repleverunt ventrem, et promiserunt castitatem, sibi mentiuntur. Forma pulchritudinis pejus quam procella submergit. Species mulieris si semel mentem contriverit, etiam ipsam mentem contemnere persuadet. Ut enim si paleis removetur ignis, excitat flammam; sic memoria mulieris permanens succendit concupiscentiam. Ut enim cumulata navis undarum ictu obruitur, sic multa possidens monachus non salvabitur. Nihil possidens monachus athleta insuperabilis: nihil possidens monachus cursor levis, velociter ad bravium vocationis pervenit. Avarus monachus operari negligit; nihil possidens monachus post opus moderatum orationibus et lectionibus vacat. Avarus monachus thesaurizat sibi iram in die ultionis; nihil possidens monachus thesaurizat in cœlo, et dabit laudem cum Angelis Deo. Gloriatio monachis, patientia tribulationibus ejus. Gloriatio monachi, longanimitas cum charitate. Gloriatio monachi, nulla res præsentis vitæ possidere. Gloriatio monachi, vigiliæ et

Digitized by Google

flctus in orationibus. Gloriatio monachi, mansuetudo et cordis silentium. Gloriatio monachi, quando Dominum ex toto corde dilexerit, et proximum suum tanquam se ipsum. Gloriatio monachi, abstinentia escarum, et a multiloquio linguæ. Gloriatio monachi, quando proximum suum sicut se ipsum patitur. Gloriatio monachi, quando verba ejus operibus consonant. Gloriatio monachi, quando in loco suo permanet, et huc illucque non vagatur. Gloriatio monachi, longanimitas. Sicut lampas in loco tenebroso, sicut sol radians; sic monachus mente sobria, et corde pervigili in tempore salutis suæ. Sicut pondus salis deprimit virum infirmum, sic somnus monachum. Sicut spinæ et tribuli agro opimo, sic et cogitationes turpes pessimæ in corde monachi. Sicut tinea exterminat vestimentum, sic distractiones animam monachi. Noli te dare ad colloquium mulierum, ne fias separatus a regno Dei; et ne velis dicere: Loquar cum muliere, et mundus sum. Monachus sapiens suis manibus operatur, et victum sibi quotidianum acquirit, et lucratus est orationes et jejunia sua; si autem ab alio acceperit victum, quid prodest quod orat et vigilat? Sicut mercenarius malus, nudus evadit, quia scriptum est: « Melius est dare quam accipere [1]. » Qui legis, intellige in Domino semper.

[1] Act. xx, 35.

Digitized by Google

SERMO S. MACARII ALEXANDRINI

DE EXCESSU JUSTORUM ET PECCATORUM.

Quorsum scilicet eorum animæ e corpore denigrent, et quomodo se habeant.

I. Cum forte in deserto nostro obambularemus, Angelos vidi duos sanctum Macarium comitantes, a dextris alterum, alterum a sinistris. Accidit autem, ut in cadaver incideremus jam fœtens. Cujus ubi fœtorem sanctus Macarius persensit, naros derepente digitis oppressit, donec transisset. Idem et ab Angelis factum, animadversumque Macario. Ergo igitur rogavit eos, num et ipsi fœtore mundano tangerentur. Negarunt illi, dixeruntque ad ipsius sese illud exemplum fecisse. Nos enim tetrum illum mundanum odorem nequaquam percipimus, illius tantum participes, quem peccatorum animæ exhalant. Hic enim ita nos afficit, quemadmodum ille e cadaveribus in putrorem euntibus vos male habet. Ad hæc, quæso, inquit noster senex, indicare ne gravemini, utrum hunc peccatricium animarum fœtorem in hac vita sentiatis, an post hanc vitam: quidque inter impiarum, et fidelium animarum odorem sit discriminis, quo utrasque inter se dignoscatis, atque ita pias ab infidelibus distinguatis? Obsecro vos, si gratiam apud vos inveni, molestum ne sit hoc exponere. Et Angeli quidem lubenter: Accipe, responderunt, electe Dei Macari, quid hujusce rei sit.

II. Anima peccatrix, etiam cum corpori adhuc suo alligata est, malorum operum fœdum odorem spargit: post

Digitized by Google

mortem vero multo etiam fœdiorem. Opera namque mala incubant illi, tenebrisque illam velut atra veste circumdant. Etenim anima natura suâ lucida est et pura, quippe quæ e divino afflatu suam traxerit originem. Verum quandiu in corpore hæret, et ab eo male habetur potius, ac regitur, quam id habet, et regit, a peccato ex parte contaminatur; hæc illa plus minus. Quomodo vero animæ e corporibus discedant, abducanturque, tam fidelium quam infidelium, audi sis, Macari, et de mundanis, quomodo cœlestia tractentur, exemplum tibi capiundum existima. Quemadmodum enim, qui a terrestri rege mittuntur milites, uti quem sistant, illum etiam invitum ac reluctantem comprehendunt, ac tenent; ille vero timore perculsus tremit, eorumque horret præsentiam, a quibus absque ulla misericordia ad iter faciendum trahitur: sic et cum Angeli mittuntur, ut animam aliquam excipiant, sive illa probi hominis sit, sive improbi, pavet illa, et extimescit terribilium et severorum Angelorum consortium. Tum enim demum, quam inutilis sibi et infirma sit, nullinsque opis, divitiarum, cognatorumque et amicorum copia, animadvertit: et horum quidem circumstantium undique lacrymas et lamenta audit, intelligitque: verum verbum proloqui nullum potest, nec vocem mittere: quippe quæ nunquam istiusmodi evocationem fuerit experta. Sed et ad immensam viæ prolixitatem exhorrescit, ac commutatum vitæ genus: tum et eorum, quorum jam in potestate est, intuitu perterretur, quos nulla sui tangi videt misericordia. Adhæc et corporis eam afficit convictus, ab eoque se tanquam a familiari quodam contubernali divulsam, disjunctamque dolet, atque lamentatur. Neque vero vel unicum illud ipsi adest, aut succurrit solatium, quod a conscientia suppeditari solet, nisi si forte animus bonorum sibi operum conscius fuerit. Istiusmodi enim anima, etiam

Digitized by Google

ante supremi Judicis sententiam, a conscientia perpetim judicatur.

III. Hic Abbas Macarius, Domini mei, inquit, rogo vos ut et illud mihi exponere dignemini. Quandoquidem ita se res habet, quid commodi ad animam ex eo ritu redeat, qui a patribus nostris institutus est, uti tertia, et nona, atque item quadragesima die oblatio Deo fiat in Ecclesia pro defuncto? Dicam, inquit Angelus : Nihil omnino Deus in Ecclesia sua aut frustra fieri permisit, aut inutiliter : verum cœlestia sua et terrena mysteria in Ecclesia sua adhiberi concessit, jussitque peragi. Cum enim tertia die oblatio in Ecclesia fit, levamen aliquod doloris, quem e corporis sejunctione sentit, anima defuncti ab Angelo, cujus in potestate est, accipit ; quandoquidem pro ea in Ecclesia benedictio et oblatio Deo offeruntur. Ac tum spe etiam meliore impletur. Biduum enim illud animæ permittitur, ut una cum Angelis, qui ei præsto sunt, quocumque animus tulerit, in terras descendat. Quæcumque igitur corporis sui amore ducitur, vel domum illam abit, ubi a corpore sejuncta fuit, vel circa sepulcrum versatur, in quo corpus suum conditum jacet. Atque ita quidem biduum illud insumit, haud secus ac avicula solet nidum requirens. Ac pia anima, ac virtutis amans, ad illa loca proficiscitur, in quibus pietatem exercere solita fuit. Cæterum tertia die ille, qui a mortuis tertia die resurrexit, Christus, ille omnium Deus, omnes Christianorum animas attolli in cœlos jubet, ad imitationem resurrectionis suæ, ut omnium adorent Deum. Recte igitur mos ille ab Ecclesia observatur, ut tertia die pro anima defuncti oblatio, precesque fiant. Ergo ubi Deum venerata est, jubet ille, ut animæ illi variæ jucundæque sanctorum sedes, totaque paradisi voluptas atque elegantia ostendatur, et hæc ea omnia diebus sex cognoscit, admirans, laudibusque concelebrans ordi-

Digitized by Google

natorem horum Deum. Quæ ubi contuetur, ac perlustrat, immutatur, oblivisciturque ærumnarum omnium, et laborum, quos in corpore commorans fuerat perpessa.

IV. At si peccatorum rea fuerit ac affinis, voluptates conspicata sanctorum, contristari incipit, seque ipsa damnare, Hei mihi, inquiens, quam ego in terris desipui, quæ vitæ voluptatibus tempora mea tribuens maximam vitæ partem incuriæ me tradidi, nec, ut factum oportuit, Deo servivi, ut et ipsa hujusce gratiæ ac gloriæ essem particeps! Me miseram! etiamnum me curæ et inconsulta sollicitudo, quibus in illo mundo tenebar, circumstare, ac circumsultare non cessant! Quid nunc me juvant aut vineta, quæ plantavi, aut oliveta, quæ colui? quid nunc ad me commodi ex agro redit, quem coëmi? quæ ex auro utilitas, quod amavi? quid divitiæ prosunt, quas illic possedi? quid omnis vitæ voluptas, qua isthic fruitus sum? Hei mihi! quæ incassum me fatigavi! hei mihi, quæ insipienter vitam perdidi! hei mihi, quæ exigui temporis, quam deperibam, gloria, perennem ac æternam mihi infamiam comparavi! hei mihi, quæ mala mens me pessumdedit! Væ mihi! quomodo ita excæcata fuerim, non capio. Væ mihi! nunc mihi auxilium ferre nemo potest, nec efficere quisquam, ut et ego infelix gloriæ Domini fiam particeps. Postquam vero diebus illis omne piorum gaudium contemplata est, sursum rursus ab Angelis ad adorandum Deum evehitur. Recte igitur nona die Ecclesia pro vita functis preces et oblationes instituit. Post alteram vero adorationem, ille omnium arbiter Deus duci illam ad inferos jubet, ibique ipsi pœnas ostendi, variaque impiorum supplicia, quæ desidentes illic animæ jugiter lamentando deplorant, dentibusque infrendunt. In his autem suppliciorum diversis generibus perlustrandis triginta dies anima occupatur, tremens ac metuens, ne et ipsa ad tam

Digitized by Google

diram et horribilem custodiam damnetur. Quadragesima vero die iterum sursum tollitur, quo Dominum adoret. Exin, prout ejus merita, locus illi custodiæ a Judice assignatur. Præclare igitur in Ecclesia commemoratio usurpatur defunctorum et baptizatorum.

V. Sed non par ratio eorum, quibus sanctum baptisma non contigit. Has enim non illuminatas animas, ubi e corpore discessere, immites angeli duriter accipiunt, cædentes, ingerentesque! Huc huc, anima impia, vide, quis tuus et omnium Dominus Christus sit, et quem cognoscere in hac vita remisse ac negligenter agens noluisti. Hunc tandem cognosce perpetuis damnata suppliciis. Et ad primum usque cœlum eam sublevantes statuunt ibidem, ut e longinquo Angelorum, et omnium cœlestium Potestatum gloriam intueatur, dicentes: Horum omnium Dominus est Jesus Christus, Filius Dei vivi, quem nosse noluisti, nec adorare. Vade igitur ad tui similes impios, et ad eorum principem diabolum in ignem æternum, qui diabolo et angelis ejus præparatus est: quos, dum in vivis eras, tanquam deos adorasti. Hæc ubi dicta, evanuerunt Angeli ex oculis nostris. Nos autem laudes dicamus Patri, et Filio, et Spiritui sancto, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

SANCTORUM PATRUM

SERAPIONIS, MACARII,

PAPHNUTII, ET ALTERIUS MACARII

REGULA AD MONACHOS I.

CAPUT I.

PRÆFATIO.

SEDENTIBUS nobis in unum consilio saluberrimo, cum prece Dominum nostrum rogavimus, ut nobis distribueret Spiritum sanctum, qui nos instrueret, qualiter fratrum conversationem, vel Regulam ordinare possimus.

CAPUT II.

De prima conjugatione cœnobitarum. SERAPION *dixit:*

« Quoniam misericordia Domini plena est terra[1], » et multorum agmina ad vitæ fastigium tendunt, et quia eremi vastitas et diversorum monstrorum terror singillatim habitare fratres non permittit; optimum videtur Spiritus sancti præceptis obedire. Nec nostra propria verba possunt firma perseverare, nisi firmitas Scripturarum e centesimo tricesimo secundo Psalmo nostrum ordinem firmet, quo dicit: « Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres

[1] Psal. xxxii, 5.

Digitized by Google

» in unum [1]. » Et iterum : « Qui habitare facit unanimes in » domo [2] ; » firmam jam nunc Regulam pietatis per Spiritus sancti ostensionem fratribus ordinare prosequamur.

CAPUT III.

Idem ipse : De unanimitate et jucunditate fratrum.

Volumus ergo fratres unanimes in domo cum jucunditate habitare ; sed qualiter unanimitas ipsa, vel jucunditas recto ordine teneatur, Deo adjuvante, mandamus.

CAPUT IV.

Qui supra : De abbate, et quomodo ei obediant monachi.

Volumus ergo unum præesse seniorem super omnes fratres, nec ab ejus consilio vel imperio quemquam sinistrum declinare, sed sicut imperio Domini cum omni lætitia obedire ; dicente Apostolo ad Hebræos : « Obedite præpositis » vestris, quia ipsi vigilant pro vobis [3]. » Et ipse Dominus dixit : « Nolo sacrificium, sed obedientiam [4] » Considerandum est quoque ab his, qui se tali opere unanimes esse cupiunt, quia per obedientiam Abraham placuit Deo, « Et » amicus Dei appellatus [5]. » Per obedientiam ipsi Apostoli meruerunt testes Domino in tribubus et populis esse. Ipse quoque Dominus noster de supernis ad inferiora descendens ait : « Non veni facere voluntatem meam, sed ejus » qui me misit [6]. » His ergo tantis virtutibus firmata obedientia magnopere magnoque studio teneatur.

[1] Psal. CXXXII, 1. — [2] Id. LXVII, 7. — [3] 1 Hebr. XIII, 17. — [4] Matth. XI, 13. — [5] Jacob. II, 23. — [6] Joan. VI, 38.

Digitized by Google

CAPUT V.

MACARIUS *dixit : Qualiter spirituale exercitium ab his, qui præsunt patribus teneatur.*

Quoniam fratrum insignia virtutum, habitationes quoque, vel obedientia superius conscripta sunt; nunc qualiter spirituale exercitium ab his, qui præsunt, patribus teneatur, Deo juvante, ostendamus. Debetis qui præestis patres, tales vos exhibere, ut Apostolus ait : « Estote forma » credentibus [1] : » hoc est, ut per qualitatem mysticæ pietatis et severitatis, fratrum animos ad cœlestia de terrenis erigatis, dicente Apostolo : « Argue, obsecra, increpa, » cum omni patientia et doctrina [2]. » Et alio loco inquit : « Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansue» tudinis [3] ? » Decernendum est ab illo qui præest, qualiter circa singulos debeat pietatis affectum monstrare, et qualiter tenere debeat disciplinam, non immemor Domini dicentis : « In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis [4]. »

CAPUT VI.

Idem ipse : Ut in oratione astantibus nullus sine præcepto abbatis Psalmum imponat.

Astantibus ergo ad orationem nullus præsumat sine præcepto qui præest patris, Psalmi laudem emittere. Ordo iste teneatur, ut nullus priorem in monasterio ad standum vel psallendum ordine præsumat præcedere, dicente Salomone : « Fili, primatum concupiscere noli [5] ; Neque accu-

[1] 1 Thess. I, 7. — [2] 2 Tim. IV, 2. — [3] 1 Cor. IV, 21. — [4] Matth. VII, 2. — [5] Eccli. VII, 4.

Digitized by Google

» bueris prior in convivio, ne veniat melior te, et dicat » tibi : Surge, et confusionem patiaris in die illa[1]. » Et iterum, « Noli altum sapere, sed time[2]. » Quod si tardat is, qui præest, oportet primum in notitiam ejus differre, et secundum ejus imperium obedire convenit fratres.

CAPUT VII.

Idem ipse : Quomodo examinentur qui ex sæculo convertuntur.

Qualiter vero examinatio erga eos, qui de sæculo convertuntur teneri debeat, ostendamus vobis. Amputandæ sunt primo ab hujuscemodi divitiæ sæculi. Et si quis pauper converti videatur, habet et ipse divitias, quas amputare debeat, quas Spiritus sanctus ostendit per Salomonem dicens : « Odit anima mea pauperem superbum, et divitem men- » dacem[3]. » Et alio loco dicit : « Sicut vulneratum superbum[4]. » Debet ergo is, qui præest, pater, magno studio hanc regulam tenere; ut si pauper convertitur, primo exponat sarcinam superbiæ, et sic examinatus suscipiatur. Debet ante omnia humiliter imbui, ut quod magnum et Deo acceptum sacrificium est, suam voluntatem non faciat unusquisque vestrum, fratres; sed, « Ad omne opus bonum » parati estote[5]. » Quidquid acciderit aut justum quid fuerit, memores esse debetis : « In tribulatione patientes[6]; » in operibus honesti. « Nolite vos invicem ad iracundiam » provocare[7], sed semper bona sectamini[8]. » Ii, qui tales sunt, cum de sæculi hujus illecebris liberari voluerint, appropiantes monasterio, hebdomada pro foribus jaceant : nulli cum eis de fratribus jungantur, et semper dura et la-

[1] Luc. XIV, 8. — [2] Rom. XI, 20. — [3] Eccli. XXV, 4. — [4] Psal. LXXXVIII, 11. — [5] 2 Tim. II, 21. — [6] Rom. XII, 12. — [7] Ephes. VI, 4. — [8] 1 Thess. V, 15.

Digitized by Google

boriosa eis proponantur. Si vero perseveraverint pulsantes, eis non negetur ingressus; sed is, qui præest, pater hujusmodi hominos introire permittat, et qualiter vitam fratrum, vel regulam tenere possint, ostendat. Quod si dives est, et habens multas divitias in sæculo, et converti voluerit, debet primo Dei voluntatem implere, et consequi præceptum illud præcipuum, quod adolescenti diviti dicitur: « Vende omnia bona tua, et da pauperibus, et tolle crucem tuam et sequere me[1]. » Deinde instruendus est ab eo qui præest patre, ut nihil relinquat, nisi crucem Christi quam tenet, et sequatur Dominum. Cruris vero fastigia quæ tenenda sunt, prima omni obedientia non suam voluntatem facere, sed alterius. Quod si voluerit monasterio partem conferre, noverit quo ordine sive ipse, sive ejus oblatio suscipiatur. Et si voluerit de suis servis secum in monasterio conducere, noverit jam non eum servum habere, sed fratrem; ut in omnibus perfectus inveniatur homo ille.

CAPUT VIII.

Idemque : Qualiter peregrini hospites suscipiantur.

Venientibus eis nullus nisi unus, cui cura circa hospitale fuerit injuncta occurrat, et responsum det venientibus. Orare, vel pacem offerre non liceat ulli, nisi primo videatur ab eo, qui præest, patre; et oratione simul peracta, sequatur ordine suo pacis officium reddere. Nec licebit alicui fratri cum superveniente sermocinari : non sit ulli cura interrogandi, unde venerit, quid venerit, vel quando ambulaturus sit, nisi soli, qui præest, patri, aut quibus ipse jusserit. Venientibus vero fratribus ad horam re-

[1] Marc. x, 21.

Digitized by Google

fectionis, non licebit peregrino fratri cum fratribus manducare, nisi cum eo, qui præest, patre, ut possit ædificari. Nulli licebit cum eo loqui; nec alicujus audiatur sermo, nisi divinus, qui ex pagina proferatur, et ejus qui præest patris, vel quibus ipse jusserit loqui, ut aliquid de Deo conveniat.

CAPUT IX.

Qualiter jejuniorum ordo teneatur. PAPHNUTIUS *dixit:*

Magna et utilia ad animæ salutem dicta sunt, fratres; nec hoc tacendum est, qualiter jejuniorum ordo tenendus sit. Nec aliud huic firmitati testimonium convenit, dulcissimi fratres, nisi illud quod dicit: « Petrus autem et Joannes ascendebant in templum circa horam orationis nonam[1]. » Debet ergo iste ordo teneri, fratres, ut nullo die nisi hora nona reficiantur fratres in monasterio, excepta dominica die et quinquagesima Pentecostes. Die autem dominica nihil aliud agant, nisi Deo vacent, ne pro aliqua occasione se velint aut alios excusare. Tamen contestor fratres, quod nulla operatio in die illa sancta comperiatur, nisi tantum hymnis et Psalmis, et canticis spiritualibus dies illa transigatur.

CAPUT X.

Idem ipse: Qualiter fratres debent operari.

Idemque præcipimus. Debent ergo fratres istum ordinem tenere. A prima hora usque ad horam tertiam Deo vacent fratres; a tertia vero usque ad nonam, quidquid injunc-

[1] Act. III, 1.

Digitized by Google

tum fuerit a patre, sine aliqua murmuratione faciant. Meminisse debent hi, quibus injungitur, dictum Apostoli : « Omnia quæ facitis, sine murmuratione facite[2]. » Timere debent illud dictum terribile : « Nolite murmurare, sicut » quidam eorum murmuraverunt, et ab exterminatore » perierunt[3]. » Debet etiam qui præest pater, opus quod faciendum est uni injungere, ut cæteri ejus præcepto cui injunctum fuerit, fratres obediant sine querela.

CAPUT XI.

Qualiter infirmitas vel possibilitas corporum ab eo, qui præest, patre, cognoscenda sit.

Si quis ex fratribus pro jejunio, vel operibus manuum suarum quæ Apostolus præcepit : « Operantes manibus » nostris, ne quem vestrum gravaremus[4]. » Si is, qui talis est, fuerit infirmitate obsessus, providendum est ab eo, qui præest, qualiter ipsa infirmitas sustentetur. Quod si infirmus est animo hujusmodi frater, oportet eum frequentius operari, considerando Apostolum, qualiter corpus suum servituti redigit. Hoc autem observandum est, ut in nullo voluntatem suam faciat ille.

CAPUT XII.

Qualiter officiis mutuis se fratres præveniant.

Si congregatio multa est, debet is, qui præest, pater, disponere hebdomadarios, et ordinem officii, quo sibi invicem succedant ad ministrandum; et decernere debet ille, quomodo debeat esse, qui cellarium fratrum contineat.

[1] Philip. II, 14. — [2] 1 Cor. X, 10. — [3] Id. IV, 12. — [4] Id. IX, 27.

Digitized by Google

Debet talis tantummodo eligi, qui possit in omnibus gulæ suæ suggestionibus dominari, et evangelico ordine fratribus suis victum gubernare; qui timeat Judæ sententiam, qui ab initio fur fuit [1]. Studere debet qui huic officio deputatur, ut audiat : « Quia qui bene ministraverit, bonum » gradum acquirit [2], » et animæ suæ lucrum facit. Nosse debent etiam fratres, quia quidquid in monasterio tractatur, sive in vasis, sive in ferramentis, vel cætera omnia, esse sanctificata. Si quis de fratribus aliquid negligenter tractaverit, partem se habere noverit cum illo rege, qui in vasis domus Dei sanctificatis cum suis bibebat concubinis, et qualem meruit vindictam. Custodienda sunt ista præcepta, et per singulos dies in aures fratrum recitanda sunt, ut non condemnentur in peccatis suis.

CAPUT XIII.

Qualiter inter se monasteria pacem firmam obtineant.

Alius MACARIUS *dixit* :

Quoniam Veritas protestatur, quæ dicit : « In ore duo- » rum vel trium testium stabit omne verbum [3], » firmanda ergo est regula pietatis; nec tacendum est, qualiter inter se monasteria pacem firmam obtineant. Non licebit de alio monasterio, sine voluntate ejus, qui præest, patris, fratres recipere; sed nec videre oportet, dicente Apostolo : « Quia qui primam fidem irritam fecit, est infideli dete- » rior [4]. » Quod si precatus fuerit ab eo, qui præest, patre, ut in alio monasterio ingrediatur, commendetur ab eo ei, qui præest, ubi esse desiderat; et sic suscipiatur. Nam sine voluntate ejus, qui præesse debet in monasterio, patris,

[1] Joan. XII, 6. — [2] 1 Tim. III, 13. — [3] Matth. XVIII, 16. — [4] 1 Tim. V, 8 et 12.

nullatenus alibi recipiatur frater. Quod si præsumpserit talia facere, noverit se in synodo episcoporum, aut in conventu fratrum suorum in audientiam venire; et tunc recedet tanquam junior suus, donec ab eo, cui injuriam fecit, veniam petat; ut non per ipsius vitium alii despiciantur patres. Ille vero monachus quantos fratres in alio monasterio invenerit, tantos se noverit habere priores. Nec attendendum est, qui fuit antea; sed probandum est, qualis esse cœperit. Susceptus verò si habere videtur aliquid, sive in rebus, sive in codicibus, ultra ei possidere non licebit, ut possit esse perfectus, quod alibi non potuit. Residentibus vero fratribus, si fuerit aliqua de Scripturis collatio, et fuerit ex his talis scitus, non ei licebit aliquid dicere, nisi præceptum ei fuerit a patre.

CAPUT XIV.

Idemque : Qualiter clerici hospites suscipiendi sunt in monasterio.

Cum omni reverentia ut ministri altaris : non licebit nisi ipsis orationem complere, sive ostiarius, sive minister est templi Dei. Quod si aliquo casu lapsus est, et in eo quod dicitur probatus crimine, non liceat ei ante eum, qui præest, patrem, vel secundum complere. Nulli permittatur clerico in monasterio habitare, nisi ei tantummodo quem lapsus peccati ad humilitatem deduxit, et est vulneratus; ut in monasterio humilitatis medicina sanetur. Hæc vobis tenenda sufficiant, fratres, custodienda conveniant, et critis irreprehensibiles in populo Dei.

Digitized by Google

CAPUT XV.

Qualiter culpæ singulorum emendentur.

Nec hoc tacendum est, qualiter culpæ singulorum emendentur : pro qualitate culpæ erit excommunicatio. Ergo iste ordo teneatur. Si quis ex fratribus sermonem otiosum emiserit, ne reus sit concilii, præcipimus eum triduo a fratrum congregatione vel colloquio esse alienum, ut nullus cum eo jungatur. Si vero aliquis deprehensus fuerit in risu, vel « In scurrilitate sermonis, sicut ait » Apostolus, quæ ad rem non pertinet[1] ; » jubemus hujusmodi duarum hebdomadarum spatio in nomine Domini omni flagello humilitatis coërceri, dicente Apostolo : « Si » quis frater nominatur iracundus, aut superbus, aut male- » dicus, hunc notate[2] » et, « Non odite ut inimicum, sed » corripite ut fratrem[3], » Et in alio loco : « Si quis frater » fuerit præventus in aliquo delicto, vos qui spiritales » estis, instruite hujusmodi[4], et corripite fratrem ; » ita ut per humilitatis frequentiam non reprobus, sed probatus in congregatione perseveret.

CAPUT XVI.

Ut sine personarum acceptione æqualiter judicetur.

Hoc ante omnia præcipimus vobis qui huic officio præestis, ut personæ a vobis non accipiantur, sed æquali affectu omnes diligantur, et per correptionem omnes sanentur; quia æqualitas placet apud Deum, dicente Propheta : « Si vere utique justitiam loquimini, juste judi-

[1] Ephes. v, 4. — [2] 1 Cor. v, 11. — [3] 2 Thess. III, 15. — [4] Galat. VI, 1.

Digitized by Google

» cate, filii hominum[1]. » Nec latere vos volumus, quia qui non corripit errantem, noverit se pro eo rationem redditurum. Estote fideles et boni doctores ad omnes : corripite inquietos : suscipite infirmos : patientes estote ad omnes : et quantos fueritis lucrati, pro tantis mercedem accipietis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

SS. PATRUM REGULA AD MONACHOS II.

PRÆFATIO.

Cum resideremus in unum in nomine Domini nostri Jesu Christi, secundum traditionem Patrum sanctorum virorum, visum est nobis conscribere vel Regulam ordinare, quæ in monasterio teneatur ad profectum fratrum; ut neque nos laboremus; neque sanctus præpositus, qui constitutus est in loco, dubitationem aliquam pati possit : ut omnes « Unanimes, sicut scriptum est, et unum sen- » tientes[2], invicem honorantes, » ea quæ statuta sunt a Domino jugi observatione custodiant.

I. Ante omnia habentes charitatem, humilitatem, patientiam, mansuetudinem[3], vel cæteraque docet sanctus Apostolus; ita ut nemo quidquam suum vindicet, sed sicut scriptum est in Actibus Apostolorum, habeant omnia communia[4]. Ille vero qui præpositus est, Dei judicium et ordinationem sacerdotis in omnibus timere, diligere et obaudire debet secundum veritatem : quia si quis illum putat se spernere, Deum spernit; sicut scriptum est : «Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit;

[1] Psal. LVII, 2.— [2] Philip. II, 2.— [3] Coloss. III, 12-14. — [4] Act. IV, 32.

Digitized by Google

» et qui me spernit, spernit eum, qui me misit[1]. » Ita ut sine ipsius voluntate nullus frater quidquam agat, neque accipiat ab aliquo aliquid, neque det, nec usquam prorsus recedat sine verbo.

II. Observantes etiam hoc, ut non se invicem fabulis vanis destruant, sed unusquisque opus suum meditetur et custodiat, et cogitationes habeat apud Deum. In conventu omnium nullus junior quidquam nisi interrogatus loquatur. Cæterum si quis vult consolationem accipere vel verbum audire, secretum et opportunum tempus requirat.

III. Advenienti peregrino nihil plus exhibeat quam pacem : reliquum non sit illi cura unde venerit, pro quo venerit, vel quando ambulaturus sit, nec se jungat ad fabulas cum illo.

IV. Illud quoque observandum est, ut præsente seniore quocumque, vel præcedente in ordine psallendi, sequens non habeat facultatem loquendi vel aliquid præsumendi, nisi tantum is qui in ordine, ut dictum est, præcedere videtur. Hoc usque ad imum ante omnia in oratione, seu in opere, sive in responso dando erit servandum. Si vero simplicior fuerit, vel impeditior sermone, et dederit locum, ita demum sequens loquatur. « Omnia tamen in » charitate fiant[2], » non per contentionem vel aliquam præsumptionem.

V. Cursus vero orationum vel Psalmorum, sicut dudum statutum est, ultra tempus istud meditandi operandique servabitur. Ita meditationem habeant fratres, ut usque ad horam secundam legant; si tamen nulla causa extiterit, qua necesse sit etiam prætermissa meditatione aliquid fieri in commune. Post horam vero secundam unusquisque ad opus suum paratus sit, et usque ad horam nonam quidquid injunctum fuerit, « Sine murmuratione vel hæ-

[1] Luc. x, 16. — [2] 1 Cor. xvi, 14.

Digitized by Google

» sitatione[1] » perficiat, sicut docet sanctus Apostolus. Si quis autem murmuraverit, vel contentiosus exliterit, aut opponens in aliquo contrariam voluntatem præceptis, digne correctus tandiu obstineat, quandiu vel culpæ qualitas poposcerit, vel se pœnitendo humiliaverit atque emendaverit. Correctus autem non audeat usquam recedere. Si quis vero de fratribus, vel qui in oratorio sunt, vel qui in cellis consistunt, ejus errori consenserit, culpabilis erit, atque excommunicatione dignissimus.

VI. Ad horam vero orationis, dato signo, si quis non statim prætermisso omni opere quod agit, (quia nihil orationi præponendum est,) paratus fuerit, foras excludatur confundendus. Operam vero dabunt singuli fratres, ut tempore quo Missæ (12) fiunt, sive die, sive nocte, quando diutius ad orationem standum est, non deficiant, vel superfluo foras recedant; quia scriptum est in Evangelio : « Oportet autem semper orare, et non deficere[2]. » Et in alio loco : « Non impediaris orare semper[3]. » Si quis autem non necessitate, sed magis vitio procedendum putaverit, sciat se, cum deprehensus fuerit, culpabilem judicandum; quia per suam negligentiam et alios in vitium mittit. In vigiliis observandum est, quando omnes conveniunt, quicumque gravatur somno, et exit foras, non se fabulis occupet, sed statim redeat ad opus ad quod convenitur. In congregatione autem ipsa ubi legitur, aurem semper ad Scripturas habeant, et silentium observent omnes.

VII. Hoc etiam addendum fuit, ut frater qui pro qualibet culpa arguitur vel increpatur, patientiam habeat, et non respondeat arguenti; sed humiliet se in omnibus secundum præceptum Domini dicentis: « Quia Deus humilibus dat » gratiam, superbis autem resistit[4]. » Et, « Qui se humiliat,

[1] Philip. II, 14. — [2] Luc. XVIII, 1. — [3] Eccli. XVIII, 22. — [4] 1 Petr. V, 5.

Digitized by Google

» exaltabitur[1]. » Qui vero sæpius correptus non se emendaverit, novissimus in ordine stare jubeatur; sicut Dominus dixit : «Sit tibi sicut ethnicus et publicanus[2]. » Ad mensam autem specialiter nullus loquatur, nisi qui præest, vel qui interrogatus fuerit.

SS. PATRUM REGULA AD MONACHOS III.

I. Cum in nomine Domini una cum fratribus nostris convenissemus, imprimis placuit ut Regula et instituta Patrum per ordinem legerentur : quibus lectis placuit, si de sæculo quis in monasterio converti voluerit, Regula ei introeunti legatur, et omnes actus monasterii illi patefiant. Quod si omnia apte susceperit, sic digne a fratribus in cellula suscipiatur : tum si aliquam in cellulam voluerit inferre substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus, velut Regula continet. Quod si susceptus fuerit, non solum de substantia quam intulit, sed etiam nec de se ipso ab illa judicabit hora.

II. Abbati vero nulli liceat sibi quidquam proprie vindicare, cum omnia Deo propitio in illius maneant potestate. Si quis vero, quod in Regula junioribus prohibetur, sibi aliquid ex successione parentum, seu quolibet donato retinere præsumpserit, et non omnia in commune posuerit, a fratribus arguatur. Si in vitio perstiterit, in notitiam episcopi deferatur; qui si ab episcopo correptus nec sic emendaverit, deponatur.

III. Vestimenta vero fratribus necessaria ita abbas omnibus ordinare debet, quæ monachis deceant; non diversis

[1] Luc. XIV, 11. — [2] Matth. XVIII, 17.

Digitized by Google

coloribus tincta, exceptis cucullis quæ comparantur, si fuerint nigræ, uti eas debere censemus.

IV. Familiaritatem omnium mulierum, tam parentum, quam extranearum pro custodienda vita, vel cavendis laqueis diaboli, ab omnibus monasteriis vel culturis monachorum, seu frequentationem monachorum a monasteriis puellarum, sicut Regula docet, prohibere censemus. Neque ulla mulier in interius atrium monasterii ingredi audeat. Quod si cum consilio vel voluntate abbatis monasterium vel cellulas monachorum quædam fuerit ingressa, merito ipse abbas et nomen abbatis deponat, et inferiorem se omnibus presbyteris recognoscat; quia talis sancto gregi præponi debet, qui eos immaculatos Deo offerre procuret; non per qualisbet familiaritates diabolo sociare festinet.

V. Matutino dicto fratres lectioni vacent usque ad horam secundam; si tamen nulla causa extiterit, qua necesse sit etiam prætermissa lectione aliquid fieri in commune. Post horam secundam unusquisque ad opus suum paratus sit usque ad horam nonam; quod injunctum fuerit, « Sine » murmuratione[1] » perficiat.

VI. Ad horam vero orationis dato signo, qui non statim prætermisso omni opere quod agit (quia nihil orationi præponendum est) paratus fuerit, ab abbate vel præposito corripiatur, et nisi prostratus veniam petierit, excommunicetur.

VII. Ad mensam autem specialiter nullus loquatur, nisi qui præest, vel qui interrogatus fuerit.

VIII. Ad necessaria quærenda in cellula, bini egrediantur vel terni fratres, et ita illi, quibus creditur, non qui verbositatem aut gulam sectantur.

IX. Si quis vero extra conscientiam abbatis vel præpositi, qualemcumque locum egressus, gulæ vel ebrietati se

[1] Philip. II, 4.

Digitized by Google

socíaverit; aut si in proximo transmissus, pro sua levitate vel gula, non statim expedita necessitate ad cellam redierit; cum in id facinus fuerit delectus, ut canones docent, aut trigínta diebus a communione separetur, aut virgis cæsus emendetur.

X. Quod si casu quis frater de cellula ex qualibet scandali causa exire voluerit, nihil penitus nisi nugalissimo[1] induatur vestimento, et extra communionem infidelis discedat.

XI. Illud quoque statuimus, ut abbates omni tempore cum fratribus resideant; quia eo tempore, quo fratres aut pro negligentia arguere, aut spirituali debent sermone imbuere, absque certa necessitate se removere non debent.

XII. Id etiam pro custodienda fama specialiter statuimus, ut nullus monachus in infirmitate positus, relicto monasterio, parentum suorum studio commendetur; quia magis eum sæcularium spectaculorum visu aut auditu pollui censemus, quam ab ægritudine posse purgari.

XIII. Si quis vero monachus furtum fecerit, quod potius sacrilegium dici potest, id censuimus ordinandum; ut junior virgis cæsus tanti criminis reus nunquam officium clericatus excipiat; si vero jam clericus in id facinus fuerit deprehensus, nominis ipsius dignitate privetur: cui sufficere potest pro actus sui levitate, impleta pœnitentiæ satisfactione, communio.

XIV. Monachum nisi abbatis sui aut permissu aut voluntate ad aliud monasterium commigrantem, nullus abbas aut suspicere aut retinere præsumat. Quod si ad districtiorem Regulam non pro actus sui levitate tendentem abbas suus ipsum ad alterum monasterium transire permiserit, ut inde postea sub aliqua occasione egredi præsumat, nulla ratione permittimus. Sane si quis post hanc diligen-

[1] *Nugalissimo*, id est, quod risum moveat occurrentibus.

Digitized by Google

tissimam sanctionem non observare quæ sunt superius comprehensa præsumpserit, reum se Divinitatis pariter et fraternitatis judicio futurum esse cognoscat.

REGULA ORIENTALIS

EX PATRUM ORIENTALIUM REGULIS COLLECTA

A VIGILIO DIACONO.

I. Ut neque seniores in regendis fratribus inaniter laborent neque disciplina juniorum vacillet, quæ abbatis conversatione stabilita firma sit, oportet abbatem irreprehensibilem esse, severum, patientem, jejunum, pium, humilem, ut doctoris et patris locum implet, se ipsum formam præbens bonorum operum [1]. Ad cujus ordinationem omnes fratres respiciant, nihil sine consilio et auctoritate ipsius facientes. Qui sustinens monasterii necessitates, de omnibus, quæ in monasterio sunt, libere judicabit; nullius personam accipiens, nec ulli gratiam præstans; sed unumquemque secundum merita quotidianæ conversationis in veritate judicans, admonebit, hortetur, castiget, condemnet; vel suscipiat, si ita utile videtur, venientes ad monasterium; vel ejiciat, si ita necessitas fuerit, male habitantes.

II. In monasterio seniores sint duo, ad quos vel præsente abbate vel absente omnium fratrum disciplina, et omnis cura monasterii pertineat; dantes sibi vices per dies et dividentes inter se pondus ac necessitatem monasterii; ex quibus unus tempore suo præsens in monasterio

[1] Tit. II, 7.

semper erit, ad præstandum abbati solatium, vel obsequium advenientibus fratribus; et ad procedendum ubi necessitas communis exegerit, atque diligentiam circa omnia quæ ad quotidianam custodiam et conversationem monasterii pertinent adhibendam; ut quæcumque ad obsequium usumque monasterii facienda sunt, sine negligentia et querela faciant. Alius cum fratribus erit, tempore suo exiturus cum ipsis ad omnia opera et omnem necessitatem, providens ne quid contra disciplinam faciant. Qui considerans omnes actus singulorum, si qua contra rationem facta viderit, vel per se emendet, vel abbati indicet.

III. Ille vero qui secundum ordinem disciplinæ ordinatione abbatis ex consilio et voluntate omnium fratrum fratribus præpositus est, omnem ad se curam de disciplina fratrum et diligentiam monasterii revocabit, habens potestatem, abbate absente, faciendi omnia quæ abbas præsens facit. Ille autem patientiam, mansuetudinem, humilitatem, charitatem, æquitatem, sine personarum acceptione servabit; ita agens, ut nec abbati tædium generet, nec fratres intemperantia illius laborent. Hæc observabit senior monasterii qui fratribus præpositus est, referens ad abbatem omnia, vel præcipue illa, quæ per se non valuerit explicare.

IV. Commendatum aliquod etiam a germano fratre nullus accipiat : nihil in cella sua absque præpositi jussione quispiam habeat, ne poma quidem vilissima, et cætera hujusmodi.

V. Operantes vero fratres nihil loquantur sæculare : sed aut meditentur ea, quæ sancta sunt, aut certe silebunt.

VI. Qui autem coquinat, antequam fratres reficiant, non gustabit quidquam.

VII. Nemo in cella aut in domo sua habeat quidquam

Digitized by Google

præter ea, quæ in communi monasterii lege præcepta sunt.

VIII. Cumque ad dormiendum se collocaverint, alter alteri non loquatur. Cellam alterius, nisi prius ad ostium percutiat, introire non audeat.

IX. Mutare de his, quæ a præposito acceperit cum altero non audebit. Nec accipiat melius, et dabit deterius; aut e contrario dans melius et deterius accipiens. Nemo ab altero accipiat quidpiam, nisi præpositus jusserit.

X. Clausa cella nullus dormiat; nec habeat cubiculum quod claudi possit; nisi forte ætati alicujus vel infirmitati pater monasterii concesserit.

XI. Nemo a terra solvat funiculum absque jussione patris. Qui in monasterio fratrum invenerit quidpiam, suspendat, ut tollat qui cognoverit.

XII. Ad collectam et ad psallendum nullus sibi occasionem inveniat, quibus se dicat occupatum quasi ire non possit. Et si in monasterio, vel in agro, aut in itinere, aut in quolibet ministerio fuerit, orandi et psallendi tempus non prætermittat.

XIII. Qui minister est, habeat studium ne quid operis pereat in monasterio. In qualicumque omnino arte quæ exercetur a fratribus, si quid perierit, et per negligentiam fuerit dissipatum, increpetur a patre minister operum: et ipse iterum increpet alium, qui opus perdiderit; duntaxat juxta voluntatem et præscientiam principis, absque quo nullus increpandi fratrem habebit potestatem.

XIV. Si inventus fuerit unus e fratribus aliquid per contentionem agens, vel contradicens majoris imperio, increpabitur juxta mensuram peccati sui.

XV. Qui mentitur, aut odio quemquam habere fuerit deprehensus, aut inobediens, aut plus joco quam honestum est deditus, aut otiosus, aut dure respondens, aut

Digitized by Google

habens consuetudinem fratribus detrahendi, vel his qui foris sunt; et omnino quidquid contra regulam Scripturarum est et monasterii disciplinam, et audierit pater monasterii, vindicabit juxta mensuram opusque peccati.

XVI. Si omnes fratres viderint præpositum nimium negligentem aut duro increpantem fratres, et mensuram monasterii excedentem, referant hoc patri, et ab eo increpetur. Ipse autem præpositus nihil faciat, nisi quod pater jusserit; maxime in re nova. Quæ ex more descendit, servabit regulam monasterii.

XVII. Præpositus vero non inebrietur, nec sedeat in humilioribus locis. Ne rumpat vincula quæ Deus in cœlo condidit, ut observentur in terris. Ne lugeat in die festo Domini Salvatoris: dominetur carni suæ, juxta mensuram sanctorum. Non inveniatur in excelsis cubilibus, imitans morem gentilium. Non sit duplicis fidei. Non sequatur cordis sui cogitationes, sed legem Dei. Non resistat sublimioribus tumenti animo Potestatibus. Ne fremat, nec hiriat iratus super humiliores: nec transferat terminos Regulæ. Non sit fraudulentus, neque in cogitationibus verset dolos; nec negligat peccatum animæ suæ; nec vincatur carnis luxuria. Non ambulet negligenter. Non loquatur verbum otiosum. Non ponat scandalum ante pedes cæci. Non doceat voluntatem animam suam. Non resolvatur risu stultorum ac joco. Non capiatur cor ejus ab his qui inepta loquuntur et dulcia. Non vincatur muneribus: non parvulorum sermone ducatur. Non deficiat in tribulatione. Non mortem timeat, sed Deum: non prævaricator sit propter imminentem timorem. Non relinquat verum lumen propter modicos cibos. Non nutet ac fluctuet in operibus suis. Non mutet sententiam, sed firmus sit solidique decreti; justus, cuncta considerans; judicans in veritate absque appetitu gloriæ; manifestus Deo et hominibus, et a fraude

Digitized by Google

procul. Nec ignoret conversationem suorum, nec ad eorum scientiam cæcus existat. Nulli noceat per superbiam; nec sequatur concupiscentias oculorum. Veritatem nunquam prætereat : oderit injustitiam. Secundum personam nunquam judicet pro muneribus, nec condemnet animam innocentem per superbiam. Non rideat inter pueros : non deserat veritatem timore superatus. Non despiciat eos, qui indigent misericordia. Non deserat justitiam propter lassitudinem; ne perdat animam suam propter verecundiam : ne respiciat dapes lautioris mensæ : nec pulchra vestimenta desideret; nec se negligat, sed semper dijudicet cogitationes suas. Non inebrietur vino; sed humilitati junctam habeat veritatem. Quando judicat, sequatur præcepta majorum et legem Dei, quæ in toto orbe prædicata est.

XVIII. Si deprehensus fuerit aliquis e fratribus libenter cum pueris ridere et ludere, et habere amicitias ætatis infirmæ, tertio commoneatur, ut recedat ab eorum necessitudine, et memor sit honestatis, et timoris Dei : si non cessaverit, corripiatur, ut digna est, correptione severissima.

XIX. Qui contemnunt præcepta majorum et regulas monasterii, quæ Dei præcepto constitutæ sunt, et parvi pendunt seniorum consilia, corripiantur juxta ordinem constitutum, donec corrigantur.

XX. Majores qui cum fratribus mittentur foras, quamdiu ibi fuerint, habebunt jus præpositorum, et eorum cuncta regentur arbitrio. Docebunt fratres per constitutos dies; et si forte inter eos ortum fuerit aliquid simultatis, audient ipsi majores, et dijudicabunt causam, et dignum culpa increpabunt; ut ad imperium eorum statim pacem pleno corde consocient.

XXI. Si quis frater contra præpositum suum habuerit

Digitized by Google

tristitiam, aut ipse præpositus contra fratrem aliquam querimoniam; probatæ fratres conversationis et fidei eos audire debent, et dijudicabunt inter eos. Si tamen absens est pater monasterii vel alicubi profectus, primum quidem expectabunt eum : sin autem diutius vident foris demorari, tunc audient inter præpositum et fratrem; ne diu suspenso judicio tristitia major oriatur; ut et ille qui præpositus est, et ille qui subjectus est, et illi qui audiunt, juxta timorem Dei cuncta faciant, et non dent in ullo occasionem discordiæ.

XXII. Nullus mittatur foras ad aliquod negotium solus. Missi vero non singuli, sed bini vel terni ambulent; ut dum se invicem custodiunt et consolantur, et seniores eorum de honesta eorum conversatione securi sint, et illi non periclitentur. Observantes tamen hoc, ut non se invicem fabulis inanibus destruant, neque negligentiæ dent locum destructionis; sed unusquisque in actu suo attentus sit, prout tempus fuerit.

XXIII. Quando autem reversi fuerint in monasterium, si ante ostium viderint aliquem quærentem suorum affinium, de his qui in monasterio commorantur, non valebunt ire ad eum, et nuntiare, vel evocare. Et omnino quidquid foris gesserint, in monasterio narrare non præsumant.

XXIV. Omnibus erit potestas legendi usque ad horam tertiam : si tamen nulla causa extiterit, qua necesse sit etiam aliquid fieri. Post horam vero tertiam si quæ statuta sunt, sicut scriptum est, per superbiam, vel negligentiam, vel desidiam intercedentem non custodierit, sciat se cum in hoc errore deprehensus fuerit, culpabilem judicandum, quia per suum errorem et alios in vitium mittit.

XXV. Cellarii vero cura sit, ut abstinentiam et sobrietatem studens, illata in monasterio ad sumptus fratrum

Digitized by Google

diligenter et fideliter servet : nihil suscipiens, nec quidquam tradens sine auctoritate vel seniorum consilio. Qui etiam omnia utensilia quæ in monasterio sunt, id est, vestem, vas, ferramentum, et quidquid usibus quotidianis necessarium est, custodiat ; et unamquamque rem proferens, cum fuerit necessarium, ab eo iterum ad reponendum cui utendo consignaverit recepturus. Ad victum vero fratrum proferat ac tradat septimanariis : ad condiendos cibos det necessaria secundum quotidiana expensæ consuetudinem, neque profuse, neque avare ; ne vitio ipsius vel monasterii substantia gravetur, vel fratres patiantur injuriam. Sed et necessitatem infirmorum fratrum ac laborem considerans, nihil ægrotantium desideriis neget ex his quæ habuerit, quantum illis necesse fuerit. Advenientibus diversis fratribus escas parabit. Hæc erit cura custodis cellarii, recurrens semper ad seniorum consilium, et requirens de omnibus, vel præcipue de his quæ proprio suo intellectu non potuerit adimplere.

XXVI. Ostiarii cura sit, ut omnes advenientes intra januas recipiat ; dans eis responsum honestum cum humilitate et reverentia, ac statim nuntians vel abbati, vel senioribus, quis venerit et quid petierit. Nec ullus extraneorum patiatur injuriam ; neque habeat cum aliquo de fratribus necessitatem ac facultatem loquendi, absque conscientia abbatis, vel seniorum præsentia. Si quid vero cuicumque de fratribus missum mandatumque fuerit, nihil ad ipsum perveniat prius quam abbati, vel senioribus indicetur. Ante omnia ostiarius monasterii hæc observabit, ne quemquam de fratribus foris januam exire permittat.

XXVII. Si quis accesserit ad ostium volens sæculo renuntiare, et fratrum aggregari numero, non habeat libertatem intrandi ; sed prius nuntietur patri monasterii, et

Digitized by Google

manebit paucis diebus foris ante januam, ac docebitur Orationem dominicam, et Psalmos, quantos potuerit discere; et diligenter sui experimentum dabit, ne forte mali quidpiam fecerit, ut turbatus ad horam timore discesserit, aut sub aliqua potestate sit; et utrum possit renuntiare parentibus suis, et propriam contemnere facultatem. Si eum viderint aptum ad omnia, tunc docebitur et reliquas monasterii disciplinas; quæ facere debeat, quibusque servire, sive in collecta omnium fratrum, sive in domo cui tradendus est, sive in vescendi ordine: ut instructus atque perfectus in omni opere bono fratribus copuletur. Hæc observabit custos januæ, referens omnia, sicut superius scriptum est, et annuntians senioribus.

XXVIII. Septimanarii ad cibos parandos, vel ad luminaria concinnanda, vel ad nitores faciendos, et quæ ad obsequium ususque monasterii pertinent, semper parati sint. Hos nulla alia necessitas occupet, sed in hoc studium impendant, ut rem susceptam utiliter et diligenter impleant. Et si quid forte nesciant de his quæ agere debent, sine dissimulatione seniores suos semper interrogent.

XXIX. Hi itaque quibus disciplina, vel utilitas, vel opinio, vel obsequium monasterii creditur, officia sibi injuncta fideliter custodiant et impleant. Has enim errare non decet, qui ad omnes errores emendandos præpositi sunt. Qui si vel superbia, vel negligentia, vel desidia aliqua ex his prætermiserint quæ in Regula continentur; per ipsosque destructio esse cœperit per quos debet ædificatio crescere, omnibus condemnationibus quas Regula continet, subjacebunt.

XXX. Inter omnes fratres hoc observabitur, ut obedientes senioribus suis, et deferentes sibi invicem, habeant patientiam, moderationem, humilitatem, charitatem, pacem sine figmento et mendacio, et maledictione, et ver-

Digitized by Google

bositate, et jurandi consuetudine. Ita ut nemo suum quidquam vindicet, neque ullus aliquid peculiariter usurpet; sed habeant omnia communia.

XXXI. Sine seniorum verbo et auctoritate nullus fratrum quidquam agat: neque accipiat aliquid, neque det; neque usquam prorsus procedat.

XXXII. Cum vero inventa fuerit culpa, ille qui culpabilis invenitur, corripiatur ab abbate secretius. Quod si non sufficit ad emendationem, corripiatur a paucis senioribus. Quod si nec sic emendaverit, excommunicetur, et non manducet quidquam. Cui si ne hoc quidem profuerit, in quolibet loco fuerit, postremus inter omnes in psallendi crate ponatur. Quod si in pravitate perseverat, etiam psallendi ei facultas auferatur. Quem si vel hæc confusio non commoverit, abstineatur a conventu fratrum; ita ut nec mensæ, nec Missæ intersit, neque cum eo ullus frater de junioribus colloquatur. Abstinebitur autem tandiu, quandiu vel qualitas culpæ poposcerit, secundum abbatis ac seniorum arbitrium; vel se ex corde pro culpa pœnitens humiliaverit, et veniam erroris sui omnibus præsentibus petierit. Quod si in fratrem peccavit, etiam ab eo fratre veniam petat, cui injuriam fecit.

XXXIII. Si quis errori ejus consenserit, et secundum duritiam illius magis consilium dederit ut se tardius humiliet, sciat se cum in hoc errore fuerit deprehensus, simili modo culpabilem judicandum.

XXXIV. Hoc etiam addendum fuit, ut frater qui pro qualibet culpa arguitur vel increpatur, patientiam habeat, et non respondeat arguenti se: sed humiliet se in omnibus, et emendet.

XXXV. Si vero fuerit aliquis tam durus et tam alienus a timore Domini, ut tot castigationibus et tot remissionibus non emendet, projiciatur de monasterio, et velut extraneus habeatur: ne vitio ipsius alii periclitentur.

Digitized by Google

XXXVI. Quod si aliquis locutus fuerit, vel riserit in vescendo, increpetur, et agat pœnitentiam.

XXXVII. Si quis ad manducandum tardius venerit absque majoris imperio, similiter agat pœnitentiam, aut ad cellam suam jejunus revertatur.

XXXVIII. Si aliquid necessarium fuerit in mensa, nemo audebit loqui, sed ministrantibus signum soni dabit. Ministri vero absque his, quæ in commune fratribus præparata sunt, nihil aliud comedant, nec mutatos cibos sibi audeant præparare.

XXXIX. Nemo plus alteri dabit quam alter accepit; quod si obtenditur infirmitas, præpositus domus perget ad ministros ægrotantium, et ab his quæ necessaria sunt accipiet.

XL. Quando ad ostium monasterii aliqui venerint, si clerici fuerint aut monachi, majori honore suscipientur: lavabuntque pedes eorum, juxta Evangelii præceptum, et præbebunt eis omnia, quæ apta sunt usui monachorum.

XLI. Si quis ad ostium monasterii venerit, dicens velle se videre fratrem suum vel propinquum, janitor nuntiabit abbati, et permittente eo accipiet comitem cujus fides probata est; et sic mittetur ad fratrem videndum vel proximum.

XLII. Si propinquus alicujus mortuus fuerit, prosequendi funus non habebit licentiam, nisi pater monasterii præceperit.

XLIII. Nullus de horto tollat olera, nisi ab hortulano acceperit.

XLIV. Nemo alteri loquatur in tenebris; nullus in psiatho (13) cum altero dormiat; manum alterius nemo teneat: sed sive steterit, sive ambulaverit, sive sederit, uno cubito distet ab altero.

XLV. Si quis tulerit rem non suam, ponetur super hu-

Digitized by Google

meros ejus; et sic agat pœnitentiam publice in collecta.

XLVI. Si præpositus injuste judicaverit, injustitiæ ab aliis condemnabitur.

XLVII. Qui consentit peccatis, et defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum et homines, et corripietur increpatione severissima.

FINIS OPERUM SS. MACARIORUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

S. PHILASTRII

EPISCOPI BRIXIENSIS

LIBER

DE HÆRESIBUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

S. PHILASTRIUS

BRIXIENSIS EPISCOPUS.

(ANTE AN. 397.)

LATINUS.

Sanctus Philastrius, Brixiensis episcopus, magno Theodosio imperante, floruit; quo autem anno Brixiensis ecclesiæ regimen susceperit, imo et quo anno diem obierit supremum non satis constat. Lectis autem attentius sancti Hilarii, et sancti Gaudentii successoris ejus testimoniis, hæc certiora emergunt, nempe 1° Ursacium Philastrii antecessorem an. 347 Sardicensi concilio interfuisse; 2° Philastrium, antequam Ambrosius ad Mediolanensem cathedram eveheretur, Auxentio restitisse, qui quidem ab an. 355 ad an. 374 eam sedem occupasse comperitur; 3° Philastrium postea Romam devenisse, ubi non exiguo tempore moratus est, multumque fecit lucrum animarum; 4° Illum Roma reducem a Brixiæ populo, cupido doctrinæ, fuisse susceptum; 5° Eumdem an. 381 Aquileiensi concilio affuisse; 6° Hunc ipsum cum sancto Ambrosio versantem a

Digitized by Google

B. Augustino fuisse invisum, quod fieri non potuit nisi inter annos 384 et 387, quibus Mediolani mansit Augustinus; 7° Denique Gaudentium, ejus successorem, a S. Ambrosio episcopum fuisse consecratum; unde cum B. Ambrosius an. 397 ad Superos evolaverit, S. Philastrium ante hunc annum diem supremum clausisse exploratum habetur. Hæc probabiliora de Philastrii ætate ac rebus virorum eruditorum conjecturis excutienda permittimus; notare autem sufficiat ex sancti Philastrii textu quodam, in quo temporis epocam asserere videtur, nihil concludi posse, cum variantibus lectionibus anni numerus pariter incertus variet.

Liber *de Hæresibus*, qui etiam nunc auctore S. Philastrio superest, licet in aliquibus caute legendus, cum quædam contineat cum sancta theologia non satis cohærentia, magnam tamen utilitatem offerre potest ad cognoscendas omnes, quæ primis sæculis prodierunt, hæreses. Laudatur hic liber a S. Augustino, qui monet nihilominus « Doctius de » hæresibus scripsisse S. Epiphanium quam S. Phi» lastrium (Epist. ad Quodvutdeum.) » Editiones autem hujus libri non pares omnes leguntur. In veteribus enim leguntur solummodo centum et quinquaginta capita, licet apud Augustinum clare dicatur illum « Commemorasse XXVIII hæreses, quæ » in populo judæo fuerunt, ante adventum Domini,

Digitized by Google

» et post adventum CXXVIII. (Epist. CCII, n. 2.) » Ordinem hunc non solummodo restitutum, sed ex codice Sangermanensi completum a Gallandio, additis recentius inventis, secuti sumus. Unde præter ea capitula, quæ in prius editis leguntur, lector nova quædam reperiet, nempe hæreses LXXIX, LXXXVI, LXXXIX, CXII; tum accurante Fabricio, CXXIII et CXXVI.

Liber *de Hæresibus* Basileæ primum annis 1528 et 1539 stampatus in-8°; postea vero annis 1611 et 1621 in-4° *Helestadii*, inde in omnes Patrum Bibliothecas transiit. Deinde vero Hamburgæ perfectior prodiit, curante doctissimo Fabricio, anno scilicet 1721. Posterior autem habetur editio Brixiæ, elucubrante clarissimo viro Galiardo, quam secutus est, imo et complevit Gallandius in sua Patrum Bibliotheca, cui adhæsimus, posthabitis solummodo variantibus, quæ nihil aut parum utilitatis afferre videntur.

Digitized by Google

Digitized by Google

S. PHILASTRII

EPISCOPI BRIXIENSIS

IN LIBRUM DE HÆRESIBUS.

PRÆFATIO.

De Hæreseon diversa pestilentia, variisque erroribus, qui ab origine mundi emerserint, et sub Judæis defluxerint, et ex quo venit Dominus noster Jesus Salvator in carne, pullulaverint, dicere oportet, numerumque earum paulatim exponere, inimicumque humani generis perdici fuisse Jeremia propheta non immerito comparatum agnoscere[1], qui cum infœcunditatem patiatur, sæpius aliorum furtim fœtus incubans, quasi suos jam fovet ac vindicat filios, usque ad tempus aliquod : cumque eis jam tempus ætatis discernens accreverit, tunc omissis falsis parentibus, jura parentum sensu proprio recordantes, palamque oculis intuentes, sequi eos amplius non demorantur. Quorum causa nobis similitudo hæc nuntiata est, quod diabolo relicto impietatis causa, ejus qui orbem terrarum sua sub ditione cum tenere putaret ; postquam vero Christo parente a nobis viso et recognito, omissa falsitate parentis mendacissimi, jam veri parentis Christi vestigia sequi omnis homo non moratur, agnoscens quotidie per ænigma : compleri enim cognoscimus prophetiam Jeremiæ beatissimi ita dicentem : « Clamavit perdix, collegit quæ non parturiit, » faciens sibi divitias non cum sapientia, in medio dierum de

[1] Jerem. xii, 11.

Digitized by Google

» relinquent eum, et in postremo erit insipiens [1]. » Quod nunc deserentes quotidie omnes gentes idololatriam mortiferam inimici, Christum etiam verum Dominum de lege et Prophetis audientes, eumque cum Patre semper esse credentes, ac recordantes, æque ad eum modis omnibus supplices properant pervolare, ut compleatur prophetia : « Recordabuntur et convertentur ad Dominum Christum » omnes fines orbis terrarum [2]. »

CATALOGUS

eorum qui ante adventum Christi hæreseos arguuntur.

I. OPHITÆ.

Primi sunt Ophitæ, qui dicuntur Serpentini. Isti colubrum venerantur dicentes, quod hic prior initium nobis scientiæ boni et mali attulerit. Unde ei Dominum invidisse asserunt, quia scientiam primus detulerit mulieri, bonæ rei atque malæ, perque illam ita ad genus omne hominum permanaverit, propter quod et de cœlo primo dejectus est, inquiunt, ad alterum : unde eum et de cœlo aiunt adventurum, et velut aliquam Dei virtutem esse eumdem æstimant, atque eum annuntiant adorandum.

II. CAIANI.

Caiani, qui Caïn laudant fratricidam, primogenitum patris nostri ac beati Adæ protoplasti, dicentes ex altera virtute, id est, diaboli, Caïn factum, ex altera autem Abel

[1] Jerem. XVII, 11, juxta LXX. — [2] Psal. XXI, 28.

Digitized by Google

beatissimum natum, et virtutem majorem, quæ erat in ipso Caïn, invaluisse, ut suum interficeret fratrem.

III. SETHIANI.

Sethianorum hæresis, quæ Seth filium Adæ postea genitum, hocque appellatum nomine veneratur, quod post interfectionem Abel beatissimi natus est, ex quo et Sethiani appellantur, colentes eum et dicentes; quod duobus creatis hominibus in initio, et Angelis in dissensione constitutis, tenuit virtus in cœlo fœminea: apud eos enim masculi et fœminæ, dii deæque esse putantur. Quod pervidens, inquiunt, mater, quia occisus est Abel justus, cogitavit ut pareret justum Seth, in quem et collocavit magnæ virtutis Spiritum, ut possent destrui virtutes inimicæ. De Seth autem ipso Christum Dominum genus deducere aiunt. Quidam autem ex eis non solum genus de eo deducere, sed etiam ipsum Christum esse asserunt atque opinantur.

IV. DOSITHÆUS.

Dositæus quidam postea, Judæus genere, ausus est dicere secundum carnem solum esse vivendum in lege Domini, deque ea non sperans resurrectionem futuram, nec Dei Spiritum, nec Angelum esse credens, nec futurum judicium de lege atque Prophetis expectans.

V. SADDUCÆI.

Sadducæi post ipsum, a Saddoc homine Judæo qui hoc nomine vocabatur, qui discipulus fuit illius, qui et confirmavit hanc hæresim, ut ex eo Sadducæi dicerentur: secundum carnem æque solum prædicant vivendum, circum-

Digitized by Google

cidendum, corpusque baptizandum. De lege autem divina non aliud expectantes, Epicuream dementiam potius quam divinæ legis jura sectantes. De quibus et in Evangelio scriptum est, docente Domino, contraque hanc hæresim pestiferam prædicante.

VI. PHARISÆI.

Pharisæorum alia est, quæ resurrectionem futuram confitetur, legem accipit et Prophetas, Christum autem expectat ut justum hominem. Hi judaïzant, et Evangelia non accipiunt, et quædam tempora Christo Domino nostro esse contraria asserunt.

VII. SAMARITANI.

Samaritani, a Samario rege ita nuncupati sunt. Alii autem aiunt a filio Chanaan, qui hoc nomine Samarius vocabatur, a quo Samaritani sunt appellati. Isti legem accipiunt Moysi, id est, quatuor solum libros, judicium futurum non expectantes, resurrectionem negantes, Christum Dominum, Dei filium in lege et Prophetis nuntiatum ante, non credentes; animam etiam immortalem habere hominem juxta legem non sentientes; solum autem hoc in corpore vivendum esse putantes, resurrectionemque futuram in procreatione filiorum, quæ in hoc sæculo fit quotidie, hanc æstimantes, eamque prædicantes vanitatem: insensatis quippe pecudibus comparati, ut scriptum est in Propheta: « Homo in honore constitutus non intellexit, » comparatus pecudibus insensatis, et similis eis factus » est [1]. »

[1] Psal. xlviii, 13 et 21.

Digitized by Google

VIII. NAZARÆI.

Nazaræorum hæresis est, quæ legem et Prophetas accipit; carnaliter tamen vivendum affirmat, omnemque justificationem in carnali observantia consistere suspicatur. Crines etiam nutrientes capitis, omnemque virtutem justitiæ in eo putantes consistere, quasi a Samsone illo sibi hoc præsumentes judicii, quia Nazaræus vocabatur, a quo postea pagani fortes viros ex illius figura usurpantes, Hercules nuncuparunt.

IX. ESSENI.

Esseni autem sunt, qui monachorum vitam exercent, escas deliciosas non sumentes, nec studium in vestimentis gerentes, nec possidentes aliquid; lectioni autem et bonis operibus insistentes, in locis etiam separatis habitantes, Christum autem Dominum, Dei Filium non expectantes, nec in lege atque Prophetis eum Dominum agnoscentes annuntiatum, sed ut Prophetam, aut justum hominem solum credentes, expectant.

X. HELIOGNOSTI.

Heliognosti, qui et Deviactici dicuntur, solem adorantes, atque dicentes solem scire omnia quæ Dei sunt: homines etiam non alium nisi solem illuminare, solemque eis præbere omnia nutrimenta: non cognoscentes, quod in servitute positus cursum suum peragrat a Deo Patre per Christum Dominum in sancto Spiritu statutum quotidie. De quo scriptum est: « Qui dicit soli oriri et oritur, et »non oriri, et non oritur [1]. » Quem Hermes ille vanus

[1] Job. IX, 7.

Digitized by Google

paganus Trismegistus docuit, post Dominum omnipotentem non alium nisi solem debere ipsummet homines adorare, qui cum ad Celtarum provinciam perrexisset, ipse eos dignoscitur docuisse, atque huic errori ut succumberent eisdem suasisse. Quem solem Judæi captivati adorabant, ut Ezechiel propheta eosdem Judæos incusando condemnat[1], et acrius crimen majestatis declarat et arguit contestando, sicut scriptum est.

XI. RANARUM CULTORES.

Alii sunt, qui ranas colunt, quas sub Pharaone per iram Dei tunc temporis Ægyptiorum terra emanavit, ut putore Ægyptios defatigarent, inque eo scelere adhuc perseverant, putantes Dei iram ex hac vana observantia posse placari.

XII. MUSORITÆ.

Musoritæ sunt quidam nomine, qui sorices colunt, qui sub Heli quoque sacerdote, cum fuisset capta arca testamenti ab Allophylis, atque ex ira Dei produxisset terra sorices, ut eorum fruges deperirent, admoniti a suis fecerunt aureos mures, atque eos cum arca et sedibus aureis quinque remiserunt, statimque ab eis desiit pestilentia. Legem itaque et Prophetas isti accipientes, non cognoscunt hoc esse vanum et abominabile, quod ab universis contemnitur et modis omnibus deridetur.

XIII. MUSCA-ACCARONITÆ.

Alii sunt, qui Muscam colunt in civitate Accaron dicta, ut in Regnorum libro scriptum est[2]: sicuti rex Ochosias Ju-

[1] Ezech. VIII, 16. — [2] 4 Reg. I, 2 et 16.

Digitized by Google

dæorum languens miserat ad Muscam in Accaron civitatem, si sanus fieri posset de languore corporis, cujus causa beatus Elias, iratus zelo divino Propheta, quia non a Deo salutem Judæorum rex sperare maluit, sed a Musca potius, et Accaron civitate : iratus in hoc beatus Propheta non eum evasurum, sed moriturum in lecto suo illico divino Spiritu pronuntiavit.

XIV. TROGLODYTÆ.

Troglodytæ, qui ita dicuntur in Judæis, qui in speluncis habitantes abditis, idola colere non desinebant, ut ait Ezechiel propheta, monstrante Domino, quomodo in speluncis absconditis seniores populi tenentes thuribula, idolis sacrificabant, atque ea cæcis mentibus adorabant[1].

XV. HÆRESIS DE FORTUNA CŒLI.

Alia est hæresis in Judæis, quæ Reginam, quam et Fortunam Cœli nuncupant : quam et Cœlestem vocant in Africa, eique sacrificia offerre non dubitabant, ut etiam prophetæ Jeremiæ Judæi tunc dicerent ex aperto, cum moneret eos recedere ab idolis, et servire Domino, solumque eum adorare eos debere, irati exclamant dicentes, ex quo illi Fortunæ Cœli, sive Reginæ non sacrificant, ex eo cuncta illis mala et pericula contigisse[2]. Propter quod beatus Jeremias exiens de populo, deque civitate eorum, Lamentationes illius causa impietatis in libro conscripserat, casumque illis atque civitati adventurum non multo post nuntiabat.

[1] Ezech. VIII, 11, 12. — [2] Jerem. XIV, 17.

Digitized by Google

XVI. BAALITÆ.

Sunt et Baalitæ in eis, qui Baal nomen regis Tyriorum detinentes memoria, atque ipsius idolum adorantes eidem sacrificabant, ut in Regnorum libro continetur, cum rex Israëlitarum Achab et Jezabel uxor ejus, illi idolo sacrificare non desinerent[1]. In quo, zelo ductus divino beatus Elias propheta missus a Domino, ait eis sub nomine judaïsmi legem confitentibus, impietati autem perniciose paganæ servientibus, et omni populo ita dixit: « Ut quid » vos claudicatis in utrisque poplitibus vestris? aut Deo, » Deo; aut Baal, Baal[2]. » Et nihilominus favens *lucorum* sacerdotibus rex atque regina, diversis pœnis et cruciatibus perierunt. Populus etiam non recedens ab idolis, crebris captivitatibus interiit.

XVII. ASTARITÆ.

Alii sunt, qui Astar hominem, et Chamos abominationem Chananæorum, et Sidoniorum, id est, idola hominum ac mulierum venerabantur, atque eisdem diversa offerebant sacrificia, quorum causa et captivitas illis regibus et populo tunc temporis, permittente Domino, sæpius adventabat, sicuti in Regnorum libris continetur[3]. Præter David beatum regem, et Ezechiam sanctum, et Josiam, et Jesum filium Nave, alii omnes permittebant populos sacrificare idolis, ac sæpius cum illorum interitu et ipsi versabantur, non ea destruentes, sed magis impietatis eorum fautores fieri properantes ut reges cæteri, sicut libri Regnorum contestantur.

[1] 3 Reg. xvi. 31. — [2] Id. xviii, 21. — [3] 4 Reg. xxiv.

Digitized by Google

XVIII. HÆRESIS DE IDOLO MOLOCH ET REMPHAN.

Alia est hæresis in Judæis, de qua Dominus prophetans incusabat eos[1], deque ea beatus Stephanus martyr increpabat dicens : « Numquid immolationes et sacrificia mihi » in deserto quadraginta annis obtulistis, domus Israël, dicit » Dominus omnipotens? et nunc suscepistis tabernaculum » Moloch vestro ; et sidus Dei Remphan, formas fictorum » idolorum sculptilium? Propter quod dicit Dominus, » transmigratione vos faciam captivari in Babylonis[2], » atque Persarum, et interiora loca alia et arida, et in postrema terrarum omnium.

XIX. HÆRESIS DE ARA TOPHET.

Sunt et qui aram collocantes ita dictam Tophet nomine alicujus in valle filii Ennon, ibidem suos filios, et filias Judæi dæmoniis immolabant. De quibus dicit Dominus per prophetam Ezechielem : « Ecce fili hominis, vide quid » facit populus Israël : iste filios et filias suas in valle To- » phet immolat dæmoniis, quibus ego non mandavi hanc » facere iniquitatem in Israël populo[3]. »

XX. PUTEORITÆ.

Puteoritæ sunt qui puteos colunt, in altum fodientes, deque eis haurientes, quasi aquam salutis in ea sperantes aliquam, cum dicat Dominus per Prophetam monendo : « Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi lacus » detritos, qui non possunt capere aquam salutarem[4]. » Quod ergo ante dicebat per Prophetam, in sua divina

[1] Amos. v, 26. — [2] Act. vii, 42, 43. — [3] Ezech. viii, et Jerem. vii, 31, — [4] Jerem. ii, 13.

Digitized by Google

complebat præsentia, dicens : « Omnis qui ex hac aqua terrestri biberit, rursum sitiet : de aqua autem quam ego » ei dedero, si biberit, non sitiet in æternum, sed erit ei » saliens in vitam æternam[1]. » Quippe erit gratia christiani baptismi salutaris humano generi concessa a Domino Salvatore.

XXI. HÆRESIS OB ÆNEUM SERPENTEM.

Hæresis est quoque in Judæis, quæ serpenti sacrificabat, et usque ad Ezechiam regem Judæorum eamdem impietatem celebrabat : Serpenti enim in libris Regnorum[2], usque ad Ezechiam sacrificabat æreo populus Judæorum, quem Moyses facere jussus fuerat in exitu Israël de Ægypto[3]; cum a serpentibus morderentur Judæi murmurantes, atque deperirent inique, jussit Dominus ut faceret Moyses serpentem æreum, ac suspenderet eum in medio populi supra lignum, et qui intuebantur in eum, salvabantur a plagis atque diversis vulneribus. Illi ergo serpenti æreo usque ad regem Ezechiam sacrificabat Judæorum populus, formationes etiam in lapide magno, velut obelisco, qui erat in templo positus pro columna, et in eo incisiones et impressiones manu hominum, et ut litterarum quarumdam sculpentes Judæi, et formulas diversas tollentes, et ponentes in lamina, bajulabant in collo : incantationes etiam docentes, et velut phylacteria habentes, imo potius exercentes maleficia, eadem percolebant, atque inde alligaturas et tutamina suo portabant et portant in pectore; quæ Dominus ubique in Lege vetuerat fieri, quia paganæ cæcitatis hæc erat impietas. Has igitur beatissimus Ezechias rex impressiones sive sculptiones deleri jussit, atque ferro radi penitus atque exscendi; æreum etiam serpentem deponi

[1] Joan. IV, 13, 14. — [2] 4 Reg. XVIII, 4. — [3] Num. XXI, 9.

Digitized by Google

atque frangi præcepit : pro quo merito est liberatus a Domino de obsidione tanta Persarum et Assyriorum, tunc temporis qui venerant captivare Judæorum populum, atque civitatem, ut illa nocte, qua timebat Barbaros rex Ezechias, Angelus Domini de cœlo descenderet[1], centumque et octoginta quinque millia alienigenarum obsidentia civitatem nocte silenti percuteret, atque omnes homines exanimes atque mortuos mane regi omnique Judæorum populo demonstraret.

XXII. HÆRESIS SUBTERRANEIS IN LOCIS AD OMNEM TURPITUDINEM APTA.

Alia est hæresis, ut Ezechiel propheta Dei jussu pervidit sub terra in spelunca stantes septuaginta viros seniores Judæorum, tenentes thuribula, diversisque formarum sculptilibus sacrificantes eosdem, atque eadem adorantes[2].

XXIII. HÆRESIS MULIERUM CUM THAMUS SIMULACRO.

Est et alia hæresis Judæorum, quam sub spelunca jussu Dei cogitur pervidere Propheta, mulieres sedentes et plangentes quemdam Thamus nomine[3], qui filius regis gentilium, cujus Judææ mulieres simulacrum cum fletibus adorabant, impietatemque gentilium colentes, ei offerre sacrificia non desinebant. Thamus enim Pharao ille dicebatur rex Ægyptiorum, qui sub beato Moyse Ægyptiis præsidebat illo tempore.

XXIV. BELITÆ.

Alia est hæresis in Judæis, quæ multorum quasi hominum, multarumque mulierum percolens idola, Baalitarum

[1] 4 Reg. xviii, 35. — [2] Ezech. viii, 10-12. — [3] Ibid. 14.

Digitized by Google

speluncis absconditis eisdem offerre sacrificia non desinebant, Scriptura dicente quasi multorum atque multarum fuisse numerum. Hoc autem aut a Belo rege, qui Orientem potenti regimine multo tempore detinuit, ac de ipsius uxore et filiis, filiabusve, ita ex parentibus æditis omnem eorum progeniem processisse monstrabat, ut ex eis Baalitæ appellarentur. Nam ut est genus, aut Graccorum, aut Aniciorum, et aliorum, ita ex parentibus suis omnis illorum emerserit progenies, ut ex uno nomine impia generatio Belitæ dicerentur. Itaque mortui cum in monumentis ponerentur, et progenies illorum itidem sepulta in eo loco, hoc nomine a suo populo meruit a posteris nuncupari, ut Belitæ appellarentur a sua generatione pristina. *Belus* autem sive a proprio nomine, sive a fortitudine *belli*, quia multos superabat tunc temporis, hoc nomen aut cognomen sortitus est, deque hac re Judæorum populus impietatem gentilium sequendo a divina Scriptura accusatur, quod sacrificantes illis, id est, regibus, et eorum filiis, omnique cognationi illorum, eosque sequentes diversis captivitatibus tradebantur.

XXV. HÆRESIS CUM BAAL IDOLO.

Alia est hæresis in Judæis, quæ Baal idolum, aut Balaam pseudo-propheta, qui de Mesopotamia advenerat contra Moysen beatissimum, asserunt nomen accepisse: quia Balac tunc temporis rex Moabitarum illum rogaverat, ut ad eum iret, et malediceret populo Judæorum[1]. *Et* quia ut Propheta in Scripturis ante dicebatur, contempto autem præcepto Domini ad pseudo-prophetæ postea descendit interitum, contra Dei populum cogitando. Judæi ut pagani

[1] Num. xxii, 5.

Digitized by Google

sub hoc vocabulo idolum facientes ipsius, colere illud non desinebant.

XXVI. DE PYTHONISSA MULIERE, HÆRESIS SUPERSTITIOSA.

Alia est hæresis de Pythonissa, qua cooperientes vestimentis mulierem, ab ea quædam responsa sperabant posse consequi: unde et aiunt Pythonissam illam beati Samuëlis animam ab inferis excitasse[1]: atque inde maxime credi posse, homines usque hodie plurimi suspicantur, quæque dixerat regi Saüli superstiti Propheta beatissimus, ea etiam in executione, quasi Dei iterum responsa, dixisse cognosci vera: cumque plurimi huic acquiescere mendacio malint, in perpetuum descendunt interitum, cum Propheta dicat: « Justorum animæ in manu Domini, et non tangit eas » mors[2]. » Quomodo itaque anima impia piam sanctamque animam, et Prophetam maxime, poterat ab inferis excitare? Sed quia ignorant quod recedentes animæ a fide Christi Domini, deditas jam se impietati faciunt, atque ei omni se studio subjiciunt: quia arbitrii sui est omnis homo, quod velit ut eligat facere, permittente Deo. Sed quia recessit a Domino, ut immundus spiritus jam ei dominaretur, dubiis et claudicantibus in lege divina, quod dixit beatus Elias: « Aut Deo, Deo; aut Baal, Baal[3]. Qui enim adhæret Christo » unum corpus est[4], » et qui immundo spiritui, unus consensus est. Et Achab rex Judæorum, cum crederet Sedeciæ, et aliis falsis prophetis, verumque prophetam Domini Michæam contemneret, interrogat Dominus immundum spiritum, adhuc bonitatis loco regi concesso a Christo Domino usque ad tempus aliquod, ut si vellet credere Prophetæ vero, procellam periculi devitaret: si

[1] 1 Reg. xxviii. — [2] Sap. iii, 1. — [3] 3 Reg. xviii, 21. — [4] 1 Cor. vi, 17.

Digitized by Google

nollet, magisque crederet pseudo-prophetis, sine dubio deperiret. Ita enim interrogat Dominus immundum spiritum dicens : « Quis seducet regem Achab Israëlitarum, ut vadat » in pugnam et ibi interficiatur? Et ecce immundus spiritus » advenit dicens : Ego vadam et faciam. Et ait Dominus ad » immundum spiritum : Quomodo id facies? Et ait immun- » dus spiritus ad Dominum : Faciam me quasi Angelum » lucis, et verba similia eloquar, et ducam eum in prælium, » et ibi cum deseram, et sic morietur. Et ait Dominus ad » eum : Vade, sic facies[1]. » Ideoque et Apostolus ait : « Non » magnum est, si et Satanas transfiguret se velut in Ange- » lum lucis, cum ipsius satellites transfigurantur[2]. » Et ita decipiunt multos, visu, verbo, aut persuasione non alterius rei : quippe visu quasi verisimili, ut cum verbis veluti similibus, et visibus quasi bonis et non malis in tempore volunt credere atque eis inhærere homines, inevitabilem mortis æternæ incurrant sententiam, diversisque post exitum corporis pœnis et cruciatibus pessumdentur. Quod et regi Judæorum illo tempore periculum supervenit, quod falsis magis quam veris Dei Prophetis credere maluisset.

XXVII. DE ASTAR ET ASTAROTH SIMULACRIS, HÆRESIS.

Est hæresis in Judæis, qua Astar et Astaroth post Moysi defunctionem, successionemque Jesu filii Nave colentes, ad captivitatem gentilium trahebantur ; nam et Astar et Astaroth homines et fœminas, figurasque eorum colebant, quæ nomina regum Syriorum fuerunt et Ægyptiorum, quorum simulacra cum a suis populis colerentur, post etiam templa illis facientes, post mortem illorum progeniem ibidem sepelientes, deorum dearumque eis nomina offerebant cum sacrificiis itidem. Nam Astartium est in

[1] 3 Reg. XXII, 20-22, et 2 Paral. XVIII, 19-21. — [2] 2 Cor. XI, 14, 15.

Digitized by Google

Syria alibique diversa et plurima, quæ de gente Chananæorum omnis hæc illo tempore exarsit impietas, quam Moyses gentem cum omni suo populo eradicare jubebatur a Domino[1].

XXVIII. HERODIANI.

Alii Herodiani sunt, ab Herode rege Judæorum ita appellati: isti resurrectionem confitentur, legem et Prophetas accipiunt: Herodem autem regem Judæorum percussum ab Angelo, ipsum ut Christum sperantes expectant.

CATALOGUS

Eorum qui post Christi passionem hæreseos arguuntur.

I. SIMON MAGUS.

Post passionem autem Christi Domini nostri, et ascensionem in cælum, Simon quidam fuit Magus[2], genere Samaritanus, de villa, quæ est Githeus vocitata, qui magicis vacans artibus multos fallebat, dicens se esse virtutem quamdam Dei, quæ supra omnes virtutes esset. Quem Samaritani quasi patrem venerantur, et suæ hæreseos institutorem perniciose extollunt, multisque eum laudibus præferre nituntur. Qui baptizatus a beatis Apostolis[3], recessit a fide eorum, sceleratamque et perniciosam hæresim seminavit, dicens se transformatum putative, id est, quasi umbram, et ita se passum fuisse, cum non, inquit, patere-

[1] Exod. xxiii, 24, et xxxiv, 13. — [2] Act. viii, 9. — [3] Ibid. 13.

tur. Qui et audebat dicere mundum ab Angelis factum : Angelos autem factos a quibusdam sensibus de cœlo præditis, eosque fefellisse genus hominum. Intellectum autem quemdam alium asserit esse, qui descendit in mundum salutis causa hominum, Helenam illam inquit, quæ in trojano bello a poëtis vanissimis ædita nuntiatur. Et virtutes, inquit, quæ mundum fecerant, concupiscentia ductæ illius Helenæ, seditionem movebant : « Ista enim dans, inquit, concupiscentiam illis virtutibus et in figura fœminæ apparens, ascendere in cœlum non poterat ; quia virtutes in cœlo quæ erant, non eam permittebant ascendere : » expectabat autem virtutem aliam, id est, Magi ipsius Simonis præsentiam, quæ eam salvaret adveniens. Lignum etiam equum, quem poëtæ vanissimi dicunt in trojano bello fuisse, per allegoriam asserit, quod illa machina ignorantia erat universarum gentium impiarum, cum constet illam Helenam, quæ cum Mago erat, de Tyro meretricem fuisse, hancque eumdem Simonem Magum fuisse secutum, et cum eadem diversas magias, diversaque scelera perpetrasse. Qui cum fugeret beatum Petrum apostolum de Jerosolymitana civitate, Romamque veniret, ibique pugnaret cum beato Apostolo apud Neronem regem, devictus undique oratione beati Apostoli, atque percussus ab Angelo sic meruit interire, ut ejus magiæ evidens mendacium cunctis hominibus patefieret.

II. MENANDRUS.

Post hunc Menandrus quidam nomine, qui discipulus factus ipsius, impietatem ejus est secutus in omnibus.

III. SATURNINUS.

Saturninus quidam paulo post et ipse sumens inde fo-

Digitized by Google

menta doctrinæ mortiferæ, asserebat dicens mundum ab Angelis factum, et distare Angelos a virtute illa, et mundum esse divisum per ordinem Angelis, et cogitasse eos ut facerent hominem. Fecerunt itaque hominem : et opus ipsorum, inquit, erat homo : de virtute enim superna lumen dicunt fuisse dimissum, quod illuminavit mundum istum, et ad concupiscentiam adduxit Angelos, statimque ascendit in cœlum. At illi cupidi ipsius luminis facti, virtutem ejus videre cupiebant. Non prævalentes autem, ad invicem dixerunt : « Faciamus hominem secundum imginem et simi» litudinem nostram[1].» Et facto homine, quia impotens erat, salvari non potuit. Videns itaque Virtus superna, quod illi hoc fecerant, misit scintillam, quæ correxit hominem et suscitavit, et fecit eum vivere. Scintillam itaque volunt salvari, alia autem virtutibus illis quæ fecerunt dimitti, ac derelinqui suspicantur. Christum autem umbratiliter apparuisse affirmant, non carnem hominis veram et animam accepisse, atque omnem œconomiam mysterii Salvatoris ita complesse.

IV. BASILIDES.

Basilides, qui et Hæresiarches dicitur a multis, quia de lege et Prophetis, et Apostolis proponendo et loquendo, sentiendo autem aliter, jura violabat christianæ veritatis. Cum venisset in Ægyptum, docebat ita definiens : De innato et solo Deo natum fuisse intellectum, de intellecto verbum, de verbo sensum, de sensu autem virtutem et sapientiam, de virtute autem et sapientia Principatus et Potestates, et Angelos factos diversos. Ipsi enim Angeli fecerunt, inquit, cœlum, post illos alii Angeli fecerunt cœlum, ita ex aliis alii prolati fecerunt tertium cœlum; qui secundum ordi-

[1] Gen. 1, 26.

Digitized by Google

nem, et alii, inquit, fecerunt trecentos sexaginta quinque cœlos, et imponit Virtutibus illis nomina angelica, et ipse magiis vacans itidem multos imperitos decepit. Hominem autem ab Angelis factum asserit. Dominum etiam verum omnipotentem et eum audet Angelum dicere, et accepisse genus Judæorum in hæreditatem, et eduxisse eos de terra Ægypti. Hic ergo audacior factus, elatus est, inquit, adversus cæteros Angelos, et volens in subjectione habere alios, habuit contrarias gentes, quas commoverunt Virtutes inimicæ ejus. Ideo et contra Judæos diversæ gentes, inquit, surrexerunt. Christum autem dicit quasi per umbram putative passum fuisse. Simonem etiam Cyrenæum pro eo ad passionem venisse affirmat : ipse enim, inquit, portavit ejus crucem. Hic etiam male permittit vivere, et dat licentiam vitiis sæcularibus inhærere; prohibet etiam pati martyrium homines pro nomine Christi, dicens ita : » Ignoras quid desideras : non enim passus est, inquit Christus, neque crucifixus est : quomodo itaque potes, inquit, confiteri hunc crucifixum, cum non sit crucifixus, et ignoras qui passus sit?

V. NICOLAUS ANTIOCHENUS.

Nicolaum Antiochenum advenam, qua sit amentia deceptus, videamus, qui sub Apostolis fuit, atque ab eis est electus diaconus septimus, ut scriptum est in Actibus Apostolorum [1]. Posteaque recedens ab eis, atque a sana doctrina, diversis erroribus et fallaciis pessumdatus est. Qui fuit primum cum Apostolis, et Stephano beatissimo martyre : qui dicit et ipse Virtutes esse plurimas, unde et Gnostici, qui scire se aliquid putant, maxime emerserunt. Isti Barbelo venerantur, et Noriam quamdam mulierem. Alii au-

[1] Act. vi, 5.

Digitized by Google

tem ex eis Jaldabaoth quemdam, alii autem Cavlacav hominem. Dicunt autem et dogmata ponentes ista : Ante erant solum tenebræ et profundum et aqua, atque terræ divisio facta est in medio, et Spiritus separavit hæc elementa. Tunc ergo tenebras inruentes in Spiritum genuerunt quatuor Æonas, et isti quatuor genuerunt alios quatuor Æonas. Hoc autem dextera atque sinistra lux, inquiunt. Et quemdam etiam concubuisse cum illa muliere et Virtute dicunt, de qua nati sunt dii, et homines, et Angeli, et septem spiritus dæmoniorum. Addunt etiam Prophetas quosdam natos de ea speciosо nomine et Barcabah. Alii autem Evangelium consummationis ; et visiones inanes, et plenas fallaciæ et somnia videre se diversa asserunt delirantes.

VI. HÆRESIS DE JUDA TRADITORE.

Alii autem ab Juda traditore instituerunt hæresim dicentes bonum opus fecisse Judam, quod tradiderit Salvatorem. Hic enim, inquiunt, nobis omnis scientiæ bonæ auctor extitit, per quem cœlestia nobis mysteria manifestata sunt. Virtutibus etenim in cœlo nolentibus pati Christum, et scientibus quod si fuerit passus, vitam hominibus donaturus sit : hoc sciens, inquit, Judas, quod si fuerit passus Christus, salutem hominibus allaturus esset, hinc tradidit Salvatorem. Hoc autem malum assertionis impiæ quibusdam vanis et vecordibus quasi verisimile videtur esse interdum, cum sit in omnibus contrarium et execrabile, cum propheta David ante, et Dominus Salvator damnaverit, et beati Apostoli sententiam Domini adversus eum confirmaverint edocentes[1].

[1] Act. 1, 18 et 25.

Digitized by Google

VII. CARPOCRAS.

Post istum quidam Carpocras nomine surrexit, et ipse dicens Unum Principium; de quo Principio, id est, de Deo, prolationes factæ sint Angelorum atque Virtutum : quæ autem Virtutes deorsum sint fecerint creaturam istam visibilem ubi nos consistamus. Christum autem dicit non de virgine Maria et divino Spiritu natum, sed de semine Joseph hominem natum arbitratur, deque eo natum carnaliter, sicut omnes homines, suspicatur. Qui post passionem, inquit, melior inter Judæos vita integra, et conversatione inventus est, cujus animam in cœlum susceptam prædicat : carnem vero in terra dimissam æstimat, animique salutem solum, carnis autem non fieri salutem opinatur.

VIII. CERINTHUS.

Cerinthus successit hujus errori, et similitudini vanitatis, docens de generatione itidem Salvatoris deque creatura Angelorum, in nullo discordans ab eo, nisi quia ex parte solum legi consentit quod a Deo data sit, et ipsum Dominum Judæorum esse æstimat, qui legem dedit filiis Israël. Docet autem circumcidi, et sabbatizare, et Christum nondum resurrexisse a mortuis, sed resurrecturum annuntiat. Apostolum Paulum non accipit, Judam traditorem honorat, Evangelium secundum Matthæum solum accipit, tria Evangelia spernit, Actus Apostolorum abjicit, beatos Martyres blasphemat. Hic sub Apostolis quæstionem seditionis commovit, dicens debere circumcidi homines; cujus causa, contra illum et hæresim ejus decreverunt in suis Actibus Apostoli sententiam[1], non

[1] Act. xv, 9.

Digitized by Google

debere jam homines judaïsmo, id est, circumsisioni, aliisque talibus superstitionis vanæ parere carnalibus, qui de gentibus venientes credebant in Christum Dominum nostrum Salvatorem.

IX. EBION.

Ebion discipulus Cerinthi, in multis ei similiter errans, Salvatorem nostrum hominem de Joseph natum carnaliter æstimabat, nihilque in eo Divinitatis fuisse docebat, sed sicut omnes Prophetas, sic et eum gratiam Dei habuisse asserebat, non tamen Dominum majestatis, et Dei Patris Filium, cum Patre sempiternum, cum Patre vero æque sempiterno ubique testentur ac prædicent.

X. VALENTINUS.

Post istum Valentinus quidam surrexit Pythagoricus magis quam Christianus, vanam quamdam ac perniciosam doctrinam eructans, et velut arithmeticam, id est, numerositatis novam fallaciam prædicans, multorumque animas ignorantium captivavit. Et in primis quidem fuit in Ecclesia, elatior autem factus postmodum, errore non parvo deceptus est, degensque in Cypri provincia, cœpit hoc definire : Nihil erat aliud ante, inquit, in mundo, nisi profundum maris et silentium, quod poëtæ Chaos asserunt, deque hoc profundo et silentio edocens processisse Intellectum, et Veritatem : de Intellectu autem et Veritate, Verbum et Vitam : de Verbo autem et Vitâ, Hominem et Ecclesiam : de Hômine autem et Ecclesia processisse duodecim Æonas, id est, Sæcula : et de Verbo et Vita decem Æonas processisse : de Intellectu autem et Veritate octo Æonas, et esse hanc τριακοντάδα Sæculorum, id est, triginta

Æonas. De ogdoade ergo et decade, et duodecade consistere triginta Æonas delirat. Dicit autem Christum a Patre, quem Profundum nomine appellat, ad totius mundi salutem fuisse dimissum, deque cœlo eum carnem detulisse, nihil autem accepisse de sancta Virgine, sed ut aquam per rivum, ita transisse per eam affirmat. Animam ergo solam salvari, corpus autem hominis non salvari arbitratur.

XI. PTOLEMÆUS.

Alii sunt successores ipsius, Ptolemæus, qui doctrinam æque vanam intulit, dicens quatuor esse Æonas, et alios quatuor, novum quid volens commenti falsi decernere, quam Valentinus doctor ejus est ementitus.

XII. SECUNDUS.

Post hunc quidam Secundus nomine, Æonas similiter docens factos, asserit tamen infinitos. Christum autem quasi per phantasiam apparuisse, id est, veluti umbram humano generi, et non veram carnem hominis habuisse suspicatur.

XIII. HERACLEON.

Post hunc Heracleon discipulus ipsius surrexit, dicens: Principium esse Unum, quem Dominum appellat, deinde de hoc natum aliud, deque his duobus generationem multorum asserit Principiorum, cum suis itidem delirans doctoribus.

XIV. MARCUS.

Marcus autem quidam post istum successor ejus, nu-

Digitized by Google

merum et mensuram, et calculum rationem, etiam computationis faciens litterarum. quasi verisimilis et cujusdam rei novæ inventor, cum æstimaret a quibusdam se posse laudari, non in parvam itidem erroris incurrit amentiam ; dicit enim ita : Viginti quatuor litteræ sunt, quæ perfectionem habent omnium rerum. Propter quod et Christus, inquit, dicebat : « Ego sum A et Ω[1]. » Dicebat etiam quod in postremo tempore Christus descendit ad Jesum in figura et similitudine columbæ, et Christum ipsum columbam esse docebat, quæ descendit, inquit, ad duodecim Æonas, id est, ad duodecim Apostolos, ed unum ex eis cecidisse, id est, Judam æstimabat. Christum autem putative dicit apparuisse, et passum fuisse quasi per umbram, non tamen vere passum corpore arbitratur.

XV. COLORBASUS.

Post hunc Colorbasus similiter in litteris et numero elementorum astrorumque septem, vitam omnium hominum, et generationem consistere asserebat, non in Christi majestate et potentia, neque in ipsius carnali præsentia veram hominum sperari salutem advertebat.

XVI. CERDON.

Cerdon autem quidam surrexit post hos, pejus suis doctoribus prædicans, qui cum venisset Romam de Syria, ausus est dicere duo esse Principia, id est, unum Deum bonum, et unum malum : et Deum quidem bonum bona facere, et malum mala. Jesum autem Salvatorem non natum asserit de Virgine, nec apparuisse in carne, nec de cœlo descendisse, sed putative visum fuisse hominibus,

[1] Apoc. I, 8.

Digitized by Google

qui non videbatur, inquit, vere, sed erat umbra : unde et putabatur quibusdam pati, non tamen vere patiebatur.

XVII. MARCION.

Marcion autem discipulus ejus, genere Ponticus, de civitate Sinope, urbem Romam devenit, ibique degens sceleratam hæresim seminabat, atque interrogans presbyteros sanctos Ecclesiæ catholicæ, sensus sui eis errorem mortiferum propinabat, dicens ita : Quid est quod in Evangelio, dicente Domino, scriptum est : « Nemo pannum rudem mittit » in vestimentum vetus, neque vinum novum in utres vete » res, alioquin rumpentur utres, et effundetur vinum [1]. » Et iterum : « Non est arbor bona, quæ faciat malum fructum, » neque arbor mala, quæ faciat bonum fructum [2]. » Deque hoc accipiens interpretationem a sanctis presbyteris, non acquiescebat veritati, sed magis Cerdonis sui doctoris firmabat mendacium, et iste similiter unum Deum bonum, et unum malum annuntians, Christum autem putative apparuisse, id est, quasi per umbram, et passum eum fuisse umbratiliter, non tamen in vera carne credebat. Secundum Lucam autem Evangelium solum accipit, non Evangilia, nec Epistolas Pauli apostoli, nisi ad Timotheum, et Titum : quæ enim de Christo dicunt, ut de Deo vero, præterit; quæ autem quasi de homine dicunt Scripturæ, ea accipit capitula, et neque Christum judicem esse omnium confitetur. Qui devictus atque fugatus a beato Joanne evangelista, et a presbyteris de civitate Ephesi, Romæ hanc hæresim seminabat.

XVIII. LUCANUS.

Lucanus post istum quidam, similia Marcioni statuens ac

[1] Matth. IX, 16. 17. — [2] Id. VII, 8.

Digitized by Google

decernens, ut ille doctor ipsius Marcion, est in omnibus ementitus.

XIX. APELLES.

Fuit Apelles discipulus ejus, similia in quibusdam Marcioni prædicans, qui interrogatus a quibusdam quonam modo de fide sentiret, respondit : Non mihi opus est discere a Marcione, ut duo Principia asseram coæterna : ego enim unum Principium esse prædico, quem Deum cognosco, qui Deus fecit Angelos, fecit etiam alteram Virtutem; quem Deum scio esse secundum, qui et Virtus Dei est, quæ fecit illum. Hic autem Deus qui fecit mundum, non est, inquit, bonus, ut ille qui fecit illum : subjectus autem est Deo illi, a quo et factus est iste, qui et nutui et jussioni et præceptis paret illius in omnibus : cujus Ariani nunc consortes sunt atque fautores, sic prædicantes atque sentientes. Dicit autem Christum in carne apparuisse, non tamen sicut Valentinus, de cœlo carnem desumpsisse. Ait etiam post passionem non carnem surrexisse, sed de quatuor elementis, quæ de mundo acceperat, eaque in terram dimisisse; ipsum in cœlum sine carne ascendisse asserit. Sub Apostolis itaque hæ fuerunt hæreses per ordinem.

XX. TATIANUS.

Post Decii autem persecutionem fuit Tatianus quidam, discipulus sancti Justini Martyris, qui recessit a veritate post passionem ipsius : doctrinamque tanti ac tam beati Martyris et magistri contempsit in omnibus, dicens Æonas quosdam de cœlo fuisse prolatos. Addens etiam hoc : Adam patrem nostrum protoplastum non salvari; Æonas autem nuntians sicut Marcion deliravit. Qui etiam genera-

Digitized by Google

tionem hominum execratur, et jus nuptiarum legitimum abjicit, idque juris a Deo statutum non confitetur.

XXI. CATAPHRYGES.

Alii autem post istos surrexerunt Cataphryges, in Phrygia provincia habitantes. Isti Prophetas et legem accipiunt, Patrem et Filium et Spiritum confitentur, carnis resurrectionem expectant, quæ et catholica Ecclesia prædicat. Quosdam autem suos prophetas, id est, Montanum nomine, et Priscillam, et Maximillam annuntiant : quos neque Prophetæ, neque Christus nuntiavit. Addunt etiam plenitudinem sancti Spiritus non per Apostolos Christo dante fuisse concessam, sed per illos suos pseudo-prophetas æstimant impartitam, et separant se a catholica Ecclesia per illos suos pseudo-prophetas, et falsos doctores. Ili mortuos baptizant, publice mysteria celebrant, Pepuzam villam suam, quæ sic dicitur in Phrygia, Jerusalem appellant, ubi Maximilla, et Priscilla, et ipse Montanus, vitæ tempus vanum et infructuosum habuisse dignoscuntur. Ubi et mysterium Cynicorum, et infantis execranda celebratur impietas. Dicunt enim eos de infantis sanguine in Pascha miscere in suum sacrificium, suique ita ubique emittere perniciosis et falsis satellitibus.

XXII. THEODOTUS.

Post istos Theodotus quidam Byzantinus genere, denegator Christi Dei nostri in persecutione extitit Salvatoris, qui cœpit dicere, docens ita : Communis homo erat, ut omnes homines, Christus. Hoc autem dicebat, ut denegationis opprobrium ab hominibus non amplius pateretur, cogitans quod si qui ei diceret : Quare negasti Christum Deum ac Dominum? diceret : Quod hominem negavi, non

Digitized by Google

Deum. Isti utuntur capitulis Scripturarum, quæ de Christo veluti de homine edocent : quæ autem de Deo dicunt, ea vero non accipiunt. Legentes et nullo modo intelligentes, impietatisque paganæ, et cæcitatis judaïcæ consortes se potius quam christianæ salutis participes demonstrantes.

XXIII. HÆRESIS DE PATRIS ET FILII SUBSTANTIA.

Sunt alii dicentes μεταγγισμὸν id est, Filium intrare in Patrem, et ut vas in vase inesse, ignorantes quod asserant, cum Salvator non dixerit Filium in Patrem intrare, sed æqualitatis causam in Divinitate et potentia docuerit, non introitum aut continentiam, ut illi æstimant, impartitam. Et separant se a catholica Ecclesia, propter illos suos Pseudo-prophetas insaniunt, id sentientes, et non intelligentes, quod qualis immensus est Pater, talis est et Filius, talis est et Spiritus sanctus, æqualis in omnibus, ita ut sit immobilis Trinitas, immensa et omnipotens, atque sempiterna ubique, quæ nobis nuntiatur ex sanctis Scripturis apertissime, ut et sint tres Personæ viventes in perpetuum, et æquales in omni majestate, et potentia : Filius tamen et Spiritus sanctus de Patre sint proprie.

XXIV. DE MELCHISEDECH.

Post illos alii recedentes ab his dixerunt similia; addunt etiam Melchisedech sacerdotem Virtutem Dei magnam esse, et nomina quædam diversa hominum asserunt a fide catholica dissonantes.

XXV. NOETIANI.

Alii autem Noëtiani insensati cujusdam nomine Noëti, qui dicebat Patrem omnipotentem ipsum esse Christum,

Digitized by Google

et ipsum natum, et ipsum passum, et ipsum mortuum fuisse in corpore : hic etiam dicebat Mosem esse et fratrem suum Eliam prophetam.

XXVI. SABELLIUS.

Sabellius post istum de Lybia discipulus ejus, similitudinem sui doctoris itidem secutus est et errorem, unde et Sabelliani postea sunt appellati, qui et Patripassiani, et Praxiani a Praxea, et hermogeniani ab Hermogene, qui fuerunt in Africa, qui et ita sentientes abjecti sunt ab Ecclesia catholica.

XXVII. SELEUCI ET HERMIÆ HÆRESIS DE DEO CORPOREO.

Quæ est hæc vanitas Galatarum, Seleuci et Hermiæ hæreticorum? qui cum volunt Deum esse corporeum, hylen etiam, id est, materiam mundi coæternam esse cum Deo asserunt, et materiam quidem elementorum, quæ est sine anima, irrationabilis scilicet, quæ facta est a Deo patre per Filium ex nihilo, ut possit esse quæ ante non erat, non ita accipiunt. Spiritum autem hominis, id est, animam non factam a Deo per Filium, sed de terra esse aiunt : malum autem aliquando a Deo, aliquando esse a materia asserunt. Salvatorem autem in carne negant sedere ad dexteram Patris, sed expoliasse carnem et posuisse in solem æstimant : quia dixit Propheta, cum nesciant quid dixerit : « In sole posuit tabernaculum suum [1]. » Paradisum visibilem affirmant ex Platone, et istis vanitatibus servientes, et animas hominum de igne et Spiritu esse æstimantes, isto baptismo non utuntur, propter verbum hoc, quod dixit Joannes Baptista : « Ipse vos baptizabit in Spiritu et igne [2]. » Isti Angelos dicunt creatores

[1] Psal. xviii, 6. — [2] Matt. i, 8.

Digitized by Google

esse animarum nostrarum, non Christum Salvatorem. Mundum autem istum infernum esse asserunt, et resurrectionem in filiorum procreatione hanc esse prædicant, quæ fit in humano genere quotidie, non illam immortalitatis futuram atque gloriosam annuntiant expectantes.

XXVIII. PROCLIANITÆ.

Alii sunt discipuli horum, qui Proclianitæ appellantur, et Hermiotitæ, addunt etiam diversos errores, docentes: quod in Ezechiele propheta scriptum est de quatuor animalibus[1], quod leonem regem esse pastorum, vitulum Ægyptiorum, aquilam Romanorum, hominem vero piissimorum tenere similitudinem arbitrantur. Hi Sapientiæ libro utuntur Sirach illius, qui scripsit post Salomonem, id est, post multa tempora, librum unum Sapientiæ. Christum autem in carne venisse negantes, resurrectionem et judicium non sperantes, de Virgine natum eum non credentes, qui in locis Galatiæ commorantur, et ut vulpes latitantes plurimos deprædantur, sicut Salomon testatus est dicens: « Prendite nobis vulpes minimas exterminantes » vineam Domini Salvatoris[2]. »

XXIX. FLORIANI, SIVE CARPOCRATIANI.

Floriani etiam, sive Carpocratiani dicuntur, qui et Milites vocantur, quia de militaribus fuerunt, negantes judicium atque resurrectionem, Christum natum de Virgine non credentes, omnemque resurrectionem in filiorum procreatione, nefandi cœtus æstimantes consistere, ut in Ecclesia sua post occasum solis lucernis extinctis misceri cum mulierculis non dubitaverint, legis præcep-

[1] Ezech. I, 5 et 10. — [2] Cant. II, 15.

tum implere putantes : « Nascimini et multiplicamini[1]. » Judaïsmo potius et paganitati parere nefandæ, quam christianæ veritati acquiescere properantes, pecudumque potius vitam et amentiam detinentes, quos et Scriptura vitæ pecudum comparavit[2].

XXX. DE PASCHATIS FESTO HÆRESIS.

Sunt et qui de die Paschæ saluberrima ambigunt, asserentes quartadecima luna celebrandum esse Pascha, non sicut Ecclesia catholica celebrat, et mense Martio semper celebrandum asserunt : et cum hoc faciunt, diem non Dominicam semper custodiunt Paschæ, non computantes horas et dies, sed secunda, aut tertia, aut quarta, aut quinta, aut sexta die celebrant ; et ex hoc errore non cognoscunt diem Paschæ Domini nostri veram, et salubrem unam orbi terrarum statutam, et confirmatam a Domino cursu numerali lunæ mensibus et embolismis, et cum hæc non computant, ignorant quid celebrant.

XXXI. CHILIONETITÆ.

Alia est hæresis Chilionctitarum, id est, mille annorum, quæ docet ita : Cum venerit Christus de cœlo, mille anni illi erunt iterum nobis carnaliter ad vivendum, generandum, et manducandum, sicut fit nunc in hoc sæculo quotidie, ignorantes escam cœlestem, id est, immortalitatis illud præmium affuturum, non hoc caducum et transiens, cum Dominus in Evangelio Judæis quibusdam hoc suspicantibus : « Nescitis, inquit, Scripturas, et virtutem earum ignoratis : nam in die judicii non nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli[3]. » Et iterum

[1] Gen. I, 28. — [2] 2 Petr. II, 22. — [3] Matth. XXII, 29.

Digitized by Google

Apostolus dicit : « Non est regnum Dei esca et potus, » sed justitia, pax, et gaudium in Spiritu Domini sem- » piternum [1]. »

XXXII. HÆRESIS, EVANGELIUM JOANNIS ET APOCALYPSIM IPSIUS REJICIENS.

Post hos sunt hæretici, qui Evangelium secundum Joannem, et Apocalypsim ipsius non accipiunt, et cum non intelligunt virtutem Scripturæ, nec desiderant discere, in hæresi permanent pereuntes, ut etiam Cerinthi illius hæretici esse audeant dicere, et Apocalypsim itidem non beati Joannis evangelistæ et apostoli, sed Cerinthi hæretici, qui tunc ab Apostolis beatis hæreticus manifestatus, abjectus est ab Ecclesia.

XXXIII. MANICHÆI.

Manichæi post hos de Perside a Mane homine, sive Turbone ita dicto surrexerunt, fomenta de illis perniciosa sumentes prioribus, qui duos Deos, unum bonum et unum malum esse asserentes, et pugnam inter Deum et Dominum esse prædicantes, et hominis quidem animam de Deo esse proprie putantes, corpus autem a diabolo factum arbitrantur. Resurretionem negantes, judicium non speran tes, dæmonia colentes, elementa adorantes, deorumque dearumque nomina ut pagani, invocantes, et masculos fœminas quasdam esse dicentes, et utriusque naturæ participes, et nefandæ turpitudini servientes, qui ab Archelao sancto episcopo in disputatione superati, abjecti, atque notati, manifestati sunt universis in illo tempore, et ut latrones jam sub figura confessionis christianæ multorum animas mendacio, ac pecudiali turpitudine non desinunt

[1] Rom. XIV, 17.

Digitized by Google

captivare, qui et in Hispania, et quinque provinciis latere dicuntur, multosque hac quotidie fallacia captivare.

XXXIV. PATRICIANI.

Patriciani a Patricio quodam, qui fuit Romæ, dicti sunt. Hi carnem hominis non a Deo factam asserunt, sed a diabolo, arbitrantur. Hanc etiam contemnendam, et modis omnibus abjiciendam decernunt, ut etiam ultro quidam de eis sibi mortem inferre non dubitaverint.

XXXV. SYMMACHIANI.

Symmachiani discipuli istius, eadem sentientes in omnibus, non sperantes judicium, vitiis sæcularibus et carnalibus concupiscentiis prædicant serviendum.

XXXVI. PAULUS SAMOSATENUS.

Paulus quidam fuit Samosatenus post hos in Syria, qui verbum Dei, id est, Christum Deum Dei Filium substantivum, ac personalem, et sempiternum esse cum Patre denegabat: prolativum autem, id est, quasi aëra quemdam dicebat: non tamen personam vivam Filii sempiternam cum sempiterno Patre credendam docebat. Hic Christum hominem justum, non Deum verum prædicabat, judaïzans potius, qui et circumcisionem docebat, unde et Zenobiam quamdam reginam in Oriente tunc temporis ipse docuit judaïzare.

XXXVII. PHOTINUS.

Photinus doctrinam ejus secutus, in omnibus similiter prædicabat, inque hoc mendacio perseverans, projectus

Digitized by Google

est de Ecclesia Sirmiensium civitatis, a sanctis episcopis superatus.

XXXVIII. ARIANI.

Ariani ab Ario presbytero Alexandriæ civitatis, qui sub Alexandro episcopo bonæ memoriæ fuit et Constantino sancto imperatore, dicens Filium Dei Deo similem, nomine tenus similem autem dicens, et non Dei ipsius Patris divinam credendo substantiam, hæresim periculosam incurrit: nam et creatura similis Deo dicitur, cum dicat Scriptura : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram[1]. » Non tamen est homo, aut Angelus de Deo proprie ac naturaliter, id est, de divina illa substantia Patris ingenerande, et sempiterna genitus, ut unicus Filius, qui genitus est de Patre proprie sempiternus, sed homo et Angelus facti sunt ex nihilo. Filius autem cum sit verus, oportet de divina illa substantia Patris genitus cognoscatur. Verus enim Deus alio modo esse non potest Filius unicus, nisi sit de Patris illa divina substantia proprie genitus. Sempiterna similitudo itaque Filii et secundum opera, « Quia sicut facit Pater, et Filius similiter facit omnia[2], » et Dei ipsius est qualitatis divina substantia genitus, quia de ipso natus est proprie sempiternus, non factus ex nihilo ut homo, et Angelus, aut creatura aliqua est.

XXXIX. SEMIARIANI.

Semiariani sunt quoque : ii de Patre et Filio bene sentiunt, unam qualitatis substantiam, unam Divinitatem esse credentes ; Spiritum autem non de divina substantia, nec Deum verum, sed factum atque creatum spiritum prædicantes, ut eum conjungant et comparent creaturæ :

[1] Gen. I, 26. — [2] Joan. V, 19.

Digitized by Google

cum Christus Dominus Patri et sibi in fide baptismi salutis æternæ conjunxerit, eumque cum Patre et Filio cunctis credentibus adorandum jusserit, omnique sæculo Deum verum prædicandum statuerit. Non intelligentes, quod Evangelista cum dicit : « Omnia per ipsum facta sunt, et » sine ipso factum est nihil[1] : » non de Spiritu sancto dicit, quasi factum Spiritum per Filium : nam Propheta Trinitatem omnia fecisse visibilia et invisibilia definit dicens : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus » omnis virtus eorum[2]. » In omni itaque creatura, quæ facta est per Spiritum, non aliquid prætermisit quod non per eum factum sit; alioqui in fide servus cum *Domino* non jungeretur, si esset creatura divinus et sanctus Spiritus. Cujus causa omnis Scriptura, et Dominus, concedi omnia peccata hominibus, præter blasphemiam divini et adorandi Spiritus, cœlesti sententia pronuntiavit.

XL. EUNOMIANI.

Eunomiani post hos ab Eunomio discipulo Arii, in omnibus inimici veræ fidei, aiunt tres esse diversas qualitatis substantias, ut auri, argenti et æris : et Patrem quidem fecisse Filium, et iterum Filium, qui sit creatura, *fecisse* Spiritum : et asserunt Filium non Patri esse *similem*, quia creatura est : neque Spiritum Filio similem, quia a Filio factus est, magis impietati paganæ, et iniquitati judaïcæ consentientes apertissime, quam christianæ doctrinæ, ac fidei catholicæ parere volentes.

XLI. HÆRESIS ANIMAM VERAM CHRISTUM NON HABUISSE.

Alii sunt, qui circa incorporationem aberrant, dicentes non animam veram hominis rationalem accepisse Salvato-

[1] Joan. I, 3. — [2] Psal. XXXII, 6.

Digitized by Google

rem, sed corpus solum hominis, et cum subtrahunt animam a corpore, veram denegant hominum salubritatem. Quomodo itaque potest dici anima, quæ non sumpta est a Salvatore, cum Salvator dicat : « Tristis est anima mea usque ad mortem[1] ? » Alioquin anima dici non potuit, nisi esset in eo cujus causa advenerat. Itaque hæc utraque in comparatione Salvatoris, id est, corpus erat et anima, quæ pro nostra salute dignatus est sumere. Scire nos convenit, quod et animam veram hominis habuit, intellectum habentem, et corpus hominis sensum carnalem itidem, ut et dolere posset corpore, et emori. Tamen de sancto Spiritu facta hæc cognoscitur caro, et creata anima scilicet, sicut scriptum est in Evangelio : « Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit te[2]. » Et quod animam veram habuit, dicens : « Animam meam pro vobis pono[3]. » Et de carne passibili ad Thomam. « Quod spiritus non habet ossa et carnem, sicut me videtis habere[4]. » Et apostolus Petrus de Salvatore testatus est, dicens : « Hujus anima non derelicta est in inferno, nec caro ejus vidit corruptionem[5]. » Ex quo autem incarnatus est, et homo nostræ causa salutis, et Deus verus creditur, cognoscitur, colitur, et in Ecclesia catholica prædicatur.

XLII. TROPITÆ.

Tropitæ sunt qui dicunt conversum Verbum in carnem, non intelligentes quod ait apostolus Joannes : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis[6], » non attendentes, quod Verbum est immutabile, et inconvertibile, id est, Deus Dei Filius. Caro autem quam accepit pro nostra salute, ipse eam formando assumpsit, et induit nostræ causa

[1] Matth. xxvi, 38. — [2] Luc. i, 35. — [3] Joan. x, 11. — [4] Luc. xxiv, 39. — [5] Act. ii, 27. — [6] Joan. i, 14.

Digitized by Google

incapacitatis. Ad eum visendum itaque res istæ in unum conjunctæ pro nostra salute, non mutationem Verbi in carnem, sed assumptionem magis rei visibilis declarabant, ut invisibilis per visibilem carnem videri possit, credi atque agnosci, et ab humano genere capaciter adorari.

XLIII. HÆRESIS DE PASSIONE CHRISTI.

Sunt etiam hæretici, qui circa passionem aberrant, dicentes, quod in passione dimiserit Deus noster Christus carnem, et sic ascenderit in cœlum, ut non sit jam in carne Divinitas : neque enim post passionem resurrexit in carne, neque cum carne ascendit, inquiunt, in cœlum, cum salus omnis hominum in passione carnis, et resurrectione, et ipsius ascensione in cœlum consistat, sine cunctatione nobis et credentibus universis ; cum et Apostolis Angeli dixerint pro nostra fide ac lætitia, in Actibus Apostolorum : « Quod sicut vidistis eum ascendentem in » cœlum, sic eum iterum sperate venturum de cœlo [1]. »

XLIV. AERII.

Aerii, ab Aërio quodam sic appellati sunt, qui *abstinentiis* vacant, et in provincia Pamphylia quamplurimi commorantur, qui et Encratitæ dicuntur, id est, abstinentes. Hi non possident aliquid, escas abominantur, quas Deus cum benedictione humano generi tribuit : damnant etiam de lege nuptias, non a Deo institutas asserentes.

XLV. BORBORIANI.

Alia est hæresis Borborianorum, qui vitiis implicati sæculi, et malis concupiscentiis servientes, non sperant

[1] Act. I, 11.

judicium futurum, sed potius carnalem sæculi concupiscentiam laudant. Hi itaque in cœnum euntes, et inde obliti de cœno facies et membra sua deformantes, eadem re cunctis velut culpandam Dei creaturam demonstrantes: cum illa vorago culparum et vitiorum perniciosa damnatio ex hominum voluntate, non legis divinæ permissione descenderit.

XLVI. ARTOTYRITÆ.

Artotyritæ sunt nomine ex re ipsa imposito in Galatia, qui panem et caseum offerunt, non illud quo Ecclesia catholica et apostolica celebrat offerendo.

XLVII. ASCODROGITÆ.

Alii sunt Ascodrogitæ in Galatia, qui utrem inflatum ponunt et cooperiunt in sua Ecclesia, et circumeunt eum insanientes potibus, et bacchantes, sicut pagani Libero patri, insanis mentibus more gentilium furentes, et non intelligentes, quod ait Savator, utres novos sumendos, inque eos novum vinum mittendum, non in veteres[1]. Et cum suis cæcitatibus properant inservire, alieni modis omnibus christianæ saluti reperiuntur, cum Apostolus dejiciat justificationem illam judaïcam, carnalemque vanitatem: Christi autem veram et plenam confirmet scientiam dicens: « Vetera transierunt, et ecce nova omnia per » Christum facta sunt[2]. » De lege enim et umbra dicebat Dominus et de suæ gratiæ plenitudine. Duorumque hominum, quod ait Apostolus: « Primus homo de terra ter- » renus, secundus homo de cœlo cœlestis[3]. » Quod enim erat per umbram, et quod erat futurum in Domini præ-

[1] Matth. IX, 17. — [2] 2 Cor. V, 17. — [3] 1 Cor. XV, 47.

Digitized by Google

sentia majus et melius, hoc nuntiabat docendo, ac rebus testantibus confirmando.

XLVIII. PASSALORINCHITARUM HÆRESIS.

Alii sunt Passalorinchitæ, qui digitum imponentes in nares, et ora sua, et in labia, quasi silentium semper exercent, non rei aliæ nisi taciturnitati, quasi studium commodantes. Hoc autèm facientes quasi Prophetas cupiunt imitari, quia ait David propheta : « Pone, Domine, custo- » diam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis [1]. » Et quia jejuniis beati Prophetæ vacantes silentium sæpius commodabant, inde usurpantes isti æstimant observandum, pythagoricam vanitatem potius quam Prophetarum cœlestem vitam, et sapientiam sequi properantes.

XLIX. AQUARII.

Aquarii sic dicti sunt, qui in sacramentis cœlestibus offerunt tantum aquam, non illud quod Ecclesia catholica et apostolica facere consuevit.

L. HÆRESIS DE PROPHETIS.

Sunt nonnulli, qui Prophetas quotidie asserunt, et prophetias fieri prædicant, « Ignorantes legem et Prophetas » usque ad Joannem fuisse Baptistam [2], » finemque legis et Prophetarum in Christi præsentia completum, atque consummatum.

LI. COLLUTHIANI.

Colluthiani, a Colluthо quodam ita dicti sunt in Ægypto, qui dicunt Dominum malorum non esse factorem. Contra

[1] Psal. cxl, 3. — [2] Matth. xi, 13.

Digitized by Google

autem alter quidam opponebat, dicens Dominum malorum esse factorem, qui et ipse est hæreticus pariter, et cum utrique contentione ferrentur inani, nescierunt potentiam rationis : Scriptura enim Deum facere bona, et nihilominus et mala facere prædicavit, cum dicat Propheta : « Ego sum Dominus qui facio pacem, et creo » mala[1]. » Et alter Propheta : « Si est, inquit, malitia in » civitate, quam Deus non fecit[2] ? » Sed mala ista non natura esse dixit Scriptura a Deo facta, sed causis existentibus hominum, scilicet in lege peccantium Domino, quæ sunt tentationes persecutionis, diversæque angustiæ, quæ Deo permittente insurgunt peccantibus, sicut scriptum est : « Quis dedit Israël in direptionem, nonne Dominus cui » peccaverunt, et noluerunt in viis ejus ambulare[3] ? » Non autem fecisse malam Deum naturam dicit Scriptura alicubi : « Ecce enim omnia valde erant bona, quæ fecit » Deus[4], » in libro Geneseos, id est, creaturæ mundi. Et alibi Propheta dicit : « Quoniam Deus malum non fecit, » neque delectatur in perditione vivorum[5]. » Quia ergo non causa Dei creantis est mala naturaliter, sed hominum voluntatis, quæ obnoxia legi Dei urgetur, et coërtione constringit, conversionis causa a Domino hæc inferuntur hominibus quotidie. Cum ergo hæc dicuntur, quomodo dicta sunt ignorant : quæ enim putantur hominibus in coërtione mala, hæc eruditionis et utilitatis sunt plena, quæ hominum voluntas perversa pati meretur, cum dicat Apostolus : « Numquid injustus Deus qui infert iram suam » hominibus[6]. » Non tamen sine utilitate et emolumento futuro hæc cuncta humano generi fieri permittuntur : justus enim in tribulatione sustinendo fidelior et justior comprobatur, peccator autem aut peccare desinet emendatus,

[1] Isai. XLV, 7. — [2] Amos. III, 6. — [3] Isai. XLII, 4. — [4] Gen. I, 31. — [5] Sap. I, 13. — [6] Rom. III, 5.

Digitized by Google

aut perseverans de mundo tollitur, ne in corpore constitutus amplius delinquere videatur. Ergo aut emundatus, cum superest adhuc in corpore, bonum jam opus facere non retardabit, aut mens coërcetur ut desinat a peccato, quod ait Apostolus : « Qui mortuus est, justificatus est a »peccato[1]. »

LII. DE MUNDO HÆRESIS.

Alia autem est hæresis, quæ dicit mundum non mutari, sed in eodem statu semper manere, etiam post Domini nostri Christi de cœlis præsentiam, cum ipse dicat : « Omnia transibunt et mutabuntur[2]. » Hoc autem non intelligunt mutationis causa elementorum dictum fuisse a Domino, ut his mutatis nova creatura reformetur, quod et David docet : « Ipsi peribunt, tu autem ipse es in æter»num[3]. » Et Dominus : « Cœlum et terra transibunt, verba »autem mea non transibunt[4]. » Et : « Ego facio novum »cœlum et novam terram, dicit Dominus[5]. » Restauranda potius ergo, non pereunda annuntiat elementa, et quamvis impossibile Deo non est, ut qui fecit ex nihilo omnia, iterum delere possit omnia, quod ait beatissimus Job : « Si autem destruxerit universa, qui eis dicet: Quid fe»cisti[6] ? » Ergo si ita senseris, omnipotentiam Domini Christi cognosces, sin ea restauranda quis æstimat, sequenter intelliget : nam etsi pereunda semina Scriptura demonstrat, id est, ipsum mundum ad nihilum devenire posse[7], tamen quia quod fecit non deperit : « Fecit enim, »ut ait Salomon, ex nihilo omnia, ut possent esse quæ »non erant[8], » et in resurrectione hominum non pereunda

[1] Rom. VI, 7. — [2] Matth. XXIV, 35. — [3] Psal. CI, 27, 21. — [4] Luc. XXI, 33. — [5] Isaï. LXV, 17, et LXVI, 22. — [6] Job. IX, 12. — [7] Psal. CI, 27. — [8] Sap. XI, 24.

Digitized by Google

semina, sed ad gloriam majorem venientia demonstrat, ut ait Apostolus : « Seminatur corpus animale, surgit corpus » spiritale : seminatur in corruptione, surgit in incorrup- » tione [1]. » Et ipse iterum Apostolus : « Expectatio enim » creaturæ revelationem filiorum Dei expectat : vanitati » enim creatura subdita est non volens, sed propter eum » qui subjecit eam in spe futuræ gloriæ dignitatis. Propter » quod et ipsa creatura, inquit, liberabitur a servitute cor- » ruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei [2]. » Ostendens itaque a gloria ad gloriam processura elementa, id est, homines cum hac ipsa visibili creatura, cum dicit Dominus : « Sol tunc septempliciter lucebit [3]. » Transeuntia ergo erunt elementa ad majorem jam gloriam, inque ea permanenda cum hominibus, quamvis ad nihilum possit adducere, qui fecit omnia Dominus. Sed in hoc est eminens Christi majestas et potentia, quod ad gloriam eadem majorem elementa transire permittit ; nam et Apostolus elementa hæc liquescere [4], et ad nihilum venire nuntiat pariter et prophetat.

LIII. EXCALCEATI.

Excalceatorum est hæresis, quæ excalceatos ambulare debere homines asserit, quod sub Mose, inquiunt, dictum est : « Solve calceamenta tua [5]. » Et quod Isaïas ita ambulaverit tribus annis, quæ magis humanæ, ac vanæ superstitionis sunt, non traditionis sanctorum, ac Domini nostri Jesu Christi jussionis, et imperii, ejusque potestatis.

LIV. NOVATIANI.

Novatiani surrexerunt post persecutionem postremam

[1] 1 Cor. xv, 24. — [2] Rom. viii, 19-21. — [3] Isaï. xxx, 26. — [4] 1 Petr. iii, 10. — [5] Exod. iii, 5.

Digitized by Google

a Novato quodam, qui sicut Ecclesia catholica credebant antea, Vetus Testamentum et Novum accipientes. In persecutione autem, quia lapsi sunt multi fideles, et in pœnitentiam suscepti sunt a catholica Ecclesia, irati, imo potius præsumptione ducti ac superbia, vanam doctrinam conati sunt seminare, separantes se ab Ecclesia catholica, atque a Christi bonitate ac misericordia dissonantes, atque dicentes : Non esse fideli post baptismum locum aliquem pœnitentiæ, ignorantes quod per Prophetam clamat : « Vivo ego, dicit Dominus : Nolo mortem peccatoris, sed » magis ut revertatur et vivat[1]. » Si ergo dixerint de his qui baptizandi sunt, dixisse Scripturam, non tamen fidelibus, audiant Salvatorem post baptismum aquæ dicentem de baptismo alio, pœnitentiæ scilicet passionis ita : « Bap» tismo habeo, inquit, baptizari, et quam festino si fini» retur[2]. » Ostendens utique nobis post baptismum quem per aquam ante dederat, aliud etiam passionis pœnitentiæ humano generi ab ipsius bonitate, et clementia labentibus concedendum, atque ab eodem Domino tribuendum. Quod Apostoli intelligentes de passione ejus saluberrima, post illam primam gratiam humano generi etiam hoc eum contulisse prædicabant. Ut provisor enim et omnipotens peccantibus concedit per pœnitentiam, ut qui *lapsus est*, surgens ac pugnans iterum, inque ea perseverans, speret se posse a Domino desiderandam victoriam adipisci. In Christo enim et ejus clementia, et justitia, et bonitas propter peccantes et pœnitentes abundat quotidie, ut Paulus testatus de illis est, qui peccati causa non egerant pœnitentiam, ut dixit in sua Epistola : « Quis infirmatur, et ego non in» firmor[3]. » Et rursum : « Ne veniam ad vos, et iterum me » humiliet Dominus propter quosdam qui non egerunt pœ-

[1] Ezech. XVIII, 23, et XXXIII, 11. — [2] Luc. XII, 50. — [3] 2 Cor. XI, 29.

» nitentiam [1]. » Et Petrus apostolus Mago Simoni dixerat : « Age pœnitentiam, si quo modo dimittatur tibi quod fe- » cisti [2]. » Et Paulus quem abjecerat, eum suscipi post tempus iterum jubet. Amissionem itaque dignitatis possunt perpeti tales, non detrimentum salutis, ut ait Dominus : « Multæ mansiones sunt apud Patrem meum [3]. »

LV. MONTANISTÆ.

Montanistæ sunt, qui rebaptizant si quos seduxerint homines, et supra baptismum Ecclesiæ catholicæ aliud suum baptisma insanientes promittunt, qui et Donatiani dicuntur, a quodam Donato in Africa constituto, qui hanc hæresim seminavit, qui et Parmeniani nunc appellantur a Parmenione quodam, qui eorum nuper successit erroribus atque falsitati.

LVI. ABSTINENTES.

Sunt in Galliis, et in Hispaniis et Aquitania veluti abstinentes, qui et Gnosticorum et Manichæorum particulam perniciosissimam æque sequuntur, eamdemque non dubitant prædicare, separantes persuasionibus conjugia hominum, et escarum abstinentiam promittentes, quæ non ex legis præcepto, sed promotionis cœlestis, et dignitatis causa voluntati hominum talis a Christo concessa est gratia. Dicit enim Dominus Petro : « Non omnes capiunt hoc » verbum [4]. » Et iterum idem Dominus ait : « Qui dimise- » rit uxorem suam sine causa criminis, facit eam mœchari [5]. » Aliud est itaque consensu communi hoc fieri laudis causa majoris consequendæ a Domino, et aliud contra legem suadere, contraque amborum facere voluntatem. Et ite-

[1] 2 Cor. XII, 21. — [2] Act. VIII, 22. — [3] Joan. XIV, 2. — [4] Matth. XIX, 11. — [5] Ibid. 9.

Digitized by Google

rum : « Qui non manducat, manducantem non spernat, » et qui manducat, non manducantem non judicet[1]. » Quod ex voluntate est itaque, laudis est amplioris, imo potius mercedis cœlestis est desiderium : quod autem extra legem est, non a Deo Christo est traditum, sed inani hominum præsumptione, et errore inventum : scriptum est enim : « Do » vobis omnia edere sicut fœnum[2]. » Hoc autem ideo faciunt, ut escas paulatim spernentes, dicant eas non esse bonas, et ita non a Deo hominibus escæ causa fuisse concessas, sed a diabolo factas ut asserant, ita sentiunt. Inque hoc jam creaturam, non a Deo creatam, sed a diabolo eam factam prædicare nituntur, perque hoc mendacium multorum animas captivarunt.

LVII. CIRCUITORES.

In Africa sunt qui Circuitores dicuntur; hi circumeunt terras et quos inveniunt in via, cogunt eos ut interficiantur ab illis : dicentes se desiderare pati martyrium, et sub causa hac multi latrocinantur interdum. Quidam autem ex iis velut Biothanati moriuntur, sese dantes ad præcipitium, diversumque subeunt calamitatis interitum : qui cum sine causa perire ita properant, honestæ mortis sustinent detrimenta, et judicio Dei futuro se potius implicant, quam solvunt.

LVIII. HÆRESIS DE CIBO ET SPIRITU SANCTO.

Nec desunt, qui cum hominibus non sumunt escas, præsumptione ducti inani, putantes se melius quid facere : quia et Prophetæ hoc, inquiunt, faciebant, ignorantes diversam œconomiam Christi Domini esse statutam hominibus. Hi de Patre et Filio bene sentiunt, de Spiritu autem

[1] Rom. XIV, 4. — [2] Gen. IX, 3.

Digitized by Google

non recte accipiunt, creatum credentes esse et factum sanctum Spiritum, non Deum, sicut Scripturæ nuntiant, et Ecclesia catholica prædicat.

LIX. HÆRESIS ALIA DE PASCHATIS CELEBRANDI TEMPORE.

Alia est hæresis, quæ asserit cum Judæis debere fieri Pascha. Isti in Galatia, et Syria, et Phrygia commorantur, et Jerosolymis, et cum Judæos sequantur, simili cum eis errore depereunt. Inque hoc et suum Judæi confirmant mendacium, cum pervident quosdam Christianos indoctos legis eorum magis sequi vanitatem, quam regulam catholicæ veritatis, et nihilominus illi cum istos celebrant, ut consortes Judæorum criminis et sceleris manifestantur, atque ab omnibus dignoscuntur.

LX. APOCRYPHI.

Hæresis est etiam quæ Apocrypha, id est, secreta dicitur, quæ solum Prophetas, et Apostolos accipit, non Scripturas canonicas, id est, legem et Prophetas, Vetus scilicet et Novum Testamentum. Et cum volunt solum illa Apocrypha legere studiose, contraria Scripturis canonicis sentiunt, atque paulatim dogmatizant, contra eas dantes sententias; contra legem et Prophetas, contraque disputationes beatissimorum Apostolorum consulta ponentes, e quibus sunt maxime Manichæi, Gnostici, Nicolaïtæ. Valentiniani et alii quamplurimi, qui apocrypha Prophetarum et Apostolorum, id est, Actus separatos habentes, canonicas legere Scripturas contemnunt. Propter quod statutum est ab Apostolis, et eorum successoribus, non aliud legi in Ecclesia debere catholica, nisi legem, et Prophetas, et Evangelia et Actus Apostolorum, et Pauli tredecim epistolo-

Digitized by Google

las, et septem alias, Petri duas; Joannis tres, Judæ unam, et Jacobi unam, quæ septem Actibus Apostolorum conjunctæ sunt. Scripturæ autem absconditæ, id est, apocryphæ, et si legi debent morum causa a perfectis, non ab omnibus legi debent, qui non intelligentes multa addiderunt et tulerunt, quæ voluerunt hæretici. Nam Manichæi apocrypha beati Andreæ apostoli, id est, Actus, quos fecit veniens de Ponto in Græciam, quos conscripserunt tunc discipuli sequentes Apostolum; unde et habent Manichæi, et alii tales Andreæ beati, et Joannis Actus evangelistæ, beati et Petri similiter apostoli, et Pauli pariter apostoli, in quibus, quia signa fecerunt magna, et prodigia, ut et pecudes, et canes, et bestiæ loquerentur, etiam et animas hominum tales, velut canum et pecudum similes imputaverunt esse hæretici perditi.

LXI. HÆRESIS QUORUMDAM DE EPISTOLA PAULI AD HEBRÆOS.

Sunt alii quoque, qui Epistolam Pauli ad Hebræos non asserunt esse ipsius, sed dicunt aut Barnabæ esse apostoli, aut Clementis de urbe Roma episcopi. Alii autem Lucæ evangelistæ aiunt Epistolam etiam ad Laodicenses scriptam. Et quia addiderunt in ea quædam non bene sentientes, inde non legitur in Ecclesia, et si legitur a quibusdam, non tamen in Ecclesia legitur populo, nisi tredecim Epistolæ ipsius et ad Hebræos interdum. Et in ea quia rhetorice scripsit sermone plausibili, inde non putant esse ejusdem Apostoli. Et quia et factum Christum dicit in ea, inde non legitur. De pœnitentia autem propter Novatianos æque. Cum ergo factum dicit Christum, corpore non Divinitate dicit factum, cum doceat ibidem quod divinæ sit et paternæ substantiæ Filius, « Qui est splendor gloriæ, inquit,

Digitized by Google

» et imago substantiæ ejus [1]. » Pœnitudinem etiam non excludit docendo, sed diversum gradum dignitatis ostendit inter hunc qui integrum custodivit, et illum qui peccavit. Dignitatus est igitur detrimentum in eo qui peccavit, non damnum salutis. Nam si fortiter quis pugnaverit per martyrium, recipiet pristinam dignitatem; aut si condigne in hoc sæculo vixerit, impetrat quod desiderat adipisci. Nam in ipsa Epistola rebaptizatores excludit, non baptismum pœnitentiæ abnegat. Conferendum quod interdum in multis fructuosum inveniatur pœnitentibus, quod postea fide, vita, bono opere, et in hoc sæculo a Domino collaudati sunt, perseverantes jam in rebus bonis et operibus fructuosis, quod Dominus dixerat per Prophetam : « Non ero » memor malorum ejus, sed bonorum potius, si jam in bo» nis permanserit operibus [2]. »

LXII. MELITIANI.

Melitiani sunt a Melitio quodam in Ægypto, qui de parte fuerat Ariana, et abjectus est ab Ecclesia catholica, qui postea quasi verum sequendo susceptus est, et discipuli ejus cum eo pariter. Atque iterum indifferenter post hæc agere cupientes, communicabant et hæreticis et Ecclesiæ catholicæ. Quorum cum cognovisset indifferentiam, exortes eos suæ communionis effecit Ecclesia catholica.

LXIII. RHETORII.

Alii sunt in Ægypto et Alexandria a Rhetorio quodam, qui omnes laudabat hæreses, dicens omnes bene sentire, et neminem errare ex eis, sed ambulare bene omnes illos, et male eos non credere sentiebat. Si itaque omnes laudabat, quem vituperabat? Ergo non tenet quod verum est.

[1] Hebr. I, 3. — [2] Ezech. XXXIII, 16

Digitized by Google

Et Photinus ergo laudandus est hæreticus, qui Christum Dominum negat esse ante sæcula cum Patre. Et omnis hæresis, quæ blasphemat aut in Patrem, aut in Filium, aut in Spiritum sanctum. Cur itaque blasphemos hæreticos laudat, cum eos Christus Dominus ex hoc jam sæculo damnaverit, dicens non dimitti hominibus blasphemiam in Spiritum sanctum blasphemantibus et perseverantibus [1], neque hic, neque in futuro? Propter quod constat et istum esse hæreticum, imo potius nihil scire, qui eos laudandos non vituperandos et abjiciendos judicaverit.

LXIV. DE DIVINITATE CHRISTI HÆRESIS.

Alia est hæresis, quæ dicit Divinitatem doluisse, cum caro pateretur in cruce conjuncta Divinitati: errans in eo quod non solum Divinitas pati non potest naturaliter, nec teneri, neque videri, verumetiam nec anima hominis, quæ a Deo facta est, dicente Domino: « Nolite timere eos qui » occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, » sed timete hunc potius qui potest animam et corpus per- » dere in gehennam [2]. » Errant itaque modis omnibus, qui dicunt Divinitatem Christi esse natura passibilem, et impie sentiunt aut doluisse, aut flevisse, aut ingemuisse: *passio* enim Christi est carnalis, naturaliter non Divinitate dolente. Ideoque non cognoscebatur a Judæis qui erat in carne passibili loquendo, qui de lege et Prophetis Deus verus nuntiabatur, palamque in carne venturus prædicabatur, dicente Propheta: « Deus palam veniet [3]. » Et iterum eodem propheta David: « Dominus pars hæreditatis » meæ, et calicis mei [4]. » Qui est enim calix, nisi ejus passio? qui tantæ bonitatis munus et clementiæ humano generi conferens, ab Judæorum iniquissimo ignorabatur

[1] Matth. xii, 31. — [2] Id. x, 28. — [3] Psal. xlix, 3. — [4] Id. xv, 5.

Digitized by Google

populo. Passus itaque est carne passibili, non Divinitate naturaliter impassibili, qui et agnoscitur, et creditur, non absente tamen Divinitate, sed conjuncta cum corpore pariter propter mysterium consummationis statutum ac definitum antea. Quod sciens Apostolus non separavit in cruce Divinitatem a carne, dicens : « Si enim cognovissent, » nunquam Dominum majestatis crucifixissent [1]. » Paulus itaque conjunxit utrumque, ut Christi bonitatem et misericordiam nobis manifestaret plenissimam. Petrus autem apostolus, quod natura est passibile, et quod est impassibile, docuit ex aperto dicens : « Mortuus est quidem corpore, vivificatus autem Spiritu [2]. » Neque ergo caro a Divinitate, nec Divinitas a carne aberat, cum caro pateretur humana naturaliter, et in hoc ipsa permittente Christi Divinitate, mysterium nostræ causa salutis consummabatur a Domino, ut plena devictio fieret inimici, ut in quo videbatur ut homo pati, qui Deus erat in carne, non sibi, sed nobis jam vinceret inimicum, nobisque ante devictis in sui passione, in eum credentibus vincendi potentiam aperiret, eumque sequentibus cœlestem gloriam ministraret. Non ergo Dei naturalis passio et dolor talis in Divinitate ejus gignebatur, sicut quidam æstimant; alioquin homo solum erat, non Deus et homo, ut scriptum est [3]; sed mysterium nostræ causa salutis æternæ consummabatur, quod ante fuerat nuntiatum a lege pariter et Prophetis.

LXV. HÆRESIS TRIFORMEM DEUM FACIENS.

Est hæresis quæ dicit veluti triformem Deum esse et compositum, ut quædam pars Patris, quædam Filii, quædam Spiritus sancti sit : atque ita credi debere asserit, et hoc dicens nescit, nec intelligit divinæ Scripturæ senten-

[1] 1 Cor. II, 8. — [2] 1 Petr. III, 18. — [3] Joan. I, 14.

Digitized by Google

tiam. Triformem enim quamdam dicens substantiam, multo blasphemat maxime, ignorans quod alter est qui misit, alter qui missus est. Ergo est vera persona Patris quæ misit Filium, et est vera persona Filii quæ advenit de Patre, et est vera persona Spiritus quæ a Filio et Patre missa est. Trium itaque harum Personarum una est veritas, majestas, et substantiæ æqualitas, et Divinitas sempiterna. Qualis est enim immensa et inenarranda Patris persona, talis est et Filii, talis est sancti Spiritus : ut in distinctione nominum ac trium Personarum non sit aliqua naturæ diversitas. Immensibilis est igitur hæc Trinitas, invisibilis et inenarrabilis, quæ fide solum cognoscitur : non tamen expositione humanæ vocis, ac sensu mortali condigne expromitur. Cum enim dicit mittere Patrem Filium, et Filium mittere Spiritum sanctum, personarum causa dicit non loci separatione disjunctos ostendit, propter Sabellium scilicet et Photinum hæreticos, qui condigne de Deo intelligere noluerunt, dicente Domino : « Cui me similem fecistis, » dicit Dominus, et cui similis ero [1] ? Sicut enim cœlum » distat a terra, ita distant sensus vestri, et cogitationes, et » consilia vestra a sensibus et cogitationibus meis, dicit » Dominus [2]. » Cum ergo dicit misisse Patrem, emissum fuisse Filium, personarum causa dicit, ne quis aut ipsum Patrem, aut ipsum Filium esse æstimet, quod ita sentiens delirat Sabellius : et ne iterum missus Filius de cœlo æstimetur non esse ubique in Patre, dixit quidem se missum a Patre : ubique tamen esse cum Patre ostendit, dicens : « Pater qui me misit, mecum est [3]. » Non ergo separationem loci dixit, cum omnia et ipse Filius compleat, contineatque cum Patre et sancto Spiritu, sed ut Patris veram Personam, et Filii tamen qualis Patris et sancti Spiritus, sicut Filii veram credamus Personam, harumque trium

[1] Isai. xl, 18. — [2] Id. lv, 9. — [3] Joan. viii, 16.

Digitized by Google

Personarum unam qualitatis substantiam, majestatem et potentiam cognoscamus, hæc ita docere dignatus est, et in carne maxime constitutus, in qua et ejus humilitas enituit sæculo, et inenarranda resplenduit bonitas, et condescensio fragilitatis humanæ in tam copiosa clementia ac liberalitate, ut generi manifestaretur humano, hæc ita dignatus est operari, atque loqui pro nostra salute, ut nos scire de Deo, et capere et intelligere aliqua ex parte valeamus.

LXVI. DE CŒLORUM DIVERSITATE HÆRESIS.

De cœlorum diversitate est hæresis quæ ambigat. Scriptura enim in primo die cœlum et terram facta declarat duo hæc elementa[1]: secundo firmamentum aquæ factum, et nihilominus ipsum firmamentum cœlum appellatum fuisse testatur. David autem dicit de cœlis ita: « Laudate » Dominum cœli cœlorum, et aquæ quæ super cœlos sunt[2]. » Sive ergo sex cœlos, secundum David, et septimum hoc firmamentum accipere quis voluerit, non errat, nam Salomon tres cœlos dicit, ita: « Cœlum, et cœlum cœli[3]. » Paulus æque apostolus usque ad tertium cœlum se raptum fatetur[4]. » Sive ergo septem quis acceperit, ut David: sive tres, sive duos, non errat: quia et Dominus ait: « Pa» ter qui in cœlis est[5]. » Nam et Pagani unum cœlum, et cœlos profitentur interdum. David ergo quod plenum est docuit. Salomon autem quod ex parte est, et beatus Paulus æque. Liber autem Geneseos duos cœlos nobis nuntiavit.

[1] Gen. I. — [2] Psal. CXLVIII, 4. — [3] 3 Reg. VIII, 27. — [4] 2 Cor. XII, 2. — [5] Matth. VI, 5.

Digitized by Google

LXVII. HÆRESIS TERRAM BEATITUDINIS IGNORANS AC REPROBANS.

Alia est hæresis quæ de terra ambigit, dicens hanc esse solam, et aliam non esse : ignorans quod alia est, quæ veluti matrix est omnium rerum, universaque continet, quæ quasi ὕλη, id est, materia reperitur in Scripturis, quæ est invisibilis et incomposita, quæ a Deo facta est in primo die. Hæc autem, in qua habitamus, super aquam fundata ostenditur, ut dixit David : « Qui fundasti terram super » aquam [1]. » Nam matrix omnium rerum terra immensa est, illa prior quæ in primo die facta est, quæ continet aquam, et hanc terram quæ habitatur a nobis, quæ et humano generi et volatilibus, serpentibus, pecudibus, cæterisque aliis fruges et fructus exhibet opulenter, jussa a Christo Domino Salvatore, sicut scriptum est in libro Geneseos, creaturæ servire [2].

LXVIII. HÆRESIS AQUAM A DEO FACTAM ESSE NEGANS.

Alia est hæresis quæ de aqua ambigit, quod non facta sit a Deo, sed semper esse eam ex semetipsa asserit, ignorans quod si majus elementum factum est, id est, terra, quanto magis et minus, id est, aqua, quæ continetur a terra? dicente propheta Jona : « Ego servus sum Dei, qui fecit » mare et aridam [3]. » Et David idem dicit factam aquam a Domino [4]. Et tres pueri itidem [5]. Alia itaque est terra, quæ continet universa, et alia est quæ super aquam fundata est : quippe ista quæ habitatur a nobis, de qua ait Propheta : « Qui fundasti terram super aquam [6]. » Non illam

[1] Psal. cxxxv, 6. — [2] Gen. I, 11. — [3] Jon. I, 9. — [4] Psal. civ, 3 et 6. — [5] Dan. III, 60. — [6] Psal. cxxxv, 6.

Digitized by Google

utique primam. Hanc itaque renovari et purgari necesse est, quam et moveri sæpe cognoscimus terræ motu, de qua ait Dominus : « Ego faciam novum cœlum, et no- » vam terram [1]. » Et iterum Dominus ait : « Cœlum et » terram transire in Evangelio [2]. » Hæc terra itaque veluti de radicibus illius prioris cognoscitur habere substantiam, quæ supra aquam subsistere jussa est, quæ copiose humano generi exhibet alimenta.

LXIX. HÆRESIS DE IMAGINE DEI IN CORPORE HUMANO.

Hæresis est quoque, quæ dicit ante corpus fuisse hominis factum, non animam (14) : et quod imago Dei corpus sit, non anima hominis, et quod secundum prædestinationem dixerit ita arbitratur, cum dicat Scriptura : « Et » fecit Deus hominem, ad imaginem suam fecit eum, » masculum et fœminam fecit eos [3]. » Ignorans Propheta quid dixerit : Cum dicit enim : « Faciamus, » promittit facturum se, cumque dicit : « Fecit Deus, » jam opus factum demonstrat, et factam non carnem, sed animam, quæ rationalis est declaravit. Nam quod caro sine anima non possit eloqui, non est dubium : ergo caro organum animæ est rationalis. Masculum et fœminam cum primum dicit Scriptura, non hic corporum sexum, sed animæ dominantis, et subjacentis declarat indicium. Et quod non corpora sint ante facta jacentia, sicut quidam æstimant imprudentes, non est ambiguum, cum caro Adæ, ac mulieris postea facta sit, non septimo die dicit Scriptura de Adam ita : « Et accepit Dominus terram de limo, et plas- » mavit hominem, quem fecit [4]. » Vides ergo quomodo factum hominem, id est, animam ante ostendit rationabilem et immortalem esse creatam a Domino, quæ utique imago

[1] Isai. LXV, 17. — [2] Matth. XXIV, 35. — [3] Gen. I, 7. — [4] Id. II, 9.

Digitized by Google

Dei est appellata; terram autem de limo acceptam adjunctam animæ, id est, exteriorem hominem, corpus fragile die sequenti manifestavit plasmatum, ac immisso sopore in Adam, posteaque de costa ejus accepisse Dominum, et fecisse mulierem Scriptura testatur ac prædicat: et ut primum sit anima facta, id est, sexto die: die autem septimo corpus de terra plasmatum Adæ: sic de viri corpore, id est, de latere ejus factam fœminam demonstraverit, non est ambiguum, et quod anima ante facta sit, caro autem postea plasmata, et sic postea inspiratione infusa Dei, et spiritalis in fine collata sit gratia, ut sic jam capax homo legis divinæ non impotens a Domino monstraretur. Evidens est ratio veritatis, quod et beatus dicebat David, factam animam primum, sic corpus plasmatum: « Manus » tuæ, inquit, Domine, fecerunt et plasmaverunt me [1]. » Ac sic postea fuisse infusum spiritum declaravit dicens: « Et » Spiritum sanctum tuum ne auferas a me [2]. »

LXX. HÆRESIS DE ANIMA HOMINIS INSPIRATA.

Alia est hæresis quæ dicit inspirationem animam esse, non inspirationem in animam datam fuisse, ignorans quod si inspiratio anima est, quomodo judicare potest quod a Deo est infusum proprie, cum non attendat, quod inspiratio divini Spiritus est quædam gratia et profectio dignitatis, ut possit homo capax legis cœlestis existere. Et quod habenti animam Adæ patri nostro data est inspiratio, non anima inspirata in eum sit, ostendit Dominus in Evangelio: sicut ante enim in Adam inspiraverat ipse, ita postea Apostolis habentibus animam, post resurrectionem, divini Spiritus majorem gratiam inspiravit dicens: « Accipite Spiritum sanctum [3], etc. » Et non dixit: « Animam accipite, » sed « Spiritum sanc-

[1] Psal. cxviii, 7. — [2] Id. l, 11. — [3] Joan. xx, 22.

Digitized by Google

» tum. » Qui ergo inspiravit facto homini habenti animam Adæ, ipse et postea inspiravit beatis Apostolis habentibus animam, ut cognoscatur, quod per ipsum cuncta sint, et sine ipso factum nihil sit [1]. Nullius rationis est itaque ut velit quis æstimare inspirationem esse animam, cum facta cognoscatur anima, quæ sub legis conditione posita judicio obnoxia reperitur, de qua ait : « Nolite timere eos » qui occidunt corpus, animam autem non possunt occi- » dere : sed hunc timete, qui potest corpus et animam perdere » in gehennam [2]. » Inspiratio itaque, quæ non est anima, sed gratia dignitatis de divino Spiritu a Deo Christo perveniens omnibus, quam habentes et custodientes adjectionem accipiunt gratiarum, ut Apostoli, et Prophetæ et omnes justi : injusti autem negligentes ac contemnentes amittunt tantum meritum dignitatis, ut Saül ille, de quo dictum est : « Recessit ab eo Spiritus Domini, et immun- » dus spiritus fatigabat eum [3]. » Et quod « In malignam » animam non intrabit Spiritus sapientiæ [4], » Scriptura testatur.

LXXI. HÆRESIS DE ANIMA ET INTELLECTU HOMINIS.

Alia est hæresis quæ dicit hominis animam non factam a Deo ita appellari animam; sed ante, inquit, intellectus vocabatur, et erat in cœlo : postea autem, quia terrena desideravit, discessisse eam de cœlo, et ex eo eam animam nuncupatam arbitrantur : ignorantes quod in principio facta a Deo, et creata post Angelos anima est appellata a Domino, hocque nomen proprietatis accepit a Deo, ut anima, non intellectus, vocaretur, dicente Scriptura : « Anima ejus in » bonis demorabitur [5]. » Et iterum : « Quod non derelin-

[1] Joan. I, 3. — [2] Matth. X, 28. — [3] I Reg. XVI, 14. — [4] Sap. I, 4. — [5] Psal. XXIV, 13.

Digitized by Google

» ques animam meam in inferno [4] : » Et iterum : « Conver-» tere anima mea in requiem tuam [2]. » Et iterum : « Anima » mea conturbata est valde [3]. » Et iterum : « Ita desiderat » anima mea ad te Deus [4]. » Et iterum : « Benedictus Do-» minus qui fecit animam meam [5]. » Illud itaque philoso-phorum inani sententia asserunt, quod divina Scriptura non ita prædicat.

LXXII. GNOSTICORUM ET MANICHÆORUM HÆRESIS DE SERPENTIBUS ET AVIBUS.

Est hæresis quæ pecudes, et serpentes, et aves rationabiles arbitratur esse ut homines, sicut Manichæi, et Gnostici perditi, et quidquid poëtæ, et philosophi stoïci suspicantur : ignorantes quod homo rationabilis intellectum habeat animi de Deo, id est, scire posse de Deo et credere. Sensum autem habet corporis cum pecudibus, quippe et cæteris aliis similibus, quæ sensum quidem corporis habere possunt, intellectum autem animi de Deo habere nullo modo possunt, aut animam immortalem ac rationabilem ut homo, qui imago est Dei appellatus, dicente Scriptura : « Nolite fieri sicut equus et mulus, qui-» bus non est intellectus [6] : » Et, « Homo in honore cum esset » non intellexit, comparatus est pecudibus insensatis, et » similis factus est illis [7]. » Sensus itaque pecudum, avium, et serpentium nobiscum communis est corpore. Intellectus autem solummodo est hominum, id est, immortalis animæ potentia de sancto in eam infusa Spiritu, quæ imago Dei est appellata, quæ iis omnibus imperat, regit ac possidet universa copiose, ut scriptum est, « Dedi vobis omnia sub » potestate [8]. »

[1] Psal. xv, 10.— [2] Id. cxiv, 7.— [3] Id. vi, 4.— [4] Id. xli, 2. — [5] Jerem. xxxviii, 16. — [6] Psal. xxxi, 9. — [7] Id. xlviii, 13 et 21. — [8] Gen. i, 28.

Digitized by Google

LXXIII. HÆRESIS DE FALSIS PROPHETIS DEO OMNIA MALA ASCRIBENS.

Alia est hæresis, quæ dicit malos reges et pseudo-prophetas non a sua venire, et fieri voluntate, sed a Dei eos jussione emitti, ignorans quod non a Deo illos fieri pseudo-prophetas, aut malos reges Scripturæ annuntiant, sed contra Dei voluntatem, sua voluntate et inimici suggestione sic eos advenire declarant, ut Jamnes et Mambres [1] contra Mosen et Aaron sacerdotes Dei sub Pharaone, sua venerant voluntate : cum dicat Scriptura : « Regnaverunt non » per me, neque per Spiritum meum, dicit Dominus [2]. » Et de pseudo-prophetis ita : « Hæc dicit Dominus : Non illos » mittebam, et illi ibant in nomine meo prophetare [3]. » Propter quod etiam contra illos sæpe mortis in hoc mundo condignam Dominus dicernit sententiam enuntiando. Non sunt itaque a Deo pseudo-prophetæ missi, neque reges impii recedentes a Domino, sed et si excitantur mali contra malos interdum dimittente Domino, hoc gignitur ut malis mali consummantur : boni enim sustinentes persecutionem, et justitiam habentes apud Dominum, repensationem magnam futuri expectant præmii. Mali autem ideo a malis, non solum bonis interdum perimuntur, ut illorum iniquitas etiam in hoc sæculo ex parte puniatur.

LXXIV. HÆRESIS DE TERRÆ MOTU.

Terræ motum hæresis quædam non Dei jussione et indignatione fieri, sed natura ipsa elementorum opinatur, cum ignoret quid dicat Scriptura : « Qui conspicit, inquit, » terram, et eam commovet terræ motu [4]. » Et iterum :

[1] 2 Tim. III, 8. — [2] Osee. VIII, 4. — [3] Jerem. XXIII, 16 et 22. — [4] Psal. CIII, 32.

Digitized by Google

« Adhuc ego movebo cœlum et terram [1]. » Non attendentes Dei potentiam, elementorum naturæ ascribere audent potentiæ motionem, ut quidam philosophi vani, qui rerum naturæ hoc ascribentes, Dei potentiam non cognoverunt. Quod etiam in hujusmodi rebus indignatio Dei, et potentia operatur, et suam commovet creaturam, conversionis causa et utilitatis : quippe multorum peccantium ac redeuntium ad Dominum Salvatorem atque Creatorem.

LXXV. HÆRESIS HERMIS TRISMEGISTI DE PECORIBUS ET SIDERIBUS.

Alia est hæresis, quæ secundum paganorum vanitatem, siderum diversa nomina profitetur, ut Hermes ille Trismegistus, qui vanus potius quam magnus judicandus est, et poëtæ quidam ei consimiles, qui Cometas, et Pogonias, et Hyadas, et Hœdos, et talia hujusmodi asserunt nomina delirantes, cum Scriptura pauca nomina siderum nobis dixerit, dicente Job propheta, antequam pagani e sanctis Scripturis siderum nomina transtulissent : dicit enim ipse Job : « Qui fecit Pleïades et Arcturum, inquit, et Hespe» rum, et Austrum, et Oriona, et Luciferum [2]. » Hæc itaque nomina e sanctis Scripturis accipimus nuntiata : nam omnium siderum nomina non dixit Scriptura, sed potestati Dei reservavit per Prophetam declarans, et dicens ita : « Qui » numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina » vocans [3]. » Hæc itaque pauca nomina legentes e sanctis Scripturis poëtæ postea falsique philosophi, ausi sunt usurpantes suis mendaciis et alia plurima copulare, atque impietatis semina sæculo prædicare, ut ex iis sperare putarent etiam omnium siderum aut plurimorum nomina posse comprehendi. Cum omnium siderum nomina non aliter

[1] Agg. II, 21. — [2] Job. IX, 9, juxta LXX. — [3] Psal. CXLVI, 4.

Digitized by Google

nisi Deus Christus per quem fecit Pater universa, posuerit et scierit, atque eis singula nomina vocaverit, ut scriptum est [1].

LXXVI. HÆRESIS DE VARIIS LINGUIS.

Est hæresis alia quæ de lingua (15) et linguis ambigit, cum Scriptura dicat et unam linguam et linguas. Si ergo erat una ante quia pauci erant, sive postea multæ quia multi creverant jam nati homines in sæculo, non est adeo inutile hoc ita sentire : post quintam decimam enim generationem ab Adam usque ad Heber MMDCC. anni sunt, sub quo confusio missa est linguarum, propter peccatum quod fecerant ædificantes turrim et civitatem, et ut rebellantes a Deo hoc passi sunt : habentes enim angelicam gratiam, id est, multarum linguarum scientiam, non agnoscebant datorem tantæ sapientiæ Dominum, contraque eum conantes progredi, perdiderant gratiam, quam sine ullo labore divinitus habebant concessam. Et quod sine studio ante donatum fuerat a Domino naturaliter omnibus, ut Dei imagini, postea per studium atque doctrinam, oblivione immissa a Domino, vix discere prævalebant non omnes, nec multas, sed vix paucas linguas, ita ut tres quis, aut quatuor valeret ediscere, atque iisdem vix eloqui. Tamen omnem scientiam linguarum, quæ ante duo millia annorum, et septingentos annos offendentes amiserant homines, sub Apostolis rursum post ascensionem suam Dominus per Spiritum sanctum sine quodam labore credentibus conferebat, sicut scriptum est in Actibus Apostolorum : Angelicæ enim virtutis est linguas scire omnium hominum : per fidem autem Christi sine labore linguarum omnium credentibus subministratur scientia, sicut legimus,

[1] Psal. CXLVII, 4.

Digitized by Google

docente divino Spiritu, Apostolos atque gentes itidem credentes tunc temporis in Christum Dominum Salvatorem, sine labore linguarum omnium donatam scientiam prædicasse, ut sub Petro et Paulo, et aliis factum est, cum docerent gentes venisse Spiritum Dei a Deo, et linguis multis eos potuisse eloqui, ut audientes homines mirarentur de gentibus, quod tantarum linguarum et ipsi per fidem Christi scientiam haberent sine doctrina concessam.

LXXVII. HÆRESIS DE NOMINE LINGUÆ.

Alia est hæresis, que dicit nomen linguæ de Judæis primum processisse, alii de paganis, cum utrique ita hoc sentientes errore non parvo decepti sint. Homo enim factus rationis particeps fuit. Qui ergo loquebatur ratione, quomodo rationis erat alienus? Plus ergo prius est rationis esse participem, et rationabilem dici, quam nomen speciale et locale habere alicujus linguæ, atque ex nomine hominis possidere aliquid. Ab Adam enim usque ad Heber duo millia et septingenti anni transierunt. Erat ergo nomen linguæ omnium hominum unum, et una lingua. Ex quo autem contra Dominum cogitaverunt, subtracta est illis scientia ista cœlestis, id est, linguarum omnium prudentia et sapientia. Et Heber quidem sanctus, qui non discessit a Deo secundum nomen ipsius, Deus voluit genus ejus pullulare amplius, hoc quoque nomine primum in sæculo nuncupari, ut ab Heber qui non consenserat ædificationi turris rebellantium, Hebræi nomine appellarentur. Prior itaque non solum paganis, verumetiam et Judæis, id est, ante septingentos annos Heber fuisse cognoscitur justissimus, qui in Dominum credens, et a conjuratione sceleratorum hominum separatus, sui nominis primam hanc a Domino nuncupationem meruit impetrare. Unde

Digitized by Google

et poëtæ vani ædificationem illam ad sua mendacia transferentes, Gigantes docuerunt, Aloïdas illos rebellantes ascendere voluisse in cœlum per impositionem montium, atque inde eos fuisse damnatos. Quorum deliramenta non latuerunt amplius scientiam ac peritiam christianam.

LXXVIII. HÆRESIS DE ANNIS CHRISTI ET TEMPORE DUBITANS.

Alia est hæresis de anno annuntiato ambigens, quod ait propheta Isaïas : « Annuntiare annum Dei acceptabi» lem et diem retributionis [1]. » Putant ergo quidam, quod ex quo venit Dominus usque ad consummationem sæculi, non plus nec minus fieri annorum numerum, nisi trecentorum sexaginta quinque usque ad Christi Domini iterum de cœlo divinam præsentiam. Quod contrarium invenitur, si ita qui senserint : nam quadringentos jam plus annos transisse cognoscimus, ex quo venit Dominus, atque completos. Quomodo itaque hoc erit rationis de anno, sicut sentire voluerunt hoc ita quamplurimi. Dominus enim quæ in uno anno gessit et docuit, hæc sola præcepit conscribi. Nam quæ ante facta sunt ab eo ac dicta, primis triginta annis secundum beatum Joannem qui dicit, « Mundum non ca» pere posse, si universa scriberentur, quæ fecerat [2]. » Propheta itaque Isaïas de anno illo dixit Salvatoris Domini, in quo docuit usque ad passionem, et resurrectionem, et ascensionem in cœlum, sicuti et beatissimi tradiderunt, non de trecentis sexaginta quinque annis, ut quidam arbitrantur, sed de anno illo post baptismum scilicet, in quo prædicans credentibus salutis mysteria reserabat de lege pariter et Prophetis, quæ olim dicta sunt testando atque consummando.

[1] Isai. LXI, 2. — [2] Joan. XXI, 25.

Digitized by Google

LXXIX.

Asia est hæresis, quæ consummationem sæculi secundum temporum definitionem a Deo Christo salvatore fuisse statutam asserunt. Hinc que certum esse numerum consummationis suspicatur, et non plus non minus opinantur, cum Prophetæ undique nuntiaverint circa quingentesimum annum fieri consummationem sæculi, et sic Dominum de cœlis iterum advenire. Daniel enim septuaginta septimanas numerat, audiens a Christo Domino : « Audi, inquit, » vir desideriorum, quia septuaginta septimanæ statutæ » sunt in populum tuum usque ad Christum ducem, ut » fiant omnia quæ dicta sunt de civitate Jerusalem et po- » pulo adventura [1]. » Hoc autem sicuti antequam veniret Christus in carnem Danielo dictum est, et pene completum est; sic etiam idem numerus usque ad legem, quam accepit Moses, et usque ad terræ promissæ introitum non satis longe a quingentesimo annorum distare numerum. Dominus itaque cum signa diceret et diversa, fames, persecutiones, inundationem, terræ motus, pestilentias circa finem adventura [2]; Petro etiam dixit beato per ænigma de annorum numerositate, cum diceret Petrus : « Domine, » quoties peccanti fratri concedam? Ait Dominus : Non » septies, sed septuagies septies [3]. » Ostendens quidem et quotidianum humani generis delictorum infinitum numerum debere homini dimitti ab homine, et Judæ redeunti, sive pagano et aliis carnalibus, et ad Christi fidem de impietate redeuntibus atque ejus Ecclesiam, cunctis omne debitum ab eis oportere concedi credentibus. Nam et historiographi Judæi docuerunt dicentes a Danielo quadringentos et octoginta plus annos transisse, et sic Dominum

[1] Dan. IX, 23-25. — [2] Matth. XXIV, 7, et Luc. XXI, 25, 26. — [3] Matth. XVIII, 21, 22.

advenisse in carnem. Habes etiam in Genesi evidentissime mysterium nuntiatum de Caïn septies, de Lamech autem septuagies septies vindictam[1]; quod duorum populorum in duabus personis unius impietatem, alterius iniquitatem sine cunctatione Scripturarum prænuntiasse non dubium est. « Lex enim spiritalis est[2], » secundum Apostolum; « Et hæc, inquit, duo Testamenta sunt[3]. » Neque enim historiam amittimus quod septuaginta annos fecerit populus in Persida, neque spiritalem scientiam spernimus. Ergo et septuaginta septimanæ a Daniele dictæ quadringenti nonaginta anni tunc pene completi sunt; et sic Christus advenit in carnem; et a Christi præsentia usque ad consummationem sæculi pene unde complendum annorum reperies numerum. Septuaginta enim septimanas a Danielo quas vidit interpretes docuerunt. Illi primi sapientes septies et septuagies quadringentos nonaginta annos quem jubilæum in lege Judæi, non ieti, sed veteres, et periti illi annum remissionis Christi indulgentiæ, carnalem præsentiam per figuram ante celebrante summo gaudio expectabant, sicut in Levitico continetur. Jubilæus autem minor quinquaginta annos habet; non minus, plus autem habere non potest; nam major jubilæus quingentos annos habet, minor jubilæus quinquaginta, major itaque minus decima quingentos annos habet, ut ex hoc jubilæus suus Christi præsentiam consummationemque sæculi declararet. Septuaginta annî captivitate populi în Persida, etsi historialiter accipiuntur, et postquam redierunt in Jerusalem, et usque ad Christi Domini incarnationem quingenti pene inveniuntur completi; tamen hoc etiam spiritaliter intelligendum est, quod port septuagies septies, id est, post quadringentos et circa nonaginta annos oportet judæos sub Antichristo, cum fallax inventus fuerit a

[1] Gen. IV, 24. — [2] Rom. IV, 14. — [3] Galat. IV, 24.

Digitized by Google

Judæis ipsis, qui primum esse Christum æstimaverint. Non multo post autem cognita ejus perfidia atque fallacia, tunc gerentes pœnitudinem qui fuerint reliqui omnes ad Christi fidem Domini pervolabunt, ac pœnitentes delicta veniam ab ipso Christo Domino sicut cæteri impetrabunt, ut impleatur quod dictum est : « Amen dico vobis, » jam me non videbitis, donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini [1]. » Et ut illud compleatur : « Donec » plenitudo gentium intret [2], et sic omnis Israël salvabitur, » sicut scriptum est : et si fuerit populus Israël sicut arena » maris, reliqui salvabuntur [3]. » Et quod Isaïas beatus aperte de Christo docuerit [4], quod omnibus redeuntibus indulturus est, ipse Dominus dixit ita : « Spiritus Domini » super me, propterea unxit me, evangelizare pauperibus » misit me, prædicare captivis remissionem, cæcis visum, » annuntiare annum Domini acceptabilem et diem retributionis [5], » de quod Dominus in templo cum accepisset librum Scripturam, quæ hanc pervidisset ait Apostolis et in omnibus hoc in sui præsentia nunc fuisse completum, quod et Daniel beatissimus attendit quod ei dixerat Dominus dicens : « Audi, vir desideriorum, et adverte ab exitu Verbi Dei, » id est, a Christi incarnatione, « Atque ejus » iterum de cœlo divina sententia atque consummatione » sæculi, quæ cum Angelis affutura sit [6]. »

LXXX. DE GIGANTIBUS TEMPORE NOE

Alia est hæresis quæ de Gigantibus asserit : quod Angeli miscuerint se cum fœminis ante diluvium, et inde esse natos Gigantes suspicatur : cum Nembroth non a spiritu, id est, non ab Angelo, sed ab homine Chus, qui filius fuit Cham, inde natus sic postea, qui et in Scriptura

[1] Matth. xxvii, 39. — [2] Rom. xi, 25. — [3] Id. ix, 27. — [4] Isaï. lxi, 1. — [5] Luc. iv, 18. — [6] Dan. ix, 23.

Digitized by Google

primus Gigas est appellatus, quod iste cœpit esse venator, et fortis homo; ut et Gigas appellaretur in terra : « Inde » dicturi sunt, inquit, sicut Nembroth Gigas, ita fortis » est [1], » si qui ei similis in fortitudine postea videretur. Homines itaque fuerunt fortes et a juventute rapaces, vastatores, jaculentes, cursitantes, prædationi vacantes, inde veluti alieni non solum morum, verumetiam visus hominum : enormes etiam, ut contra naturam aliorum hominum tanta scelera perpetrantes nuncuparentur et Gigantes. Gigas enim per etymologiam, terræ monstrum dicitur, ex duobus nominibus compositum, sive forma, sive vita, sive visu, sive fortitudine, sive mole membrorum. Nam ut scias Gigantes non alia natura, sed de hominum fuisse progenie æditos, et ἑξαδακτύλους in Regnorum libris habes [2], quos forma grandi et mole membrorum diffusos, et ingenti fortitudine, de genere Gigantum Regnorum libri annuntiarunt, post duo millia et trecentos annos diluvii; sicut et illum Goliath, quem dejecit in pugna solus David beatissimus rex et propheta, cujus et aliorum talium « Carra, inquit, instructionem portabat armorum [3]. » Quia ergo bestiali more a pueritia ad rapinam erant dediti hujusmodi homines, et veluti a natura hominum morumque alienos Scriptura nuntiavit. Nam quod illi Angeli, qui de cœlo dejecti sunt, non sint humanæ naturæ similes, non est dubium, nisi solum, quia nefanda et contraria, contraque legem suggerere, sicuti et nunc hominibus faciunt, prævalebant intrantes in homines, id est, suadentes, sicut Judæis inimicus humani generis persuasit, contra Deum, contraque sanctos Prophetas talia scelera perpetrare, sicut scriptum est : « Intravit, inquit, Satanas in » Judam [4]. » Ita igitur et ante intrantes immundi spiritus in animas hominum, ac fœminarum, malæ persuasionis

[1] Gen. x, 9. — [2] 2 Reg. xxi, 20. — [3] 1 Reg. xvii, 7. — [4] Joan. xiii, 27.

Digitized by Google

scelelera in orbem terrarum diffuderant. Si quis autem putaverit esse justum, Angelos ita peccasse transformatos in carne, ut in ea remansisse, aut ita factos carnales crediderit, violenta ratione decernit historiam, sicuti et paganorum, et poëtarum mendacia asserunt deos deasque transformatos, nefanda conjugia commisisse. Quod si factum est aliquando, et nunc fieri non erit ambiguum : quod autem non factum est aliquando, nec modo fieri manifestum est. Gigas autem et in bono accipitur virtutis causa : « Exultabit enim ut Gigas ad currendam viam [1]. » Quod in Christi divina præsentia probatum ostenditur atque consummatum.

LXXXI. HÆRESIS DEO TRIBUENS PAGANITATEM ET OMNIA FACINORA.

Alia est hæresis, quæ dicit paganitatem a Deo institutam, non ab hominum malignitate, et suggestione inimici, vitiorum causa, et facinorum gignendorum fuisse excogitatam. Quæ ergo a Deo instituta est, quomodo damnatur ab eodem Deo? Nam quod ab origine mundi, Dei Patris omnipotentis, et Filii ejus, et sancti Spiritus scientia nuntiata sit, non est dubium : cum enim in libro creaturæ mundi, id est, in Genesi scriptum habeas : « Et dixit » Deus, et fecit Deus [2]. » Et iterum : « Dixit Deus : Fiant lu» minaria [3]. » Et sexto die dixit Deus : « Faciamus hominem » ad imaginem et similitudinem nostram [4]. Et fecit Deus, » non Angelo utique persuasore in creatione hominis, sed Filii sui Christi Domini nostri, et sancti Spiritus manifestum est. Habes enim in Genesi, id est, in primo libro sanctam adorandamque Trinitatem ante hominibus nuntiatam; dicit enim ita, « Et pluit Dominus a Domino sulphur

[1] Psal. xviii, 5. — [2] Gen. i, 3 et 7. — [3] Ibid. 14. — [4] Ibid. 26.

Digitized by Google

» et ignem[1]. » Et iterum de Spiritu in primo die : « Et Spi-» ritus Dei superferebatur super aquam[2]. » Et Pharao rex Ægypti dicit : « Quis hæc interpretabitur, inquit, nobis, » nisi qui Dei habuerit Spiritum[3] ? » Et David : « Verbo » Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus » eorum[4]. » Postea vero voluntas hominum prava, recedens a tanta scientia pietatis, idolorum mendaciis, ac vanitatibus studiose cum properat inservire, turpissimæque vitæ se dare maluisset, judicio damnationi obnoxio tenebatur : ita ut ante Prophetæ dicerent : « Sacrificans diis » eradicabitur[5]. » Et iterum : « Dii qui cœlum non fecerunt, » eradicabuntur[6]. » Et ideo Dominus non suam novam præsentiam ostendebat, dicens : « Qui loquebatur in Prophetis : » Ecce adsum[7]. » Neque ergo Angelos adorari præcepit alicubi Dominus, neque mundi elementa, nec creaturam aliquam, neque idola, quæ hominum voluntas pessima sui sceleris et turpitudinis perpetrandæ causa maluit invenire, ut colentes ea effusam operandi mali possint habere licentiam : nam et ipsum nomen idoli species doli, et formæ prævaricatio, de interpretatione græca ost nuncupatum. Trinitas itaque christianitatis ob origine mundi prædicabatur, et veritas pietatis sine intermissione ubique docebatur : nam et David docet : « Dixit Dominus Domino » meo[8]. » Et, « Spiritus tuus bonus deducet me in viam » rectam[9]. » Et iterum, « Spiritus Domini implevit orbem » terrarum[10]. » Et, « Quo fugiam a Spiritu tuo, et a facie » tua quo vadam[11]. » Nam Salomon docet, quod idololatria ab homine instituta sit : « Quia amissum filium suum cum » diu fleret quidam pater, fecit imaginem eidem, et vi-» dendo delectabatur in ea[12], » atque ex eo traditam fuisse

[1] Gen. xix, 24. — [2] Id. i, 2. — [3] Id. xli, 38. — [4] Psal. xxxii, 6. — [5] Exod. xxii, 20. — [6] Psal. xcv, 5. — [7] Isai. lxv, 6. — [8] Psal. cix, 1. — [9] Id. cxlii, 10. — [10] Sap. i, 7. — [11] Psal. cxxxviii, 7. — [12] Sap. xiv, 15, 16.

posteris, diversamque impietatis materiam inde humano in genere pullulasse.

LXXXII. HÆRESIS DE CHRISTIANIS TEMPORE ULTIMO, VERBO DEI CREDENTIBUS.

Alia est hæresis, quæ dicit Christianos nuperrimos et posteriores Judæis, et paganis fuisse creatos, ignorans quod Judæis et paganis natura priores creati sunt, et fide, vita, et tempore, sacrificio, et conversatione.

Fide quidem, quia ab Adam usque ad Moysem tribus annorum millibus et septingentis, omnes justi Deum et Deum, Dominum et Dominum colentes, etiam Spiritum sanctum, veram nuntiabant Trinitatem, ita ut ipsam Trinitatem integram sine labore possis cognoscere ab illis beatis prioribus et antiquis, nobis etiam hoc postea fuisse manifestatum a Domino. Cum enim dicit Scriptura: « Pluit » Dominus a Domino super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem [1], » quid tibi videtur nuntiare? Nonne Deum Patrem per Filium suum, id est, Christum Deum cuncta signa, et mirabilia perfecisse declaravit? Quod sciens David, Dominum Patrem, et Dominum Christum, id est, Verbum ejus et sanctum Spiritum nuntiabat: Trinitatem quidem Personarum, unius tamen majestatis, et substantiæ, ac Divinitatis æqualem potentiam nuntiabat. Tamen Filium de Deo Patre esse priore, et Spiritum sanctum proprie demonstravit edocens: « Verbo Domini cœli » firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum [2]. » Et iterum alibi: « Dixit Dominus Domino meo [3]. » Et omnes Prophetæ de Verbo et Spiritu nuntiaverunt ubique, ita dicentes: « Et factum est verbum Domini ad me, et, « Spiritus Domini fuit ad me [4]. » Ergo non est fidei causa

[1] Gen. xix, 24. — [2] Psal. xxxii, 6. — [3] Id. cix, 1. — [4] Isai. xxxviii, 4, et xxi, 1.

Digitized by Google

temporalis christianitatis, sed ante Judæos et paganos, in lege quidem studentibus, et quærentibus erat manifestata. Non autem cupientibus vox Patris omnipotentisque scientia nuntiabatur a sanctis illis doctoribus et perfectis.

Vita etiam non alia priores illi sancti nisi hac, in qua nos vivimus utebantur : usque ad Abraham enim non circumcisionem habentes, non sacrificiis gaudentes Deo placebant, et justi in omnibus ab eo nuntiabantur. Dixit enim David : « Sacrificium Deo cor contribulatum [1]. » Et, « Immola Deo sacrificium laudis [2]. »

Et quod necessitate indocilitatis cogente, sacrificia temporalia, non perpetua, nec vera fuerunt indicta Judæis, nec salutaria, dicit Propheta ad Judæos : « Ecce ego facio » nova [3], » et, « Priusquam veniant, annuntiata sunt vo» bis [4]. » Ante ergo Judæis Isaïas testabatur propheta : « Quis enim hæc exquisivit de manibus vestris [5] : » Et iterum, « Circumcidimini corda vestra, et non corpora ves» tra [6]. » Quale autem est, quod sacrificium Melchisedech sub Abraham imprimis obtulerit : ante quadringentos triginta annos quam Judæi nominarentur, aut Judas nasceretur et antequam acciperent librum Geneseos. Prævidens mysterium christianitatis, ut omnia quæ in christianitate sunt, sive fides, sive vita, sive sacramentum, non temporalia, sed ab origine mundi statuta et nuntiata, et potius celebrata cognoscas. In Christo autem et per Christum, per quem cuncta facta sunt, oportuerat nos ab eo videre et cognoscere : et quod erat majus in lege mysterium, de eo ante nuntiatum ab ipso plenius excipere completum consummatumque.

Nam quod et castitas similis fuerit in Prophetis quam-

[1] Psal. L, 19. — [2] Id. XLIX, 14. — [3] Isaï. XLIII, 19. — [4] Id. XLVIII, 5, 6. — [5] Id. I, 2. — [6] Jerem. IV, 5.

Digitized by Google

plurimis, non est dubium, ut in Elia, Elisæo, Daniele, Jeremia, Esdra, tribus pueris, et aliis multis beatissimis, ut in Christi præsentia, et quod supra legem erat ante nuntiatum ab eis cognosceretur, et quod per legem conjunctum erat ipsius firmaretur divina sententia, voluntatique hominum et studio concessa hæc gratia nosceretur. Ideo et ipse Dominus priores illos sanctos ante legem nobis, et nos illis prioribus secundum fidem justitiæ copulabat: Judæos autem et paganos respiciens, qui medio tempore inter mandatum erant et gratiam positi, qui inimica voluntate ac perniciosa pessumdati reperiuntur in vitiis carnalibus, doctrinæ cœlesti inimici et adversarii, æterno pœnarum judicio reservati.

LXXXIII. HÆRESIS DE CORPORE ET ANIMA HOMINIS NOCENTISSIMA.

Est hæresis quæ dicit nasci paganos naturaliter, non Christianos, id est, rerum natura corpus et animam hominis, non a Deo per Christum creari quotidie, sed per vanitatem paganam ita progredi arbitratur: cum ab Adam usque ad Abraham, et postea usque ad Judam, qui post Abraham quartus est in generatione, non pagani fuerint, neque Judæi appellati, sed gentes a provinciarum nomine et diversitate nuncupati. Pagani autem post Judæos, sive a pago, id est, loco, sive a provincia una dicti sunt, sive a Pagano rege, quod verum esse, ut ait Hesiodus Græcus poëta, manifestum est. Si ergo a pago, loci est indicium, sicuti et nunc dicitur de pago illo: si autem de idolis, quod ea colentes sculptilia ita nominabantur pagani, id est, gentiles: quia non a Deo idola, sed ab hominum pravissima inventa sunt voluntate, sicut et Scriptura nostra[1],

[1] Sap. XIV, 14, 15.

Digitized by Google

et paganorum quamplurimi nuntiarunt homines hæc invenisse ad seductionem damnationemque animarum, quod illa aspiciens populus delectabatur epulis[1], in quorum vanitate suis animis interitum afferebant. Certa autem est probatio et major, quod ipsi pagani in suis historiis referunt, quod a Pagano rege, ut ait Hesiodus Græcus poëta, pagani sint appellati, qui postea ex rege pagano Deucalionis filio et Pyrrhæ quasi plausibile atque amabile nomen ejus habentes, imo potius colentes memoriam ejus usque in hodiernum diem, hoc est, mendacium nominis usque nunc detinent percolentes. Helles itaque, id est, Græcus homo, a lingua et a nomine regis dicitur, qui fuit Deucalionis filius, qui ita appellatus est, sicut ab Italo Itali, et Romani a Romulo, et Latini a Latino nomen acceperunt, non ab idolorum impietate. Idola etenim, id est, formas sculptilium hominum postea pessima voluntas invenit. Linguam autem græcam provinciæ unius proprietas declaravit, quam rex Paganus ex suo nomine confirmavit : ut Romanos Romulus nuncupavit, et ut ait Hesiodus, a Græco rege fuisse Græcos appelatos, qui Græcus nomine filius fuit Deucalionis.

LXXXIV. HÆRESIS DE ANNORUM MUNDI INCERTITUDINE.

Alia est hæresis, quæ dicit incertum numerum esse annorum a mundi origine, et ignorare homines curricula temporum, cum ab Adam usque ad diluvium decem sint generationes, et annorum MMCCXDLII anni. Et a diluvio usque ad confusionem linguarum sub Heber sancto, qui non consenserat ædificationi turris, quinta sit generatio, pene DC anni; quando et nomina provinciarum divisa sunt, veluti LXXII linguarum. Exinde usque ad Abraham patriar-

[1] Exod. XXXII, 6.

Digitized by Google

cham quinta est generatio, anni DXL. Et ab Abraham usque ad Mosem septem generationes, anni CCCCXXX, ut ait beatus Apostolus [1] : et a Mose usque ad Samuël judicem DCXXIX anni : et a Samuël et David usque ad captivitatem Judæorum in Persida anni pene D : et a captivitate usque ad Domini nostri præsentiam, anni pene D ; et inde a Domino usque nunc anni CCCLXXX (16) plus. Ergo si hæc fides erat in illis prioribus sanctis nostris patribus quæ in nobis est, ab illis autem ante est tradita et prædicata, id est, Patris, et Filii, et sancti Spiritus : hæc quippe divina scientia, quomodo temporalis est, ut quidam æstimant, et non ab origine mundi hæc ante scientia christiana cunctis hominibus nuntiata, quæ in mandato et lege manifestata et prædicata ostenditur? Si autem in *medio temporis* sub Mose per umbram minus dictum sit aliquid, non utique dantis erat invidia Domini, quantum non capientis populi cœleste mysterium, incapax et debilis hominum, et non valentium incusabitur infirmitas. Denique ipse Christus Dominus, quod ante nuntiaverat per sanctos Prophetas, hoc et postea firmando præceperat, dicens : « Euntes baptizate » omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus » sancti [2] ; » ut non solum fidem pristinam ab origine mundi hanc esse declararet, verumetiam vitam in qua *nos* degimus hodie, in circumcisione cordis, non *carnis* jactantia comprobaret. Errant ergo nimium qui generationem hominis, aut paganæ impietati, aut judaïcæ audent ascribere vanitati : cum Judæum nisi dies octava susceperit, Judæum non licet appellari, nec paganum æque nisi deos vanos hominem fecisse putaverit. Ergo natura rerum Deo ascribenda est, non alicui horum vanitati : doctrina autem quæ fœcundat post naturam, si vera fuerit, fidei Dei copulanda est, ac saluberrimæ servituti jungenda, non recedens ab ea

[1] Galat. III, 17. — [2] Matth. XXVIII, 19.

Digitized by Google

quippe, sed suum potius per fidem agnoscens Dominum, recordansque Creatorem naturaliter. Itaque non naturæ animi infirmitas hominum, sed prava voluntas est potius accusanda, dicente Domino : « Et nunc si volueritis et au- » dieritis me, bona terræ manducabitis : si autem nolueri- » tis, nec audieritis me, gladius vos comedet. Os enim » Domini locutum est[1]. » Et hoc : « Venite ad me omnes qui » onerati estis, et ego vos sublevabo[2]. »

LXXXV. HÆRESIS DE SEPTEM PLANETIS.

Habenda est et hæresis, quæ dicit nomina dierum, Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, Saturni, a Deo hæc ita posita a origine mundi, non hominum vana præsumptione nuncupata, cum a prima origine usque ad Græcos reges, et Hermem fallacissimum illum, qui hæc nomina vanissima, et frivola mentiendo ausus est nuncupare, si quærere volueris, invenies multum fluxisse temporis, et sic paganos, id est, Græcos hæc nomina posuisse: cum etiam secundum septem stellas dixerint hominum generationem consistere, ut ille ipse delirans hoc definit. Dierum enim numerus primus, secundus, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus, a Deo est appellatus, non in hac vanitate nuncupationis turpissimæ initio enuntiatus, aut traditus.

LXXXVI.

Est hæresis quæ cum legit in Genesi verbum dicente Domino de Adam : « Ecce Adam factus est quasi unus » ex nobis, sciens bonum et malum. Et nunc ne quando exten- » dat manum suam et tangat et gustet de ligno vitæ et vivat

[1] Isai. I, 19, 20. — [2] Matth. XI, 28.

Digitized by Google

» in æternum[1]. » Expulit, inquit, eum Dominus de paradiso invidiæ causa; et primum hoc sentiunt, quod alter Deus fecerit animam, alter carnem; ut Manichæi, Gnostici, Nicolaïtæ et alii perditi arbitrantur dicentes, quod alter quidem bonus Deus est, alter autem malus, inquiunt in hoc sæculo : et malum Deum hunc æstimant dixisse ut pellerentur de paradiso; non attendentes quod unus Deus atque idem Pater per Filium fecerit Adam patrem nostrum, dederitque ei mandatum, ut custodito eo permaneret immortalis, prævaricatoque mandato pelleretur de paradiso, ut scriptum est; et quia suasione inimici hoc perpessus est; cum non attendunt ad Christi misericordiam, in præcipitium mortis descendunt perpetuæ. Hic itaque non invidens Deus repulit patrem nostrum de paradiso, ut non ibi moraretur, aut non gustaret de ligno vitæ; sed magis eidem consulens in parvo peccanti non pepercit, ne parcendo ad majora etiam crimina alia inveniret cum prodeunte ætate ampliore, posteaque criminali judicio reum factum amplius condemnaret. Nam inter hominem et diabolum erat Christus auditor pariter et judex justissimus et bonus in omnibus; itidem et homini quidem in modico peccati non pepercit, dans nihilominus et huic condignam sententiam juxta peccatum quod fecerat; et *diabolo* æque locum pœnitentiæ relinquens. Non autem intelligente diabolo ut mali tanti suggestionis pœnitudinem gereret, majus ei post servabat judicium. Et homo quidem cum pellitur e paradiso pronior ad pœnitentiam reperitur, diabolus autem cum durior ad pœnitentiam pervidetur, majorem futuri judicii a Christo Domino severitatem expectat, sicut dictum est : « Noluit intelligere ut bene » ageret[2]. » Et iterum, « Malitiam autem non odivit[3]. » Quia ergo in parvo peccans recepit Adam persuasus a dia

[1] Gen. III, 22. — [2] Paral. XXXV, 4. — [3] Ibid. 5.

Digitized by Google

bolo ut manducaret, egitque statim pœnitudinem, meruit delicti veniam impetrare, atque in paradisum in Christi præsentiam, filiorum etiam procreatione remeare. Diabolus autem non gerens pœnitudinem et ejus satellites majori judicio reservantur, ut dixit Dominus : « Ite a me in » ignem æternum quem paravit Pater meus diabolo et » angelis ejus[1]. »

LXXXVII. HÆRESIS DE MUNDIS INFINITIS.

Alia est hæresis quæ dicit mundos esse infinitos et innumerabiles, secundum philosophorum quorumdam inanem sententiam, cum Scriptura mundum unum dixerit, et de uno docuerit. Hæc etiam de apocryphis Prophetarum, id est, secretis, ut ipsi pagani dixerunt, sumentes, ut et Democritus ille qui multos mundos esse asseruit, deque sua sapientia cum hoc prædicat, multorum animas sensusque dubios diversis erroribus concitavit.

LXXXVIII. HÆRESIS DE ADÆ ET EVÆ CÆCITATE.

Sunt quidam hæretici, qui patrem nostrum Adam, et Evam matrem nostram æstimant cæcos ante fuisse, quam gustarent de arbore : posteaque aperuisse suos oculos, ac tunc quod nudi essent pervidisse; cum ante Scriptura dixerit quod vidit etiam oculis suis arborem et fructum ejus : et quia bona aspectu, et suavis visu, et extendens manum gustaverit[2]. Hæreticorum est itaque dementiæ, et Judæorum potius cæcitatis, hoc ita sentire : cum modum non intelligant nuditatis, hancque amissionem immortalitatis in prævaricatione mandati nos docuit, non corporis nuditatem. Quod non Apostolus docuit, dicens : « Et si induti Christum, non nudi inveniamur[3]. » Et ite-

[1] Matth. xxv, 41. — [2] Gen. III, 7. — [3] 2 Cor. v, 3.

Digitized by Google

rum : « Induite Christum Jesum[1]. » Et quod Dominus in Evangelio increpat, dicens illi qui non indumentum nuptiale habuit, qui erat vocatus ad nuptias.

LXXXIX.

Est hæresis quæ cum audit in Genesi quod Dominus pellicias tunicas post prævaricationem nostros parentes vestiri[2], æstimant corpora tunc temporis fecisse, eosque sic induisse, cum septimo die Scriptura dixerit accepisse Dominum terram de limo et plasmasse eorumdem corpora atque ita mulieris carnem de costa Adæ postea perfecisse[3]. Non ergo hic corpora eorum pellicias tunicas nuntiabat, sed de potentia divina dedisse eis sapientiam declarabat, ut facerent sibi corporum indumenta, *ut scriptum* est : « Quis dedit mulieribus sapientiam ad texendas tunicas? » Si autem quis voluerit accipere quod Dominus fecerit eis tunicas, et Omnipotens fecit ex nihilo quod scriptum est : « Qui vocat ex nihilo ea quæ non sunt, tanquam quæ » sunt[4]. » Si ergo sua sapientia fecit tunicas, ut ait Propheta, rationis est; sive Deus sua virtute hoc illis præstiterit, non irritum. Nam in templo mulieres et virgines operabantur purpuram, et byssum, et linum[5], et alia utensilia ad honorem templi atque quod perimentum pariter etiam ornamenta templi diversa et varia.

XC. HÆRESIS CULPAM FILIORUM IN PARENTES TRANSFUNDENS.

Est hæresis, quæ in Exodo cum audit quod Mosi occurrerit Angelus in diversorio ubi applicaverat[6], eumque vellet interficere, non ejus filium qui nondum fuerat circum-

[1] Rom. XIII, 14. — [2] Gen. III, 21. — [3] Id. II, 7 et 21. — [4] Rom. IV, 17. — [5] Exod. XXXV, 25. — [6] Id. IV, 24.

Digitized by Google

cisus, non parvum hinc sibi assumit scandalum. Si enim et ita quis vult sentire quod minas eis tendebat Angelus quia transactis diebus statutis, id est, octo, in quo oportuerat circumcidi masculum, non fecissent, Deique præceptum ita contempsissent. Ideoque in parva ætate constitutorum culpa filiorum non est illorum, quantum parentum eorum, ut scriptum est [1]. Unde cum intelligeret, quod culpa esset parentum, non infantis, « Statim, inquit, ac» cepto calculo circumcidit puerum mater ejus, cujus visu » sanguinis illico recessit ab eodem Angelus [2], » mortisque pœnam, quam ei minabatur inferre, omni modo removerat. Non enim Moses in illa hora dignoscitur circumcisus, sicut quidam opinantur, sed filius ipsius est circumcisus : quia quod ante sub Patriarchis et lege jubebatur, tardo opere, non veloci implebatur a populo, aut parentibus quorumdam, ut scriptum est [3].

XCI. HÆRESIS DE LIBRO DEUTERONOMII.

Sunt quidam, qui turbantur, hæretici de Deuteronomio, in quo Moses cum exiret de corpore, huncque librum conscriberet de quatuor libris repetendo, in quo veluti prioris legis firmamenta decernit, Christique carnalem præsentiam plus contestatur, non parvo ducuntur errore aliter sentientes. Nam quæ in lege, id est, in Exodo scripta sunt, eadem et in ipso libro continentur. Solum autem hoc videtur plus ab eo dictum, quia addidit : « Prophetam » vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus nostris, » sicut me : audietis eum. Erit autem, si quis eum non audie» rit, radicitus eradicabitur [4]. » Quidam enim putant de Deuteronomio dictum ab eo, quod et in ipso acceperit,

[1] Gen. xvii, 24. — [2] Exod. iv, 25. — [3] Josué. v, 5 et 7. — [4] Deut. xviii, 15 et 18, 19.

Digitized by Google

in monte iterum tabulas conscriptas lapideas, cum in Exodo bis cognoscitur accepisse, atque in montem ascendisse. Rationis est itaque, ut quod legis et gratiæ erat, manifestaretur de Christo Domino, ut quod in lege per umbram celebrabatur, in Christo carnali præsentia diffusa cœlesti gratia ex credentibus nuntiaretur, ipsumque in libro conscriptum omnibus velut testimonio traderetur.

XCII. DE NUPTIARUM LEGITIMARUM CONTEMPTORIBUS.

Quidam sunt hæretici, qui cum audiunt David dixisse in quinquagesimo Psalmo, quod « In iniquitate conceptus »sum, et in peccato peperit me mater mea [1], » æstimant ita dixisse Prophetam, quod jus nuptiarum legitimum iniquitatem esse dixerit atque peccatum. Cum ante dicatur in Genesecos libro : « Nascimini, et multiplicamini, et im»plete terram [2]. » Et, « Honorandæ nuptiæ [3]. » Nam si ita quis senserit, ergo et justi tot tantique in iniquitate concepti sunt, cum et in ventre sanctificati sint, ut Patriarchæ, Prophetæ, Judices (17), Jeremias, et Joannes Baptista beatissimus, ut scriptum est [4]. Sed ignorant quod alio modo dixerit propheta David, non de naturali generatione, sed de transgressione Adæ patris nostri, et Evæ, qui post transgressionem mandati, pulsi de paradiso genuerant filios, atque inde quasi matrem omnium post iniquitatem transgressionis mandati, eam sic concepisse, atque eam ita peperisse docuerit. Quomodo enim de se dicebat David in iniquitate conceptum, et in peccato genitum, cum legitimo jure natus sit, electusque a Deo ad tantam regni gloriam peteretur, ut de eo scriptum est. Non ergo hic in iniquitate, aut in peccato genitum edocebat; sed parentes nostros Adam et Evam voluit ostendere,

[1] Psal. L, 7. — [2] Gen. I, 28. — [3] Hebr. XIII, 4. — [4] Luc. I, 15.

quod ante admissum peccatum, id est, transgressionem mandati, postea sic genuerit filios, atque de eis nos omnes itidem parturierit. Ideoque post prævaricationem « In » dolore parturies filios [1], inquit. » Quia ergo de parentibus habemus illis prioribus prævaricationis iniquitatem communem carnis, atque generalem ex hæreditate prima descendentem in omnes, ut dixit Apostolus : « Sicut per » unum hominem mors introivit in omnes homines [2]. » Hoc enim jus conjugii a Deo promulgatum laudatur quotidie, ac benedicitur consuete : nam et quod erat primum ostendit tristitia, et quod Christi gratia cœleste credentibus erat allatura magnum gaudium, nuntiavit dicens : « Si quis » non regeneratus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in » regnum cœlorum [3]. » Idcoque in Psalmo eo præscius futuri gaudii, testatus est dicens : « Aspergos me hyssopo, et » mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor [4] ; » ut per eum nos etiam credentes in salutari baptismo cum eo pariter gratulemur.

XCIII. HÆRESIS DE DIVISIONE ORBIS.

Sunt quidam hæretici, qui de divisione orbis terræ, et partitione habitationis recte non sentiunt : disputantes quod Græci cœperint, aut Ægyptii, aut Persæ describere orbem terræ universum, non beatus Noë suis filiis tribus post diluvium diviserit, dederit, ac definierit, et partierit ordine. Unde postea historiographi accipientes velut quasdam semitas, diversis sunt falsitatibus ementiti. Tribus itaque filiis Noë, Sem, Cham, et Japhet omnem divisit orbem terrarum et tradidit. Sem quidem orientalis Indiæ, Persarum, usque ad partem aliquam meridiani occidentis, septentrionis, usque ad montem Libani, itaque ibi

[1] Gen. III, 16. — [2] Rom. V, 12. — [3] Psal. L, 8.

suum primogenitum habiturum fixa sententia confirmavit. Cham etiam secundo filio omnes Syrias, et diœceses Ægypti, Africæ, Æthiopum ingentem latitudinem prope fines tendentem Oceani, atque Hispaniarum censendo distribuit, possidendamque eam atque habitandam Spiritu divino pronuntiavit. In medio autem usque Cappadociam, id est, Tauri montem, fines habere concessit. Tertio autem, Japhet nomine, Cappadociam ingredientibus, atqu a Cilicia exeuntibus loca frigida, quæ Armeniæ, Bosphori, Ponti, Thraciæ, Pannoniarum, Illyrici, Italiæ et Occidentis universas partes, jussu divino ei statuendo attribuit. Ei de primo quidem XXV generationes numerat descendisse. De secundo XXXV, id est, de Cham. De Japhet autem, cui minor generatio numerabatur tunc temporis, id est, quintadecima tantummodo, ei amplior optanda a beato Noë promittebatur in posterum affutura, dicente Scriptura: « Dilatet Dominus Japhet, habitet »tabernacula Sem [1], » cum minori filio minor numerus generationum reperiebatur concessus tunc temporis, major crescendo eidem numerus postea amplificabatur adventurus quam duobus ejus fratribus, ut et media et extrema loca, id est, Chananæorum, Ægyptiorum, Afrorum, Persarumque teneret imperia. De quo postea Romani sunt editi, victores orbis terrarum, atque rectores universarum gentium. Unde cognoscimus Romanos, Latinos, Italos de Japhet genus deducere, atque hos orbem terrarum sua sub ditione tenere quotidie, atque ante sæpius tenuisse. Si quid autem falsitate Græcorum putatur esse antiquum, temporale modis omnibus ipsorum auctoribus testantibus comprobatur, Solone testante Atheniensibus, quod ab Ægyptio audierit sacerdote, dicente ei: «Solon, Solon, Græci vos semper estis novelli, atque pueri.

[1] Gen. IX, 27.

Digitized by Google

Græcus autem nunquam erit senex, aut antiquus, neque doctrinam aliquam, aut scientiam habetis antiquam, sed ab aliis raptam atque invisam habetis, eamque diversis mendaciis immutatam exponitis, atque ita homines edocetis. » Plato enim in Timæo ita dictitat. Nam post confusionem linguarum tunc nomina diversa cœperunt emanare, atque inde sumentes Græci historiographi duo aut tres diversa velut monimenta conscribentes, temporalitatem cum suam volunt obumbrare, atque abscondere, a suis testibus mendacissimi judicati sunt atque comprobati. Cum enim quinquaginta de ipsis consentiunt de antiquitate nostra, id est, Græci, Ægyptii, Chaldæi, Syri, duo autem aut tres dissentiunt, justius est multis consonantibus in unum, quam duobus aut tribus dissonantibus historiographis acquiescere, quia multi illi verius quam duo edixerunt.

XCIV. HÆRESIS DE DILUVIO.

Est et hæresis, quæ dicit sub Deucalione et Phyrra diluvium fuisse antiquius, quam quod sub Noë factum est. Quod pagani transferentes mutatis nominibus impio modo et arcam velut in Græcia fuisse post diluvium asserunt, et quod est temporalitatis in paganitate vanissima, ab eis velut antiquum cum multo mendacio prædicatur. Et quod factum est in Thessalia loco brevi, velut factum ubique, id est, in mundo a paganis furacibus edocetur. Quod fuit quidem post annos in Thessalia, in loco interdum modico, illud autem diluvium in omni sæculo factum est, sicut et eorum scriptura testatur gentilium.

XCV. HÆRESIS DE SIGNIS ZODIACI ET ORTU HOMINUM.

Alia est hæresis, quæ dicit secundum duodecim Zodiaci signa nasci homines, sicut mathematici illi vanissimi, totius-

Digitized by Google

que erroris et sceleris assertores : hæcque audientes interdum indocti quamplurimi lege Dei dimissa mathematicorum inservire non dubitant vanitatibus, unde completur apostolica sententia : « Coluerunt et servierunt creaturæ » potius quam Creatori[1]. » Et iterum : « Videte ne quis vos » decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secun» dum elementa mundi, et non secundum Christum : » quoniam in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis cor» poraliter[2]. » Ergo ignorant quod Zodiaci ista signa duodecim, quæ ab illis dicuntur, diversa sunt climata, diversæque regiones in orbe terrarum a Deo dispositæ ut inhabitentur, locorumque ac temporum diversa temperamenta statuta sint, ut calidum, frigidum, siccum, et humidum, ut quatuor angulis sæculi, e quibus cum veluti pleni qualitate fontes exuberant flatu, respirantes, in invicem virtute nimia insita proprie mixtioneque existente salubri : rursum cum diffunditur eorum ubique mixtio, amœna temperies salutis inde cunctis habitantibus subministretur, atque ita divina potentia mortalibus vita dulcis, et prospera concessa a Domino, et impertita non ignoratur.

XCVI. HÆRESIS DE ANIMABUS SCELERATORUM.

Nec deest hæresis, quæ dicit animas fœnerariorum, sceleratorum, et homicidarum, et aliorum talium transire in dæmones, ac pecudes, et bestias, et serpentes : ignorantes quod anima hominis cum exierit de sæculo, sive bona sive mala, id est, pia atque impia ab Angelo ducitur in locum statutum, ut in futurum percipiat juxta quod gessit in hoc sæculo constituta. Si quis autem hoc ita putaverit fieri, paganitatis et vanitatis, philosophorum magis quam christianitatis videtur habere consortium, cum dicat Apostolus : « Omnes nos manifestari oportet ante

[1] Rom. I, 25. — [2] Coloss. II, 8.

Digitized by Google

» tribunal Christi, ut recipiat unusquisque ea quæ gessit » in hoc corpore[1]. » Et iterum : « In inferno autem quis » confitebitur tibi[2] ? » Animæ itaque natura non vertitur in naturam alteram, sed cum voluntate contemnit ac negligit Dei præceptum, studiisque legitimis ac salutaribus inhærere dissimulat, futuro judicio pœnarum se dedicans, non alia nisi morum causa pecudibus cognoscitur comparanda : non natura, sed moribus, ut scriptum est. Non ergo naturæ pecudum, sed moribus in hoc sæculo similes efficiantur hujusmodi homines, pagani, Judæi, et alii quamplurimi. Nam et Salvator Judæis cum diceret : « Vos de » diabolo estis patre vestro[3], » non natura, sed sceleratis moribus et belluinis sensibus similes arguendo et judicando manifestabat, et Joannes Judæis dixit : « Progenies » viperarum[4]. »

XCVII. HÆRESIS DE CHRISTI DESCENSU AD INFEROS.

Alii sunt hæretici, qui dicunt Dominum in infernum descendisse, et omnibus post mortem etiam ibidem renuntiasse, ut confitentes ibidem salvarentur cum hoc sit contrarium dicenti prophetæ David : « In inferno autem quis » confitebitur tibi? » Et Apostolo : « Quotquot sine lege » peccaverunt, sine lege peribunt[5]. » Sed et dicit : « Re » missius erit quibusdam quam civitati illi quæ non credi- » derit[6], » Apostolorum quippe doctrinæ et Evangelii. In comparatione multarum pœnarum dicit sustinere eos minora tormenta quam illos, non tamen salvari eos hac ratione affirmat. Nam poetas falsos, et vanos philosophos, qui æstimant posse salvari, rebelles Deo; errant illis pejus, et a veritate dissentiunt, cum semina impietatis paganæ, non alii nisi illi poëtæ vani, et philosophi, deorum dea-

[1] 2 Cor. v, 10. — [2] Psal. vi, 6. — [3] Joan. viii, 44. — [4] Matth. iii, 7. — [5] Rom. ii, 12. — [6] Matth. xi, 22.

Digitized by Google

rumque appellationes hominum sensibus seminaverint, cum Prophe'a clamat de futuro judicio, ut hic ei dimitteretur in pœnitudine, dicens : « Remitte mihi ut refrigerer, » priusquam vadam, et jam non ero amplius[1]. » Si ergo justi peccantes, et in hac adhuc vita vix acceperunt pœnitentiam pœnitentes, ut ait Salomon, et, « Si justus vix » salvabitur, impius et peccator ubi parebit[2] ? » Nam si Deum esse credidissent, deorum et dearum turpia nomina non seminassent, et in descensione Christi in infernum veniam impetrassent. Cum ergo impii et hostes Dei sint ubique, quomodo post mortem ibi confitentes salvabuntur? Cum Apostolus doceat, quod omnem hominem mori oportet[3], postque hoc jam judicari, ut scriptum est, ante tribunal Christi[4], et recipere secundum quæ gessit in hoc sæculo[5]. Salvator autem confirmat dicens de illis, quod nec Patri crediderint[6] : unde etiam eos judicandos declaravit[7] : qui autem credidit in Patrem, antequam Christus veniret in carnem, transiit de judicio impiorum[8]. In comparatione autem peccatorum atque impiorum, diversitas est pœnarum atque plagarum, non plena amborum est absolutio, sed dijudicationis justitia, et secundum peccatum condigna repensio, illis etiam qui sub Noë ab *aqua* absorpti fuerant[9], ut Scriptura docuit.

XCVIII. HÆRESIS DE ANIMA HOMINIS.

Est et alia hæresis, quæ de censu animæ ambigens, ex elementis eam consistere opinatur, ut multi philosophi vanissimi nunc de igne, nunc de aqua, nunc de spiritu, nunc de materia, nunc de fonte, nunc de atomis, nunc

[1] Psal. xxxviii, 14. — [2] Prov. xi, 31. — [3] Hebr. ix, 27. — [4] Rom. xiv, 10. — [5] 2 Cor. v, 10. — [6] Joan. viii, 19 et 55. — [7] Id. xii, 48. — [8] Id. iii, 18. — [9] 1 Petr. iii, 20.

Digitized by Google

quasi aëra esse animam hominis suspicantur, cum anima facta sit a Domino, ex nihilo scilicet, ut scriptum est; « Qui fecit ex nihilo omnia, ut essent quæ non erant[1]. » Anima itaque a Deo facta, imago Dei appellata est, post Angelorum creationem scilicet : minor enim est homo quam natura Angelorum, ut scriptum est : « Minuisti eum » paulo minus ab Angelis[2]. » Si autem legis mandata servaverit, tunc erit sicut Angeli[3]. Si ergo Angeli servi Dei sunt sub lege positi[4], quanto magis et hominis anima sub lege quæ est prædicata? Si servarit quod ei præceptum est, tunc debet dicere quod ait Dominus Apostolis : « Quod et si feceritis omnia, dicite quod servi sumus » inutiles[5]. »

XCIX. DE CHRISTI NATIVITATE HÆRESIS.

Alia est hæresis, quæ dicit de Salvatore, quod primum fuerit apud Patrem, et sic natus sit : et cum simpliciter ita confitetur, diversa hominibus scandala subministrat. Esse enim ante, et postea nasci, contrarium est modis omnibus. Et quamvis generatio ipsius duplex sit, una Divinitatis indefinita ac sempiterna, altera incorporationis per Virginem temporalis : at non est dubium tamen, quod secundum Divinitatem debemus cognoscere, quod neque defuit aliquando esse cum Patre, neque qui erat cum Patre semper, ex semetipso erat, et non de Patre genitus noscebatur, ut quidam suspicantur aberrantes. Utrumque ergo si bona interpretatione profertur, rectum et fidei firmamentum ostenditur, ut et genitum eum cognoscamus de Patre proprie hunc unicum Filium, non tamen in tempore, sed ante omnia sæcula omnemque creaturam

[1] Sap. I, 14. — [2] Psal. VIII, 5. — [3] Luc. XX, 36. — [4] Hebr. I, 14. — [5] Luc. XVII, 10.

Digitized by Google

esse genitum de Patre proprie cognoscamus atque credamus, ut condecet; cumque Patre cum in perpetuum manere, atque semper mansisse non ignoremus. Nulla est ergo separatio, aut contrarietas inter esse semper et fuisse, et genitum esse : nam semper esse propter sempiternitatem dicitur, ne temporalis Filius æstimetur. Genitum autem dicit, quia non ex semetipso, sed de Patre natum cognoscit Ecclesia prædicans. Non ergo disjungendum est unum ab altero, sed conjungenda est sempiternitas Filii, et generatio cum sempiternitate copulanda; deque Patre ita est credenda ac detinenda confessio, ut unus nobis Pater genitor, et unus nobis Filius unicus Patris, proprie quippe genitus de Patre cognoscatur. Ergo semper esse, et genitum esse, pia fide est æquum, ut sempiterna ejus generatio non temporalis sit, et Filii unigeniti de Patre, et cum Patre vera proprietas ac sempiternitas non ignoretur. Si quis autem primum confitetur esse eum ingenitum, et sic postea fuisse genitum de Patre, ignorat quid confitetur. Cum enim unam putat evadere hæresim, incurrit in alteram pejorem, ingenitum Filium confitendo, imo potius et Patrem, et Filium denegando, duoque ingenita prædicando, et unius Patris ingeniti, et unius Filii, unigeniti de Patre, proprie denegando veritatem.

C. HÆRESIS DE INDURATIONE DEI.

Sunt quidam hæretici, qui de Pharaone ita arbitrantur dixisse Dominum per Mosen : « Quod ad hoc excitavi te, » ut ostendam in te virtutem meam[1]. » Et, « Indurans indurabo cor Pharaonis, ne dimittat vos[2]. » Et ait Apostolus : « Ergo neque volentis, neque currentis, sed miserentis » Dei est[3]. » Sed hæc non definiens dicit Apostolus, sed

[1] Exod. IX, 16. — [2] Id. IV, 21. — [3] Rom. IX, 16.

disputans atque edocens quod verum est, ne ita Deum dixisse quis æstimet. Debet enim attendere quod ait Dominus : « Ut ostendam in te quippe omnem virtutem » meam, » id est, magnanimitatem, bonitatem, sustinentiam, quæ est utique omnibus hoc effusa in sæculo. Cum enim ei dicit, omni homini dicit in corpore constituto; in prosperitate quippe, facultate ac potentia temporali annuntiat, qui cum ad divitias attendunt, segniores ac negligentiores efficiuntur circa Dei Christi timorem et gratiam, suæque ita usque ad finem salutis obliviscuntur, ac timoris Dei efficiuntur immemores[1] : Cum enim tribularetur ipse Pharao, invitus Dominm cognoscebat, ut scriptum est. Cumque iterum dimittebatur à Deo, revertebatur ut canis ad suum vomitum[2]. Ideoque omnium paganorum, Judæorum, hæreticorum, divitumque animæ, ac peccantium pariter in prosperitate contemptrices Dei reperiunt interdum : ideo eruditio utilis est humano generi in omnibus atque salutaris, dicente Propheta : « Bonum » mihi est, Domine, quod humiliasti me, ut discam justifi- » cationes tuas[3]. » Et iterum de objurgatione : « Cum oc- » cidebat, inquit, Dominus Judæos, tunc inquirebant eum, » et vigilabant ad eum[4]. » Non itaque dicit beatus Apostolus, ut non curramus, aut non velimus servire Deo, sed primum debemus nostra currere voluntate, deinde non cum præsumptione et jactantia, quasi nostra virtute et justitia condigna, ut non Christi mereamur salvari clementia. Qui enim currit cum superbia, et præsumptione, non a Deo sperat præsidium, quantum ex sua conversatione sibi præsumit justitiam. Et currere itaque, et velle nos docet beatus Apostolus, inque nostra voluntate esse, ut in ipso cursu bonorum operum in humilitate perseveremus, ac

[1] Exod. VIII, 8 et 25; IX, 27, et X, 24. — [2] Prov. XVI, 11, et 2 Petr. II, 22. — [3] Psal. CXVIII, 71. — [4] Id. LXXVII, 34.

Digitized by Google

tunc demum speremus salutem posse ab ipso Domino adipisci, ut ait Dominus : «Et cum feceritis omnia, di»cite quod servi sumus nequissimi[1]. » Et, «Si justus vix »salvatur, peccator et impius ubi apparebit[2] ?» Ergo sunt in nobis quædam, in quibus currendum est. Sunt autem majora quæ a Deo speranda et impetranda sunt, ut ait Apostolis : «Nescitis quid petatis[3]. » Ut puta si quis dixerit : Possum esse martyr, possum esse Apostolus, et non dicit : Si Deus Christus voluerit, quod ab eo incrementum id muneris et gratiæ quippe confertur, non vana hominum præsumptione atque jactantia comparatur : tentantis est enim hominis voluntas hujusmodi, ac præsumentis, non quærentis, et supplicantis ut tantam consequi *mereatur* dignitatem.

CI. HÆRESIS NEGANS DAVID CHRISTI PROPHETAM FUISSE.

Sunt quidam hæretici, ut Manichæi et Gnostici, et Nicolaïtæ, et alii qui de beato David audent dicere, quod non Christi Propheta fuerit, neque doctor et commentator divinarum omnium Scripturarum, sed humanæ cantationis, ac sæcularis rei conscriptor extiterit : cum cœlestis gratiæ atque arcani salutaris Christi Domini ipse meruerit præ multis humano generi mysteria prædicare. Sicut enim sanctis aliis diversam tribuit Christus Dominus gratiam, ita huic majorem concessit scientiam dicente Domino : «Dabo vobis sancta David fidelia[4]. » Et, «Inveni David »filium Jesse, hominem qui faciat omnia quæ sunt in »corde meo, dicit Dominus[5]. » Ignorant ergo quod velox ac præpotens commentator hic divinarum extitit Scriptu-

[1] Luc. XVII, 10. — [2] Prov. XI, 31. — [3] Luc. XX, 22. — [4] Act. XIII, 14, ex Isai. LV, 3. — [5] Ibid. 22, ex Psal. LXXXIII, 21.

Digitized by Google

rarum, rex atque propheta David emissus a Domino, ut quod ante dicebatur, præsensque videbatur, hæc cuncta brevi collecta humano generi prædicarentur ab eodem, tribusque in versibus Psalmi primi omnem rerum virtutem exponeret veritatis, præteritorum, instantium, atque futurorum, omnesque errores cujusque populi, diversaque facinora nuntiando cum dicit : « Beatus vir qui non abiit » in consilio impiorum, id est, paganorum : et in via pec- » catorum non stetit, quippe Judæorum : et in cathedra » pestilentiæ non sedit [1], » utique hæreticorum. Atque hinc jam quasi ex fontibus atque materiis copiosis diversa semina iniquitatis humano generi affutura doceret, ut his quippe tribus malis paganitate, judaïsmo, et omni hærsesi contemptis, atque damnatis, sola fides vera, id est, Patris, et Filii, et sancti Spiritus ab omnibus credita coleretur. Zelo enim divino ductus beatus David, tunc temporis, cum videret homines dæmoniis immolare, non in Deo; Jerusalem civitate quatuor choros posuit secundum mundi aditus, ana septuaginta duo, quatuor etiam hominibus positis et psallentibus, atque arcam Dei custodientibus, undique infinitis etiam aliis extrinsecus. In medio autem ea posita psallebat cum populo beatissimus ipse David patriarcha, et incorporationis Christi Domini, quippe ut testis tantus ac prædestinatus a Domino, Psalmorum diversa gaudia et laudes pariter, non alii nisi ipsi Christo Domino canendo referebat; trinaque vice quotidie cum orationibus Psalmorum etiam cantore sonante omni delectabatur cum populo divinam Christi præsentiam nuntiando, deque ea re futura gaudia sæculo promittendo, de quo et Dominus dignatus est dicere multos fuisse Prophetas et sapientes, et desiderasse videre et audire quæ Apostoli audire meruerunt et videre. Nam quod et Græcorum ipsa quæ videtur

[1] Psal. I, 1.

Digitized by Google

esse sapientia; ex lege atque Prophetis, et specialiter de David sit, secundum tempus omnibus manifestum. Ideoque et poetæ, atque sapientes versibus quod volucre dicere, imitando eumdem conati sunt fingere: quæ argumenta cum de lege atque Prophetis sumerent, immutatis nominibus cum jura veritatis violare properant, suæ perfidiæ diversa mendacia sæculo seminarunt. Inde hæc ignorantes quam plurimi sæculares homines atque imperiti temporalitatis pagana mendacia potius quam salutaris christianæ legis antiqua et vera arcana desiderant colere, atque sequi firmamenta. Ex suis itaque vanitatibus, id est, ex Græcorum historiographis potest quis cognoscere quam sit temporalis vana sapientia Græcorum, quæ cum paulatim cognoscitur a suis, sine dubio spernitur, calcatur, atque quotidie condemnatur.

CII. HÆRESIS DE PSALTERII INÆQUALITATE.

Sext alii hæretici, qui de inæqualitate Psalterii errorem patiuntur non modicum, æstimantes totum librum Psalterii non esse David (18) et cum historiam quærunt per ordinem, inveniunt inæqualitatem, id est, ut quæ novissima prima, et quæ prima, novissima esse posita pervident, non modicum scandali patiuntur. Nam in tertio Psalmo persecutionem patitur a filio, et in centesimo plus contra Allophylum pugnando disseritur, cum invenimus primum pugnasse eum cum Goliath in sua juventute, a filio autem suo in senectute postea bellum sustinuisse. Et quamvis hæc spiritaliter de Christo intelligenda sint, tamen et historiam inquirentes studiose, de eodem beato Propheta non parvo offendiculo perturbantur. Quia ergo et post septuaginta duos Psalmos defecisse, dicit hymnos David scriptura Psalmorum, et postea iterum ejusdem ti-

Digitized by Google

tulatio in multis Psalmis nuntiatur, et de hoc quærunt, cur ita sit positum, nescientes quod beato regi atque Prophetæ diversa gaudia Psalmorum recte a Domino impertita sunt. Si ergo et aliorum inveniuntur titulationes in Psalmis, postea tamen summa rerum laudis huic auctori et institutori, a Christo concessa est, ut Prophetæ, regi, atque Patriarchæ : de inæqualitate autem Psalmorum secundum historiam, qui interpretati sunt studiosissime, hoc dixerunt, quod sæpe existente captivitate in Judæorum populo, a gentilibus propter idololatriam, quia cum illis colebant Judæi et idola, inquehis, etiam Scripturæ divinæ inquirebantur, et comburebantur a gentibus : Si quis autem abscondisset de Psalmis aliquid, existente pace, postmodum requirebantur a paucis sanctis eædem divinæ Scripturæ : cumque invenirentur, accipientes postea qui erant in illo tempore sapientes; quia non erant Prophetæ jam, sed sacerdotes timore detenti, juxta quod accipiebant a quibusdam, ita componebant et textum Psalmorum et ita ordine exponi jubebant. Sic ergo secundum historiam inæqualitatis, ut dixerunt multi, causa hæc esse videtur. Nam quod spiritalis in ipsa inæqualitate Psalmorum æqualitas sit Christi scientia cognoscenda, manifestum est studiosis, ut quod est imprimis, hoc sit et in medio de Christo itidem, et quod erat postea futurum de eodem ante dictum sit ubique. Idcoque Apostolus : « Christus » heri et hodie, ipse et in sæcula, inquit, sæculorum[1]. » Nam quod spiritali virtute dicti sint Psalmi, non est dubium, ut quod ante factum est per diabolum de impietate idolorum, hoc et sub Judæis seductione ejus commissum facinus monstraretur, et quod ipsius sit etiam hæreticorum perversitas in fine pullulantium quotidie non ignorat Ecclesia catholica.

[1] Hebr. XIII, 8.

Digitized by Google

CIII. HÆRESIS DE EO QUOD DICTUM EST CAIN : TU DOMINABERIS ILLIUS.

Sunt hæretici contraria sentientes libro Geneseos, quo Dominus dixerit ad Caïn : « Peccasti? quiesce, ad te conversio tua, et tu ejus dominaberis[1]. » Cum enim dicit : « Tu ipsius dominaberis, » putant quod dixerit ei : Tu eris dominus fratris tui. Et quamvis si ita quis senserit, quia major natu erat Caïn quam Abel frater ejus, quia et in lege, majores natu erant et honore, id est, primogeniti, non autem hic dicit : « Tu ejus dominaberis, » quasi eris Dominus ejus, quod est in omnibus contrarium. Si enim ita esset, quomodo dabat in eum mortis sententiam Dominus, quod suum occiderat fratrem sicut scriptum est? Non ergo ita dicit Scriptura dominari illum fratri suo, ut eum interficeret, sed dominaberis cogitationi tuæ malæ utique, quæ est in arbitrio tuo, ut cujusque hominis arbitrio atque voluntate, aut projiciat de corde suo malam cogitationem immissam a diabolo, aut non projiciendo, crimen incurrat perpetuum : ut perscrutator enim cordis et animi hominis, Christus Dominus occulta ipsius prævidens, arguebat quod cogitaverat, et monebat ne faceret *illud sceleris*, inque hoc viam parricidii sæculo seminaret. Quod et in Evangelio dictum est : « Si habes adversus fratrem » tuum iram, vade, reconciliare, et sic postea offeres munus tuum[2]. » Et David itidem ait : « Irascimini et nolite » peccare[3], » Et qui modus sit, « Irascimini et nolite peccare, » ipse subsequitur disserens : « Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini[4]. » Salomon etiam : « Si ascenderit spiritus inimici dominantis in » te, ne des ei locum ut in te habitet[5]. » Et Dominus :

[1] Gen. IV, 7. — [2] Matth. V, 23. — [3] Psal. IV. — [4] Ibid. — [5] Eccle. X, 4.

Digitized by Google

« Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicii[1]. » Idcoque pellendam cogitationem ex suggestione inimici Dominus edocebat illico, ne cum diu sit in homine, ad perpetrandum facinus eum provocet proniorem.

CIV. DE CAIN PECCATO HÆRESIS, QUARE DEUS EI VITAM CONCESSERIT.

Est hæresis quæ non recte intelligit de Caïn, quod post fratricidium quod commiserat, rogat Dominum mori potius quam dimitti, dicens ita : « Major causa est si dimissus fuero, et erit omnis qui invenerit me, interficiet me[2]. » Sed Dominus per eum unum, omni humano generi, velut generalem docendo modum, per patientiam tribuebat bonitatis suæ indulgentiam copiosam, ut jam desinente scelere, bonorum operum fructuositatem sequerentur, certamque ab eo cuncti cognoscerent amplectendam, dicente Domino : « Nolo mortem peccatoris, sed ut revertatur et vivat[3], » ut tanti sceleris cunctis per eum patesceret pœnitentia, inque ea indulgentia pariter copiosa, ut pœnitentium jam bona fructuositas hortamento Dei monstraretur hominibus, quo eam pervidentes, salutem potius quam mortem sibi desiderent acquirendam. Unde velati suus accusator atque judex cum ex parte gigeitur Caïn, dicens quod commiserit fratricidium, audire a Domino meruit, ut si fructus bonorum operum de cætero eum sequeretur, remissionem tanti sceleris esset sine dubio acceptorus, nullumque metum mortis inferendæ jam suspicaretur sibi ab aliquo affuturum. Insuper etiam et signum acceperat ne occideretur ab aliquo : eumque etiam septem pœnas perpeti, si quis hominum ausus fuisset in eum manus injicere, cœlesti sententia de

[1] Matth. v, 22. — [2] Gen. IV, 4. — [3] Ezech. XXXIII, 11.

Digitized by Google

finitum. Ipsa enim veluti pœnitentia ficta, non vera inventa est, cum audit a Domino : « Omnis qui occiderit » Caïn, septem vindictas persolvet[1]. » Unde et signum accipere meruit propter pœnitudinem, si tamen digna bonorum operum jam eum fructuositas sequeretur, sed non invenimus fructum bonorum in eo pœnitentiæ usque fuisse, quanto magis de genere illius omnem impietatem potius pullulasse, qui post eum hæredes impietatis paternæ, et immanitatis tanti sceleris existentes, cum non malorum suorum pœnitudinem gerere voluissent, annuntiante eis Noë beato, perseverantes in scelere diro mortis interitu per diluvium perierunt, exceptis octo animis tantummodo tunc temporis, qui de genere sanctorum fuerunt editi, qui meruerunt procellam soli tanti periculi devitare.

CV. DE STELLIS CŒLO INFIXIS HÆRESIS.

Est hæresis, quæ stellas infixas putat esse in cœlum (19), non de thesauris locisque absconditis, atque a Deo dispositis in vesperum jussu divino repente procedere, statutisque horis suo lumine cursum ministeriumque indictum agnoscere : quod contrarium alienumque fidei catholicæ invenitur, si ita quis senserit, magisque paganæ vanitatis, et philosophorum inanis sententiæ, quam christianæ scientiæ habere consortium demonstrabitur. Scriptura enim omnipotentiam Dei ita edocet, ut in brevi e diversis thesauris concurrere atque discurrere sidera nuntiaverit, ornamentoque cœli noctisque ut lucis causa ex parte sint a Deo præstita atque commodata, diversisque horarum spatiis, velut ad sua loca rursum redire statuta sint, ut e quibus locis exire jubentur quotidie, ad ea loca reverti iterum præsidente Angelo et compellente,

[1] Gen. IV, 15.

Digitized by Google

cursum debitum præterire nullo modo possint. Hincque effusa Christi clementia omni manifestaretur humano generi, qui justis et injustis in hoc mundo parem concesserit gratiam bonitatis, annuntians, « Qui solem suum » oriri facit super justos et injustos : et pluit super bonos » et malos[1]. » Et, « Noverunt sidera, inquit, thesauros » suos, et cursum dispositum quotidie[2]. »

CVI. HÆRESIS VETERIS TESTAMENTI MULTA REPROBANS.

Sunt quidam hæretici, qui de Veteri Testamento multa reprobant, id est, Salomonis Ecclesiasten, paucis quidem conscriptum sententiis, omnem tamen thesaurum cœlestis scientiæ quærentibus continentem : nam quod omnibus sapientior prioribus sit, ipse Salvator testatus est[3]. Cum legunt ergo : « Omnia vanitas vanitatis quæ sub cœlo » sunt[4]. » Et, « Desideravi habere, ut dictum est, diversa[5]. » « Et Deus mihi dedit, inquit, et ecce omnia vanitas » vanitatis. » Solum tamen hoc postea addit esse a Deo, ut si quis manducet et bibat, et benefaciat animæ suæ. Quod si hanc escam solum, aut hunc potum dixit esse istius sæculi, utilemque carnalem, nihil autem futuræ vitæ immortalis aliud nuntiavit, in vanum hominum labor impenditur. Ergo quod ait Apostolus de quibusdam : « Manducemus » et bibamus, cras enim moriemur[6], » quod profecto paganorum, et Epicureorum est talis hæresis, quæ vitæ pecudum comparatur. « Ideoque homo in honore cum » esset, non intellexit, comparatus est pecudibus insipien» tibus[7] : » Salomon itaque et carnalem vitam hominum a Deo concessam in multis divitiis nuntiavit, et futuram

[1] Matth. v, 45. — [2] Baruc. III, 33, 34. — [3] Matth. XII, 42. — [4] Eccle. I, 14. — [5] Id. II, 3 et 11. — [6] I Cor. XV, 32. — [7] Psal. XLVIII, 13 et 21.

Digitized by Google

Angelorum gloriam nihilominus in studiosis inesse paucis desiderantibus, et credentibus prædicavit. Si enim et dives in hoc sæculo bene operatus fuerit, necesse est ut et ille futuræ vitæ consortium consequatur. Sicut enim et hæc terrestris esca a Deo data est, ita et illa cœlestis esca de lege desideranda est amplius, fides quippe Christi Domini de lege et Prophetis adveniens cupientibus gloriosa, quam magis Maria, quam Martha elegerat, dicente Domino : « Majorem sortem Mariam elegisse, quæ non auferetur ab » ea[1]. » Ergo si dixit, « Vanitas vanitatis est quæ in sæculo » sunt, » hæc utique transeuntia prædicavit, propter futuram illam gloriam eminentem ac perpetuam, ut ait Apostolus : « Transit enim figura hujus mundi et gloria[2]. » Si autem figura, et vita, et honor, et dignitas mundi istius cessabunt et destruentur, illa quippe erit desideranda cœlestis et angelica dignitas, quæ incorporatione, ac passione, et resurrectione quippe est Christi credentibus adventura, quæ non temporalis, carnalis, ac caduca erit ut Judæorum secundum litteram, et aliorum talium pereuntium, in posterum autem nihil expectantium. Propter quod dicit Dominus : « Operamini escam quæ non perit[3], » id est, ut credatis in me quem misit Pater meus. Ergo non Salomon de hac esca solum carnali dicebat, de illa autem prætermittebat; sed diversam escam, gloriamque sanctorum hominum nuntiabat : carnalem quippe primam vitæ hominum in præsenti sæculo, postque mortem cœlestem illam, et angelicam dignitatem justis et fidelibus adventuram. Hancque carnalem velut vanam et temporalem, Judæorum quippe aliorumque talium justificationem, vitamque pereundam nuntiabat, ut umbram esse cognoscerent, vitamque corporis temporalem non multo post decidentem, in comparatione quippe cœlestis illius, ac perpetuæ dignita-

[1] Luc. x, 42. — [2] 1 Cor. vii, 31. — [3] Joan. vi, 27.

Digitized by Google

tis non ignorarent. De qua esca ait et Propheta : « Gustate » et videte, quia suavis est Dominus[1]. »

CVII. HÆRESIS DE CANTICI CANTICORUM LIBRO.

Est hæresis, quæ de Canticis Canticorum ambigit, ipsa itidem æstimans non Spiritu divino, sed humanarum rerum causa ac voluptatum hominibus ab eodem prædicata : cum cœlestium rerum veritas humanæ similitudini comparata genus hominum docuerit, sicut scriptum est in Evangeliis, et ubique. Christi itaque divina in carne præsentia omnes ita docebat, ut amore divino provocaret, monitione mulceret, misericordia commoveret, flecteret bonitate. Nam ut Deus ostendebat, ut Pater monebat, ut pastor pascua demonstrabat, ut rex vincendo inimicum vestigia sequi ostendebat, ut sequentes suum fraternum, id est, Dominum Christum in carne advenientem in triumpho immortalis gloriæ et cœlestis meriti, cum eo pariter gratulemur. Ideoque et Cantica dicta sunt Canticorum, ut quod ante in lege umbratiliter dicebatur ex parte ; in loco Christi jam præsentia consummatione mysterii per passionem celebrata, in supplementum panderetur, ut cessante umbra cœlestis etiam lucis omni sæculo veritas refulgeret, quæ corpus et animum hominis accenderet, atque amore cœlesti sensum hominis excitaret. Qui ergo vani homines concupiscentiis carnis inserviunt, fingunt autem non posse sentire ; aut si eis exponitur, contemnunt discere, legisque nolentes virtutem agnoscere, non minus Judæi, vel pagani judicandi sunt.

CVIII. DE MANDATO ADAE HÆRESIS.

Alia est hæresis, quæ dicit mandatum non esse acci-

[1] Psal. xxxiii, 9.

Digitized by Google

piendum, quod Adam pater noster acceperat : neque esse illud virtutis, aut utilitatis alicujus opinantur, cum sine mandato illo nec lex Mosis possit accipi, nec Christi agnosci perpetua et effusa gratia, atque copiosa. Triplici enim virtute in corpore constitutus omnis homo, de lege divina docendus, aut monendus instruitur, ut in prima ætate sub mandato sit, secunda sub lege, tertia sub gratia Salvatoris. Ideoque lex admonitio est potius propter oblivionem mandati pristini, quod pater noster Adam imprimis a Deo acceperat in paradiso; ita enim scriptum est in lege : « Ne oblitus mandatum Domini Dei tui recesseris ab eo et pereas[1]. » Ideo lex admonitio mandati, et confirmatio est primi illius. Iterum mandatum et lex Christi plenam prædicant gratiæ bonitatem, ac præsentiam salutarem. Ideoque Dominus ait : « Ecce qui loque»bar in Prophetis, adsum[2]. » Majores sunt itaque qui sub mandato fuerunt antiqui, cum non obliti etiam Christi Salvatoris suis posteris et ejus mysterium nuntiarunt; cujus et oblivione existente in Judæis, admonitio rursum litteræ subsecuta est, ut in littera etiam Christi spiritalis scientia, et carnalis præsentia illuminans sæculum, speraretur. Ideoque lex Mosis aliud in sono vocis, aliud in abscondito salutare Christi mysterium continens nuntiabat. Ergo neque mandatum sine lege, nec lex sine mandato, nec gratia Christi sine lege et mandato accipi, aut credi debet ab aliquo. »

CIX. DE IMAGINE ET SIMILITUDINE DEI IN HOMINE HÆRESIS.

Sunt quidam hæretici qui cum legunt Scripturam, dicente Domino : « Faciamus hominem ad imaginem et simi-

[1] Deut. VIII, 11 et 19. — [2] Isai. LII, 6.

Digitized by Google

» litudinem nostram[1], » non in parvam descendunt amentiam, ignorantes primum quid imago, quidve similitudo sit Dei. Cumque nesciunt quid sit imago Dei natura proprietatis, et quid positionis sit gratia, non parvam sibi præsumunt superbiam dignitatis. Imago enim Dei, id est, anima omnis hominis, facta ex nihilo : similitudo autem in fide et vita nisi cognita fuerit a Deo, appellari non potest Dei imago similis. Cumque se esse plus estimat aliquis præsumptionis crimen incurrit potius, quam meritum dignitatis sibi acquirit. Nam cum hæc peccans invenitur anima et judicio obnoxia detinendo cognoscitur, quomodo esse potest hæc Dei naturalis imago, quæ diversis peccatis dignoscitur inservire? cum alia nulla esse possit naturalis imago Dei divina et Patris propria, non Angeli, aut hominis, nisi Christi Dei filii, qui natura proprietatis indiscreta paternæ substantiæ, ac sempiternæ imago sit, genita proprie, non positione servitutis creata ex nihilo, ut homo et Angelus. Ideoque imaginem, id est, animam hominum paganorum, Judæorum, hæreticorum, et omnium dici posse declaravit in communi generatione, atque unius qualitatis natura Scriptura substantiam nuntiavit. Similitudinem autem non omnium, sed sanctorum, et Christianorum esse tantummodo declaravit, qui in fide, vita, et bono opere permanentes, Angelorum cœlestia merita in futurum consequi promittuntur, ut Patriarchæ, Prophetæ, Sacerdotes, Judices, Apostoli, atque Evangelistæ, et Martyres, qui Trinitati credentes, et in vita præclara permanentes, Angelorum gloriæ copulari a Domino nuntiantur. Similitudo enim ex doctrina legis, fide, vita, et studio, et opere cognoscitur vera, ut quæ a Deo facta est legi ejus divinæ consentiens, præcepta statuta complendo, regni cœlestis consortium speret ab eo se posse adipisci, dicente

[1] Gen. 1, 26.

Digitized by Google

Apostolo : « Nostra autem conversatio in cœlis est[1]. » Et Dominus iterum : « Gaudete, quia nomina vestra in cœlo » scripta sunt[2]. » Et quod in die judicii eos sicut Angelos demonstrabat futuros[3], Dominus dicit de regno cœlesti : « Venite, percipite regnum quod vobis paratum est ab ori- » gine mundi[4]. » Similitudo itaque ex fide sanctæ Trinitatis, et vita bona, et opere sequenti in esse ostenditur, ut exeuntes percipiant promissum consortium angelicæ dignitatis, ut ait Joannes : « Tunc similes ei erimus[5]. » Et Dominus : « Similes estote Patris vestri[6]. »

CX. HÆRESIS DEUM INCREPANS QUOD DIVERSIS LINGUIS ET MODIS HOMINES ALLOCUTUS SIT.

Sunt quidam dicentes hæretici, cur non Deus uno modo semper locutus est, sed diversis modis et linguis humano generi prædicavit? Cum secundum capacitatem hominum videntium atque cupientium videre, atque audire, ita sit locutus, et visus hominibus. Projecto itaque de paradiso homine mortemque induto, non jam ita apparebat sicut et antea, sed loquebatur de cœlo voce ipsius audita, atque ea custodita : processu autem temporis et apparere dignabatur, ut Abrahæ beatissimo patriarchæ, et aliis per ordinem. Sub Mose autem diversis rebus apparens, et quod erat timoris atque terroris in monte Sina demonstrabat, posteaquam in figura Angeli, et in forma hominis incorporationis suæ affuturæ indiciis præcurrentibus generalem clementiæ nuntiabat visionem, qua jam per somnia justis se Dominus ostendebat, ut scriptum est[7]. Postea vero in incorporatione apparens testabatur Judæis annuntians quæ ante dixerat per Prophetas. Quia ergo di-

[1] Philip. III, 20. — [2] Luc. X, 20. — [3] Id. XX, 36. — [4] Matth. XXV, 34. — [5] 1 Joan. III, 2. — [6] Matth. V, 48. — [7] Num. XII, 6.

Digitized by Google

versa erat capacitas visendi Dominum, ut bonus medicus, sicut infirmitas exigebat, et diversa remedia hominum infirmitatibus conferebat, ideoque languenti sæculo in fine plus contulit medicinæ, ut et illorum primorum virtus præpotens monstraretur, et nostri generis periculosa infirmitas nosceretur, dicente Domino : « Non egent sani me» dico, sed qui infirmi sunt[1]. » Majores sunt itaque priores illi, qui audientes credebant, ut Seth, Enoch, Noë, et cæteri, quam nos, qui et audientes atque legentes misericordiam Christi Domini, et bonitatem ejus contemnimus copiosam : nam et Judæorum causa et aliis locutus est linguis, ut compleatur quod, « In linguis aliis, et labiis loquar » huic populo[2], » et nec ita erunt crediturí, dicit Dominus ; nam per Isaïam dicit : « Verbum meum mittam in » Achaïam[3]. »

CXI. DE ANIMALIBUS QUATUOR IN PROPHETIS, HÆRESIS NIMIS CRASSA.

Alia est hæresis, quæ cum legit quatuor animalia in prophetis[4], non parvum errorem persentit, æstimans quod animalia diversa forma prædita Deum collaudaverint : ignorantes quod irrationabilia, id est, non rationis capacia, Deo laudem ut homines referre non possunt. Neque enim Deus laudem pecudum quærit, quia non pecudes ad imaginem Dei factæ, sed homines rationabiles a Deo sunt creati, et ad hoc positi. Sed quia visio est Prophetarum divino Spiritu prædicata, hinc sanctorum populorum quatuor diversæ virtutes, diversaque certamina nuntiabantur adventura sæculo in diversis doctrinis ac virtutibus, in diversa sublimitate eminentiæ :

[1] Num. xii, 6. — [2] Matth. ix, 12. — [3] Isaï. xxviii, 12. — [4] Ezech. i, 5, et Apoc. iv, 6.

Digitized by Google

quod leonis, vituli, hominis et aquilæ, quorum diversæ doctrinæ ac merita fulgentia præcurrebant. Primum in Patriarchis regalis auctoritas, in Prophetis deinde scientiæ cœlestis fœcunditas, in Sacerdotibus labor fortis, et pertinax concertatio cerneretur, in Apostolis volatus sublimis in cœlum, et eminens dignitas monstraretur. Utque formarum ante diversitas nuntiabat, diversarum quippe virtutum cœlestia merita in Christi præsentia manifestarentur in sæculo, ab eo quippe concessa Domino Salvatore; nam in leone regnum fortitudinis, in vitulo labor exuberans, in homine passio indesinens, in aquila volatus sublimis agnoscitur, certantium scilicet atque micantium, Apostolo dicente : « Nostra conversatio in cœlis est [1]. » *Et*, « Rapiemur in cœlum, et erimus semper *cum Christo* [2]. » Et Dominus dignatus est dicere : « Pater ubi ego sum, » volo et isti sint [3]. »

CXII.

Sunt quidam dubitantes hæretici de die Epiphaniorum Domini Salvatoris, qui celebratur octavo Idus Januarias, dicentes solum Natalem debere eos celebrare Domini octavo Calendas Januarias, non tamen diem Epiphani*orum*; ignorantes quod sub lege et secundum, Salvator carnaliter omnia in se et de se consummabat, ut et nasceretur octavo Calendas Januarias et appareret sexto. Apparuit Magis post duodecim dies in templo. Ne ergo umbra quod verum erat pareretur et sic a Magis adoraretur, per ordinem quippe pro nostra salute et annui dies festivitatis majores isti statuti sunt, quatuor primum in quo natus est ; deinde in quo apparuit, id est, duodecimo die ; post in quo passus est in Pascha ; in fine vero in quo ascendit in cœ-

[1] Philip. III, 20. — [2] 1 Thess. IV, 17. — [3] Joan. XVII, 24.

Digitized by Google

lum, circa Pentecosten vincentis est quippe consummatio : qui ergo unum ignorat prætermittit. Potest et de aliis diebus dubitare non habens plenitudinem veritatis, quod secundum tempora quatuor cujusque anni ita nobis diversa gaudia a Christo Domino pullularunt, id est, in quo natus est ; post in quo apparuit ; tertio in quo passus est, et resurrexit, et visus est ; quarto in quo ascendit in cœlum ; et hæc per annum sine intermissione celebremus generaliter exultantes, atque hæc integra inviolataque custodientes detineamus. Quidam autem diem Epiphaniorum baptismi, alii transformationis in monte quæ facta est, esse opinantur.

CXIII. DE LEVITICO MOSIS ERROR.

Alii sunt hæretici, qui legis præcepta quæ per Mosen dicta sunt in Levitico Judæis carnaliter, nostroque in tempore spiritaliter revelata sunt ignorantes, summam rerum festivitatem numerumque earum cœlestis utilitatis prætereunt, nescientes quid celebrent, putantes quod de sabbatis solum, et Pascha, et azymis Moses præceperit, et non de octo festivitatibus quas Ecclesia catholica cognoscit et detinet. Dicit enim ita Moses Judæorum populo primum de Neomenia et sabbatis, secundo de Pascha, tertio de azymis, quarto de manipulis, quinto de tubicinatione, quæ græce σάλπιγξ dicitur, quæ celebrant Judæi per annum solenniter, sexto autem jejunium, septimo tabernaculorum constructio, octava quæ est plenitudinis fructuum, pomorumque vindemia Octobris mensis, omnium postrema collatio, et consummatio, quæ et secundum menses octo diversitas juxta litteram celebratur a Judæis, et secundum spiritalem scientiam incipientibus mense Martio in octavo mense, id est, Octobri, consummate omnia per ordinem

Digitized by Google

a Christo Domino conferuntur, quæ sunt plena salutis æternæ pignora, in fide atque opere christianitatis consummanda, atque comprobanda : nam etsic tunc temporis jubebantur Judæi Deo offerre horum mensium diversa munera, ut recedentes ab idolis Deo, esse cognoscerent offerenda hæc omnia, attamen illa oblationis spiritalis habebant indicia, quæ in octava perfectione virtutum, id est, diei dominicæ plena fructuum gratia in fide resurrectionis Domini immortale præmium pignusque Divinitatis subeundæ erunt angelici adepturi homines, non terrestris jam oblationis offerentes munera, id est, vitæ carnalis sacrificia, sed cœlestis gloriæ participationem quippe sperantes a Christo Domino consequi Salvatore. Octies enim offerentes dona annua, et octavi diei quippe *plenitudinem* cognoscentes, divinique Spiritus accincti fortitudine, id est, summa rerum perfectione præditi, de hoc exeuntes sæculo, resurrectionis illic promissam gloriam se posse consequi, cœlestisque dignitatis consortio copulari non desperant, quod Dominus dignatus est dicere : « Tunc eritis sicut Angeli [1]. » Justis omnibus et perfectis hoc prædicans, quod et David dixit pro octava annuntians [2].

CXIV. HÆRESIS, SEPTUAGINTA DUORUM INTERPRETATIONEM RESPUENS.

Sunt hæretici, qui sicut Judæi Septuaginta duorum sanctorum, sapientissimorumque virorum interpretationem respuentes, Aquilæ cujusdam hominis unius Pontici, qui post annos multos interpretatus est, editionem suscipiunt. Qui cum quædam prætermisisse necessitate urgente tunc temporis cogerentur, dissonantia putantur dictasse. Is veluti plus a quibusdam Judæis maxime intellexisse lauda-

[1] Matth. XXII, 39. — [2] Psal. VI, 1, et XI, 1.

Digitized by Google

tur, cum de Patre et Filio, non sicuti illi priores de lege dictaverint. Septuaginta enim duo dixerunt : « Adversus » Dominum, et adversus Christum ejus [1]. » Aquila autem, « Adversus Dominum, et adversus Unctum ejus. » Et iterum : « Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium [2]. » Septuaginta duo dixerunt : « Et nomen ejus, Deus nobis- » cum. » Aquila autem dixit : « Ecce juvencula concipiet, » et pariet filium, et nomen ejus, potens cum hominibus. » Quæ quidem si pio sensu lectionis accepta fuerint, quo fortis et potens nemo nisi Christus Deus Dei sit Filius, recte intelligit; si autem de eo dubitat, abjicienda, et spernenda est talis editio. Unde Judæi non septuaginta duorum interpretationes habent, qui de Patre, et Filio, et sancto Spiritu bene sentientes, unam substantiam, Divinitatem, majestatemque enuntiarunt, sed illius Aquilæ, qui non ita recte sentit de Filio Dei, sed quasi de Propheta nuntiaverit. Unde interpretationes ejus in medio librorum nunquam ponuntur, sed dextræ levæque assignantur. Et ut contraria, et non plenæ veritatis ita leguntur a plurimis. Septuaginta vero duorum decreta atque consulta, ea legens Ecclesia catholica semper habet, et detinet incunctanter; illius autem quasi superflua ita æstimat esse et judicat. Hæc etenim, id est, septuaginta duorum interpretatio sub Ptolemæo rege Ægyptiorum, post Alexandrum Macedonem est edita omnibus, populoque Judaïco in Jerusalem data est, cum habitarent non multi Judæi, velut in subjectione jam positi regis Ægyptii, rogatique ab ipso Ptolemæo, ut interpretes mitterentur Alexandriam. Quo cum venissent septuaginta duo sapientes, ac prudentes viri interpretes, secundum jussum regis hebræam linguam græco sermone interpretati, græcis litteris ediderunt, sicuti et factum est. Cumque suscepisset eos Ptolemæus rex Ægypti, tentare

[1] Psal. II, 5. — [2] Isai. VII, 14.

Digitized by Google

volens si esset eorum divina Scriptura, quam legebant Judæi, separatim quemque jussit includi in cubiculum, nullumque videre alium, nisi solo excepto eo, qui interpretem exciperet dictantem : omniumque accipiens postea interpretationem quotidie cum consentientem in unum inveniret editionem omnium, jussit conscribi atque poni in templum, ut venientibus de Achaïa, de Græcia, atque aliis provinciis philosophis, poëtis, et historiographis cupientibus, legendi copia non negaretur. Unde et maxime argumenta sumentes philosophi, poëtæ, oratores atque historiographi sicuti voluerunt ad suæ paganitatis mendacia transtulerunt, aliisque nominibus rudes puerorum animos edocentes, legem Dei divinam irritam sæculo facere properarunt, impietatisque semina in sono verborum, in periculosis sententiis confirmarunt, quorum causa dicebat et Dominus, fures atque latrones eos fuisse, in omnibus atque ab omnibus cognoscendos [1].

CXV. HÆRESIS ALTERA DE SEPTUAGINTA INTERPRETIBUS.

Est hæresis, quæ iterum post Aquilam triginta hominum interpretationem accipit, non illorum beatissimorum septuaginta duorum, qui integre inviolateque de Trinitate sentientes, Ecclesiæ catholicæ firmamenta certissima tradiderunt interpretantes Scripturas. Isti triginta in multis Aquilam sunt secuti, unde ab Ecclesia catholica et istorum non suscipitur interpretatio, quæ continetur in libris authenticis.

CXVI. ALIA HÆRESIS DE EADEM RE.

Est hæresis, quæ iterum sex virorum interpretationem

[1] Joan. x, 8.

Digitized by Google

postea editam vult sequi, non illorum priorum sanctorum, qui septuaginta duorum aliis modis interpretari desiderant, non parvum errorem incurrit, diversa itidem sentiens de fide catholica.

CXVII. TERTIA HÆRESIS DE EADEM RE.

Sunt hæretici alii, qui Theodotionis et Symmachi itidem interpretationem diverso modo expositam sequuntur, non illam beatissimorum priorum, quam Ecclesia catholica colit et prædicat.

CXVIII. HÆRESIS DE LIBRIS VETERIS TESTAMENTI IN DOLIO INVENTIS.

Est alia hæresis, quæ de dolio inventos libros post captivitatem, postque incensionem prolatos et non consentientes interpretationi primæ sanctorum virorum vult sequi, cum Ecclesia catholica septuaginta duorum interpretationem legat, colat et prædicet : alia autem supervacua, et contraria tantæ editioni contemnit et abjicit.

CXIX. HÆRESIS QUOD DIIS ALIENIS NON SIT MALE DICENDUM.

Sunt quidam hæretici non intelligentes quod dicit Scriptura : « Diis alienis non maledicetis [1]. » Et ita observant, putantes de vanitate paganorum dixisse, atque ita sentientes, non parvum salutis suæ sustinent detrimentum. Cum enim Moses dicat : « Templa eorum destruetis, idola » frangetis [2]. » Et Abraham beatissimus frangens idola, justificatus est. Et Gedeon nocte incendens idola et frangens, a Deo tantum virtutis meruit impetrare, ut cum

[1] Exod. xxii, 28. — [2] Id. xxiv, 19.

Digitized by Google

paucis infinitos vinceret inimicos : omnesque justi, ut Elias et alii itidem, quomodo ergo hic æstimat homo imprudens, de idolorum dixisse vanitate, iisdemque non esse maledicendum ? cum David dicat : « Similes illis fiant qui » adorant ea [1]. » Hic itaque diis non esse maledicendum alienis cum dicit, est justis ab origine mundi colentibus pietatem veram, id est, Angelis, et sanctis aliis veræ fidei dedicatis non esse maledicendum : nam omnes justi maledixerunt idolis et fregerunt ea, indeque meruerunt gratiam, ut Moses fecit de monte descendens, sive eo quod Christi nuntii, hi sunt dii, ut Moses Pharaoni et Ægyptiis, cum Scriptura clamet : « Ego dici : Dii estis [2]. » Utique qui sanctam adorandamque Trinitatem colentes forti fide prædicant, qui et omnes justi, vere beati et sancti sunt, et ut dii infidelium scilicet dignoscuntur, quia ait Dominus : « Ad quos fuit verbum Dei [3], » et per eos prædicatum est, incredulorum dii ipsi sunt appellati, ut Paulus, Barnabas et Moses Pharaoni : qui non sunt maledicendi, sed modis omnibus collaudandi atque honorandi, et glorificandi, ut dixit David : « Timentes autem Dominum glorificavit [5] : » Et Dominus : « Glorificantes me glorificabo [7]. » Non ergo intelligentes virtutem Scripturarum ex littera paganitati consentiunt, et alieni a christianitate reperiuntur. *Quia* ergo non credebant justis Judæi Prophetis, et *aliis talibus*, alieni et isti sicut et pagani judicabantur a Domino per Scripturam, atque ita nuntiabatur, ne maledicerent suis doctoribus, et Prophetis et justis aliis.

CXX. HÆRESIS DE MELCHISEDECH SACERDOTE.

Sunt quidam legentes hæretici in Genesi de Melchise-

[1] Psal. cxiii, 8. — [2] Id. lxxxi, 7. — [3] Joan. x, 35. — [4] Psal. xiv, 4. — [5] 1 Reg. ii, 30.

Digitized by Google

dech sacerdote atque rege [1], qui erat in Salem civitate tunc temporis ita nominata sub Abraham beatissimo patriarcha, de quo ait Scriptura : « Sine patre, sine matre » fuisse genitum eum [2], » cum sit hoc contrarium ita sentire. Scriptura enim non de carnali eum generatione editum esse negavit, sed de justis eum non genitum parentibus declaravit, qui naturali studio, de mandato pristino ad tantam Christi pervenire meruit scientiam, ut quæ a parentibus suis non audierat, proprio tamen studio majora Christi mysteria per mandatum agnosceret offerenda, cum dicat Dominus per Prophetas : « Ecce ego facio nova [3] : » Et, « Prius quam veniant, annuntiata sunt vobis [4]. » Et, « Nolite meminisse præterita [5], » quæ in lege carnaliter dicta sunt. Et Salvator ait : « Quod nascitur de carne, » caro est, et quod nascitur de Spiritu, Spiritus est [6]. » De hoc enim cum dicit : « Sine patre, sine matre editum, » sine traditione atque doctrina parentum eum fuisse inquisitorem Scriptura nuntiavit, naturaque potentem ad panem cœlestis sapientiæ, id est, Christi mysterii per mandatum declaravit advertentes : quod sciens Apostolus, naturam hominum cœlestis scientiæ ac pietatis esse capacem in omnibus, prædicabat ita : « Cum enim gentes quæ legem non » habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, isti legem » non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis » scriptum in cordibus suis, et cætera [7]. » Quod etiam ait Dominus Petro : « Quia caro et sanguis non illi revelasset, » sed Pater qui in cœlis est [8] : » fidem quippe Domini Salvatoris ostendens. Ideoque et ipse iterum Dominus : « Si » quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit, » inquit, in regnum cœlorum [9]. » Et iterum in lege : « Qui

[1] Gen. XIV, 18. — [2] Hebr. VII, 3. — [3] Isai. XLIII, 19. — [4] Id. XLVIII, 5, 6. — [5] Id. XLIII, 18. — [6] Joan. III, 6. — [7] Rom. II, 14, 15. — [8] Matth. VI, 17. — [9] Joan. III, 5.

Digitized by Google

» dixerunt patri et matri: Non novimus vos, isti custodie-
» runt mandatum meum, dicit Dominus [1]. » Non genituram parentum odiendam utique, sed impietatem eorum paganam spernandam atque damnandam esse modis omnibus collaudabat, cum dicat: « Si quis non renuntiaverit suis om-
» nibus, non erit dignus regno cœlorum [2]. » Hic igitur beatus Melchisedech cum de alienigenis, id est, Chananæis impiis fuisset editus, contempta impietate parentum, cum capax legis divinæ cœlestisque esset, et suo studio, ut Dei imago inquisito Dei mysterio, contemptis impiis parentibus, non solum cognoscere Christum Dominum ante in mandato, insuper etiam ejus cœleste mysterium meruit intuens et intelligens celebrare. Ideoque et Apostolus pabtizatis dicebat: « Vos autem non estis in carne, sed in
» Spiritu [3]. » Duorum igitur populorum Melchisedech, et Abrahæ erat tunc in unum societatis conjunctio, præcepta quippe et circumcisionis conveniens ratio, ut Melchisedech quidem personam Christianorum gereret, ita ut nos vivamus et celebremur in omnibus. Judæorum autem figuram Abrahæ circumcisio, Christi quippe fidei subdita, cœlestique ejus inserviens mysterio salutari: ut Abraham beatus Melchisedech sacerdoti magno erat subditus, cui insuper etiam decimas de suis facultatibus offerre non dubitaret ut regi atque sacerdoti Dei, quod nunc Judæorum docilitas subjecta nobis est. Cum velit ediscere atque a nobis de lege et Prophetis Christi mysteria paulatim agnoscere, atque in ejus passione cœlestem sperare scientiam de lege pariter et Prophetis.

CXXI. HÆRESIS DE ZACHARIA PROPHETA ET DE JEJUNIO.

Sunt quidam legentes in Zacharia quo dicit: « Jeju-

[1] Deut. xxxiii, 9. — [2] Luc. xiv, 33. — [3] Rom. viii, 9.

» nium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et » jejunium decimi erit domui Israël in exultationem et gau- » dium[1]. » Quid ergo, si quis omnem septimanam voluerit, aut menses jejunare multos, in præjudicium incursurus est? Absit, imo potius laudem habebit ampliorem, ut multi Prophetæ fecerunt, et justi homines quotidie faciunt plurimi, sed cum dicit quatuor jejunia, veluti dies quatuor jejunandos decernit. Non autem nobis dixit, aut mensis alicujus, aut anni, sed sic absolute prædicavit, ut mysteria christianitatis ipsis quatuor jejuniis nuntiata cognoscamus; nam per annum quatuor jejunia in Ecclesia celebrantur. In natali primum, deinde in Pascha, tertium in Epiphania, quartum in Pentecoste. Nam in natali Salvatoris Domini jejunandum est, deinde in Pascha quadragesima, atque in Ascensione, itidem in cœlum post Pascha die quadragesimo, inde usque ad Pentecosten diebus decem. Id quod postea fecerunt beati Apostoli post Ascensionem, jejuniis et orationibus insistentes, ut scriptum est[2], quod meruerint in Pentecoste plenitudinem divini Spiritus, et perfectionem consequi potestatis, ut irrigatione divini Spiritus affluente, jam armis instructi cœlestibus, omni dubitatione seposita, in qua erant ante, postea autem doctores invicti et gloriosi Martyres ipsius Domini fieri quotidie properabant, Judæos et paganos edocentes, eisque de lege et Prophetis Christum ubique Dominum cum Patre sempiternum Prophetarum testimoniis comprobantes, ejusque præsentiam carnalem saluberrimam orbi terrarum annuntiantes. Alii autem putant secundum quatuor tempora anni cujusque dixisse Scripturam. Alii autem de Noë dixerunt, quando audiit et credidit, inde cum arcam confecit: postea autem cum intravit in eam, quarto quando exivit de arca. Alii autem Judæorum Israël dixisse Scrip-

[1] Zach. VIII, 19. — [2] Act. I, 14.

Digitized by Google

turam arbitrantur, quod cum audivit populus primum in Ægypto per Mosen tunc temporis et credidit, liberatur de Pharaone et Ægyptiis : deinde quod exivit de Ægypto : tertio quod in montem ivit, et accepit legem a Domino Salvatore ; quarto quod intravit in terram repromissionis, sed non omnes introierunt, sicut scriptum est, nisi duo soli, Jesus et Chaleb, ut dixit Scriptura. Alii autem dixerunt : Quatuor jejunia sunt Ecclesiæ ista in quatuor libris Mosi : quia primum fecit Deus omnia in Genesi et hominem [1], ut scriptum est. Secundo in Exodo, quo de tenebris liberatus exit omnis homo credens in Christum Deum : tertio quo in Levitico offert sacrificia diversa, quæ sunt omnia christianitatis mysteria. Quarto post *oblationem* spiritalium donorum in libro Numeri mereatur *omnis fidelis* conscribi, quod ait et Dominus : « Gaudete, quia no» mina vestra scripta sunt in libro cœlorum [2]. » Ideo et David de Judæis dicit : « Deleantur de libro viventium et » cum justis non scribantur [3] ; » et ipse iterum : « Et in » libro tuo in te credentes conscribentur [4]. » Hæc etiam jejunia in quatuor Evangelia nos oportet accipere de Patriarchis, Prophetis, Sacerdotibus, et Apostolis, quæ in nobis complenda sunt. Quod primum fides Patriarcharum, deinde virtus Prophetarum, tertio labor Sacerdotum, quarto Apostolorum perfectio invicti certaminis nuntiantur, quæ diversæ virtutes invicem cum suis virescunt connexæ temporibus, et docentes homines diversa jucunditatis gaudia desiderantibus et capientibus subministrant.

[1] Num. xiv, 30, et xxxii, 12. — [2] Luc. x, 20. — [3] Psal. lxviii, 29. — [4] Id. cxxxviii, 16.

Digitized by Google

CXXII. HÆRESIS DE UXORIBUS ET CONCUBINIS SALOMONIS.

Sunt hæretici, qui cum legunt in Salomone, « Sexaginta » reginæ, et octoginta concubinæ, et juvenculæ quarum nu- » merus non est[1] (20) : » putant eum mulierum causa et juvencularum atque concubinarum numerum edixisse. Cumque ita sensiunt, infructuosi, imo potius ut pagani, impii, et Judæi ineruditi atque indocti judicantur, ignorantes quod hæc rationabilia sunt et intellectibilia ab eodem nuntiata, quæ in Christi majestate et potentia diversa gratiarum munera humano generi ostendebantur adventura, diversisque temporibus voluntati hominum ac capacitati desiderantium ab eodem impertita, non denegantem parem gratiam, sed juxta quod capere potuisset voluntas hominum nosceretur, ipso Domino tribuente atque conferente quærentibus studiose, cum dicat beatus apostolus Petrus : « In veritate cognosco quod Deus personarum accep- » tor non est[2]. » Et Paulus apostolus itidem : « Deus hominis, » inquit, personam non accipit[3]. » Ex voluntate itaque juxta quod quisque desiderat, ita et a Deo Christo ei tribuitur atque impertitur quotidie. Diversæ igitur dignitates, ac diversæ gloriæ a Salomone nobis nuntiatæ sunt. In mandato quippe, lege, et Christi gratia omnia quæ et primo et secundo et postremo tempore, populis per diversa meritorum collata sint munera dignitatis, ut priori populo, deinde Judæorum, tertio Christianorum, qui ab illis prioribus qui ante Judæos fuerunt, cum edocemur in Christi præsentia itidem diversam effusam gratiam capientibus et quærentibus quotidie pervidemus effundi. Nam quod aliæ animæ ad regimina, aliæ ad conjunctionem, aliæ ad incre-

[1] Cant. VI, 7. — [2] Act. X, 34. — [3] Rom. II, 11.

Digitized by Google

mentum perfectioris ætatis in conjunctionem futuræ fidei Christi Domini vocentur, manifestum est, dicente Apostolo : « Qui cohæret Christo Domino, unum corpus est [1]. » Nam ubi reginæ nomen dicitur, regni cœlestis manifestatur excellens nobilitatis sublimitas, quod et Dominus vocationem multorum prædicans, paucorum electionem annuntiat affuturam. In quibus triplex virtutis dignitas enitescit et in Evangelio, dicente Domino ad illum : « Si vis » esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes et da pau» peribus, et veni sequere me : et habebis thesaurum in » cœlo [2]. At ille tristatus est, » inquit, ut scriptum est. Ergo et si ante generaliter secundum temporis divisionem populorumque factum est, tamen in Christi præsentia triplex gratia resplendet ac dignitas, ut alii perfecti, alii sequentes, alii post ea secuturi demonstrarentur, non in uno modo dignitatis, id est, regni cœlestis inveniendi, sed secundum fidem ac laborem eorum atque diversa certamina mercedem congruam adepturi, dicente Domino : « Multæ » mansiones sunt apud Patrem meum [3]. » Ideo et David animam ad regimen vocatam modis omnibus collaudat, edocens : « Astitit regina a dextris tuis [4]. » Aliam etiam sequi hortatur : « Audi, filia, et vide, et obliviscere domum » patris tui, et concupiscet rex speciem tuam [5]. » *Ut ergo* est rationis, convenit cognoscere quod alii in regnum, alii in paradisum, alii in vitam atque remissionem peccatorum in futuro erunt deputandi, quod non negatur currentibus ac volentibus nunc ut oportet : dissimulantibus autem, et non recte currentibus, a Domino hæc non erunt conferenda.

[1] I Cor. VI, 17. — [2] Matth. XIX, 21, 22. — [3] Joan. XIV, 2. — [4] Psal. XLIV, 10. — [5] Ibid. 11.

Digitized by Google

CXXIII.

Est hæresis quæ putat quod Jesus, filius Nave, populum Judæorum cultris lapideis circumciderit, quod nec rerum natura, nec virtus, aut ratio persuadet: facilius enim Judæi periclitari poterant, quam curari, etsi secundum Dei potentiam quam impossibile non est, aliquid tamen rerum natura non patitur, nec ratio persuadet. Ne ergo petrinis cultris dicant circumcisos Judæos de paganorum durissimis mentibus ac lapideis, quæ antea fuerant quidem impietati deditæ, postea vero credentes in Domino amissa mente lapidea meruerit, id est, verbo Dei circumcidi mente, doctrinamque jam cœlestis potentes Judæos circumcidere, id est, Christi eis insinuare scientiam salutarem de lege et Prophetis, eam quippe nuntiantes atque comprobantes undique. Quamvis enim et quotidie circumcidantur Judæi ab his, qui antè erant gentiles, id est, doceantur de lege et Prophetis, de fide Christi Domini scilicet Salvatoris; qui si crediderint, et ipsi salutis remedium accepturi sunt; perseverantes autem in duritia mentis lapideæ, æterno erunt judicio detinendi. Idcoque et Dominus in eorum contradictione pertinaci dicebat quod filii eorum, id est, pagani, ipsi erunt judices eorum atque doctores[1]; id est, gentium populus, qui ante in mente lapidea versabatur, postea vero per Christi fidem meruerit ad scientiam salutarem pervenire. Israël autem secundum legem currens, ut scriptum est, ad legis virtutem pervenire non potuit[2], quia non ex fide, sed ex operibus currere properabat. Jacob enim dicit quod ipse erit spes gentium[3], non Judæorum. Oportet ergo gentes credere universas primum, tunc demum ab ipsis gentibus Judæos discere,

[1] Matth. xii, 27. — [2] Rom. xi, 7. — [3] Gen. xlix, 10.

Digitized by Google

ac doctrinam Christi Domini de lege et Prophetis audire, atque ita acquiescere ; ut compleatur, « Donec plenitudo » gentium intret, et sic omnis Israël salvabitur[1], » sicut scriptum est. Et alter Propheta ait : « Aufer ab eis cor la- » pideum, Domine, et da illi cor carneum[2]. » Et Dominus : « Si isti tacuerint, lapides clamabunt[3]. »

CXXIV. HÆRESIS DE SPIRAMINE QUOD ADAM ACCEPIT.

Alia est hæresis, quæ spiramen quod accepit Adam putat tantum esse, quantum est a Christo post resurrectionem concessum Apostolis : cum ignoret quod spiramen est modicæ virtutis aliqua gratia in audienda lege *Dei multorum* primum. Spiritus autem perfectionis est plenitudo. Spiramen itaque datur ab infantia et cathecumenis, spiritus autem in incremento doctrinæ fideique et salutaris baptissimi plena Dei gratia, ut intelligere, et ad majorem jam possit scientiam pervenire. Ideoque post baptismum, jam non spiritum ut Apostoli, sed spiramen accipit qui baptizatur in Trinitate. Commune est enim omnium spiramen. Spiritus autem paucorum est fidelium atque credentium, et discentium, et veluti ab honore ad honorem, et a gloria ad gloriam majorem cœlestemque scientiam et *gratiam* pervenientium, dicente Apostolo : « Quod a *fide in fidem* » procedimus[4] » et, « A gloria ad gloriam prodire propera- » mus[5]. » Ideoque ait ipse : « Primus homo de terra terre- » nus, secundus homo de cœlo cœlestis[6], » ut et natura non exsors Christi muneris inveniatur aliena penitus, id est, nec catechumenus, et fides atque doctrina, studiumque et vita prædicata in paucorum fidelium et cupientium voluntate dignosceretur exuberans, dicente Domino : « Habenti

[1] Rom. xi, 25. — [2] Ezech. xi, 19. — [3] Luc. xix, 40. — [4] Rom. i, 17. — [5] 2 Cor. iii, 18. — [6] 1 Cor. xv, 47. —

Digitized by Google

» dabitur, et plus ei adjicietur. Non habenti autem, et » quod videtur, auferetur ab eo[1]. » Quod Judæo contigit, et aliis itidem plurimis.

CXXV. HÆRESIS DE FUNICULO MENSORIO IN ZACHARIA PROPHETA.

Est hæresis, quæ cum audit in Zacharia propheta de funiculo agri-mensorio, de quo et David edixerat[2], quod Angelus tenens ibat mensurare Jerusalem[3], æstimat secundum litteram ita dixisse Scripturam : cum non Jerusalem metiri, quæ tradi debebat hostibus, sed credentium recte atque paucorum perfecte electio nuntiabatur per Angelum affutura, ut dictum est : « Multi vocati, pauci » electi[4]. » Jerusalem ergo in funiculo agri-mensorio mensurabatur, id est, et ante sub paucis, et post fidem Christi paucorum catholicæ fidei gignendo electio prædicabatur in sæculo. Quod et Apostolus ait : « Oportet hæreses esse, » ut probati manifestentur[5]. » Quia ergo funiculus hæreditarius triplici virtute connexus est, id est, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, hæc conjunctio cum in una eademque accipitur fide atque credulitate ; æqualitatis quippe, et virtutis conjungenda unitas, atque colenda potentia cum noscitur ab Ecclesia catholica, non in diversa majestatis aut qualitatis credenda substantia prædicatur, ut quidam æstimant hæretici. Quod et Dominus dicere dignatus est : « Putas Filius hominis cum venerit, inveniet fidem super » terram[6] ? » Quia et ante a Propheta quod tunc erat in paucis, et post Christi præsentiam, passionem, et resurrectionem ejus, divinamque sententiam quod essent prævaricaturi, hoc ita nuntiatum sit, ut sint hæretici hodie qui a

[1] Matth. XIII, 12, et XXV, 29. — [2] Psal. LIX, 6. — [3] Zach. II, 1. — [4] Matth. XX, 16, et XXII, 14. — [5] 1 Cor. XI, 19. — [6] Luc. XVIII, 8.

Digitized by Google

Spiritu sancto, aut à Filio recedentes diversam majestatis et potentiæ inæqualitatem quotidie prædicant aberrantes. In hoc ergo nos oportet agnoscere, « Quod funiculus, ut » ait Salomon, triplex non disrumpitur[1], » Quod et credi debet a nobis, quod et de divina substantia; et propria, Filius et sanctus sit itidem Spiritus : Patri quippe connexus in omnibus, qui et cognosci debet et coli ab omnibus. In hac ergo conjunctione baptismi et Salvator nos dignatus est confirmare, imperans : « Euntes baptizate » omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti[2], » In quo conjungentes Filium Patri, et Spiritum cum Filio et Patre, hanc salutem cognoscimur adepturi, quia non aliunde salutis remedium, nisi ex fide hac humano generi cognoscimus affuturam. Unde et in hac conjunctione sanctæ adorandæque Trinitatis gaudemus, in qua ante Adam pater noster, Noë, Abraham, Moses et Prophetæ Sacerdotes, Judices, et Apostoli, pariter et Evangelistæ prædicantes meruerunt consequi angelicam dignitatem, in qua et Ecclesia catholica exultat, hoc prædicans quotidie atque edocens, eamdemque hanc omnem impietatem paganam et iniquitatem judaicam destruens quotidie, omni exultat in gaudio. Nam etsi triplex funiculus debet accipi primum mandati, deinde legis in medio tempore, deinde gratia Salvatoris, utilitatis non parvæ est, aut si de fide, spe atque charitate[3], ut dixit beatus Apostolus, quis velit accipere : et in hoc non parvi est intellectus prudentioribus ac spiritalia desiderantibus plurimis.

CXXVI.

Sunt quidam hæretici qui de Elia beato opinantur quod ei corvi sero carnes ad escam, et mane panes attulerint,

[1] Eccle. IV, 12. — [2] Matth. XXVIII, 19. — [3] I Cor. XIII, 13.

Digitized by Google

non attendentes quod cuncta sanctus et beatissimus Propheta non carnes edebat aliquando, qui omnem talem escam contempserat, abstinendo voluntate, cujus et causa tantæ dignitatis a Deo honorem meruit adipisci, ut in paradisum raperetur sublimis, ubi cum sanctis omnibus collocaretur. Nam si de pane quidem aliquis dixerit, rationis interdum est quod ei corvi attulerint : de carnibus autem incongruum reperitur; nam in hoc crudelitas bellua hominum insequentia beatissimum Prophetam ostendebatur : in avibus autem, id est, corvis tantum mansuetudo et lenitas monstrabatur, ut a quibus avibus humana aberat ratio, qui non erant Dei imagines rationabiles, sed aves sicut pecudes sensibiles creatæ solummodo, in eis autem avibus ad opprobrium hominum Judæorum regisque ex voluntate pessima insequentium Propheta agnitio et sensuum lenitas insita monstraretur in opera tanti ministerii quod beato Prophetæ quotidie monstrabantur, ut in eis avibus ministrabantur, ut in eis avibus magis inveniretur esse ratio quædam lenitatis motu quodam modo concessa velut rationabilis. Nam omnia hujusmodi creata a Domino subjecta sunt homini ut regi ac rationabili dominoque urbium versitatis (*sic*) pecudum, volatilium et serpentium, quippe sicut scriptum est in libro Geneseos demonstratur.

CXXVII. HÆRESIS DESCRIPTA EX ISAIA PROPHETA DE CHERUBIN ET SERAPHIN.

Est quoque hæresis, quæ cum legit in Isaïa propheta, quod Cherubin et Seraphin animalia duo sex pennis præditâ, duabus faciem Dei, duabus pedes tegebant, et duabus clamabant voce sublimi Deum collaudantes, nimium

Digitized by Google

conturbatur[1] : et nunc historiam quærens, nunc rationem intellectibilem perscrutans, diversa ambiguitate fatigatur, cum et secundum litteram non parva sit utilitas, et secundum intellectibilem rationem Christi resonet cœlestis scientia : secundum litteram enim primum, quod Deum invisibilem Scriptura docendo, impietatem ubique paganam damnabat, in quo Scripturæ illorum impiæ visibilem et compositum prædicant. Deinde etiam Judæorum, ne et ipsi pari cæcitate obtecti, ut gentes impiæ corrupti sensibus deperirent, hoc ita edocuit. Sed hic etiam erat Judæorum futuri temporis in Christi præsentia incredulitas et coopertio annuntianda mysterii : quod cæcitate operti nimia, nec Prophetæ, nec ipsi Domino erant *postmodum* crediturі, cum missus ad populum prædicat manifeste : « Aure audietis, et oculo videbitis, et non intendetis[2]. » Cooperti quippe tenebris lucem salutis æternæ, id est, Christi carnalem, præsentiam non erant agnituri, sicut et factum est. Quod Apostolus docens, « Velamen esse usque » hodie in cordibus eorumdem positum affirmavit[3] : » quod non revelabitur usquequo Christum non crediderint Salvatorem. Ubi autem conversi fuerint, id est, crediderint in Christum Dominum, auferetur velamen ab eorum cordibus. Quod autem et duo animalia nuntiata sint *Cherubin* et Seraphin, lex quippe et Prophetæ, testes *Christi* et doctores sæculi, non est ambiguum. Velabant autem faciem et pedes Domini, sive quia in parabolis, et similitudinibus, et ænigmatibus docebatur mysterium, ut scriptum est : « Aperiam os meum in parabolis[5]. » Et David : « Revela » oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua[6], » et Apostolus : « Filium suum, inquit, Pater revelavit mihi[7], » id est, de lege atque Prophetis ostendens. Sex autem pennæ

[1] Isaï. VI, 2 et, seqq. — [2] Ibid. 9. — [3] 2 Cor. III, 15. — [4] Matth. XIII, 35, et Psal. LXXVII, 2. — [5] Psal. CXVIII, 18. — [6] Galat. I, 16.

Digitized by Google

erant eis, et duabus quidem faciem, et duabus pedes cooperiebant, duabus autem clamabant, ne forte faciem et pedes cum dicit Domini coopertos, quod sursum atque deorsum est, et longitudo et latitudo de Deo monstraretur, quod nec altitudo, nec profundum, nec latitudo, nec longitudo Dei potest cognosci aut inveniri condigne ab aliqua creatura, et maxime hominum, aut humanis quorumdam sensibus comprehendi : qui etiam tantam elementorum naturam immensamque creando perfecit, quanto magis qui talia fecisse cognoscitur modis omnibus antecellit? Solum autem per fidem noscitur : « Quia virtus, inquit, in » infirmitate, in similitudine et ænigmatibus perficitur atque » invenitur[1]. » Cumque tanta immensitas Dei dicitur atque nuntiatur duabus pennis, id est, a Cherubin et Seraphin, lege atque Prophetis canitur atque prædicatur. Duarum etiam pennarum clamatio die noctuque, id est, et hic, et in futuro, cordis quippe credulitas hominum atque oris confessio non desinens invenitur quotidie resonando, quæ et tunc canebatur ab Angelis atque ab hominibus prædicabatur in sæculo : ut quod videre in excelso, profundo, lato atque longo non poterant, corde credentes atque ore confitentes, indesinenti voce cantantes omni tempore lætarentur. Nam quod invisibilis et incapabilis sit divinæ qualitatis natura et substantia, in lege et Prophetis ostenditur, Joanne dicente : « Deum nemo vidit unquam[2]. » Non dixit : « Non credidit, sed, « Non vidit. » Ergo Dominus credendi potentiam, et confitendi solum fiduciam tribuit, ut virtus ejus in enarranda carnali fragilitate manifesta nosceretur : quod et Dominus ubique fidem suam prætendit hominibus, quam et ipse ante dederat, posteaque in sua præsentia confirmaverat. Cherubin autem et Seraphin quadriformia, id est, leonis, vituli, hominis et aquilæ, di-

[1] 2 Cor. XII, 9. — [2] Joan. I, 18.

Digitized by Google

versa sunt sanctorum pariter Virtutumque certamina fortiora præcellendæ eorum variæque dignitatis, Patriarcharum quippe et Prophetarum, Sacerdotum atque Apostolorum itidem cum Martyribus sociata, ut in quibus ante tanta fides et dilectio Christi exuberans noscebatur, impar autem doctrina in quibusdam postea cogente causa temporis canebatur, non impar tamen fidei, ac certaminis gloria in conjunctione diversæ virtutis monstraretur a Christo concessa atque condonata, inque omni Christianorum populo nosceretur, ut quod videre non possumus, nec humanis condigne sensibus definire, corde credentes, atque ore confitentes, his duarum pennarum virtutibus non desinamus Judæis et Gentibus hoc gaudii *prædicare* atque his sublimes Virtutibus ovolare, *sperantes* « Cœlestia, » ubi Christus est Dominus[1], » ut ait Apostolus, inque hac sententia salutem perpetuam posse consequi non dubitantes docente eodem : « Quod si credideris in corde tuo, et » confessus fueris Christum Dominum Salvatorem *corpore* » crucifixum resurrexisse, salvus eris : corde enim credi- » tur ad justitiam, ore autem confessio fit in salutem[2]. » Unde sit de Christo Domino, quod ejus qualitatis divina substantia non in visione et mensura aut compositione consistat aliqua, sed in fide virtutis atque *confessionis* nostræ exuberans consummatur, « Quæ *latitudo et* longi- » tudo, altum atque profundum sit scire, *inquit*, eminen- » tissimam et incomprehensibilem Christi Dei gratiam[3], » atque non est humanæ fragilitatis potenter exprimere, sed in fide atque per fidem facile posse contingere docuit, quod mens hominum non prævalet enarrare.

[1] Coloss. III, 1. — [2] Rom. X, 9, 10. — [3] Ephes. III, 18, 19.

CXXVIII. HÆRESIS DE ISAIÆ PROPHETÆ LABIIS TACTIS CARBONE.

Sunt quidam qui æstimant, quod Isaïas post confessionem populi peccatoris, ac precem quam supplex ad Deum effuderat, de Cherubin unus venerit missus a Deo ad Prophetam, et acceperit de forcipe carbonem, et tetigerit labia ipsius, aitque ei : « Ecce jam mundatus es [1]. » Putant aut de Angelis unum venisse ad eum, aut de animalibus, aut de forcipe ignem accepisse, et mundasse Prophetam, quod non est adeo scientiæ salutaris : cum hic de Cherubin aut Seraphin unum animal cum dicit, id de duobus Testamentis dicit, unde Patriarchæ, Prophetæ, Sacerdotes edixerint et Apostoli, qui mundo omni adventuram gratiam ostendebant, quadriformi virtute fulgentia munera ad certamina cœlestia capientibus ministrantes. Nam Cherubim plenitudo scientiæ dicitur, Seraphin virtus ignea peragrans appellatur. Hi itaque plenitudinem habentes scientiæ spiritalis, ac Christi mysterii tenentes divitias, diversas doctrinas jussu Domini nobis dimittunt et deferunt, omnique sæculo itidem sine quadam intermissione nuntiantes, ex quibus unus missus est ad Isaïam prophetam, hanc quippe Christi doctrinam annuntians, Salvatorem, quod erat adventurus in carnem, spiritusque divini credentibus allaturus gratiam copiosam. Isaïas itaque de Patriarchis, et lege et prioribus suis Prophetis acceperat gratiam fortiorem, id est, divini Spiritus potentiam ampliorem, a prioribus scilicet, ut Christi mysterium, id est, incorporationis ipsius sæculo gratiam nuntiaret. Ideo et Dominus ad quosdam : « O duri corde et imprudentes » animo [2], » cur non advertitis quod lex et Prophetæ de Filio hominis quæ ante prædixerant affutura cuncta consum-

[1] Isai. VI, 7. — [2] Luc. XXIV, 25.

Digitized by Google

mari oportuerat? Decebat enim de Patriarchis et lege beatum accipere Isaïam, ut ab eis doctus, forti animo Christi carnalem præsentiam prædicaret. Ignem etiam quod ait accepisse Angelum, et purgasse ipsius labia, utique divini Spiritus ei gratiam ostendebat concessam a Domino ut ait: « Ignem veni mittere in mundum, quam volo ut accenda» tur ocius[1]! » De forcipe autem, id est, de ferro, de invicta natura ejus atque divina quippe dicebat potentia, quod corpus Christi divino Spiritu divinaque potentia in utero sanctæ Virginis creatum atque consummatum est, sicut scriptum est: « Spiritus sanctus superveniet in te, et » virtus Dei obumbrabit te[2]. » In quo apparens corpore vinceret omnia, a nullo autem superaretur. Sicut enim ferro domantur ac subjiciuntur omnia, a quo et gladius gignitur ut dictum est: « Verbum Domini gladius *bis* acu» tus[3], » qui domare potest testimonia, domari autem ab aliquo non potest, daturusque eis erat post passionem in resurrectione divini Spiritus beatis Apostolis invictam potentiam, ut scriptum est: « Spiritus Domini super me[4], » et cætera. Et Petrus promissione accepta a Patre, ad Judæos dicens: « Effudit hanc gratiam, quam vos videtis at» que auditis hodie[5]. » Igni etiam forcipem sicut formari cognoscimus, ita et corpus Domini divino Spiritu novimus consummatum[6]. Itaque ita suis eum dedisse in corpore illam promissam gratiam atque invictam potentiam, ut ait: « Dedi vobis potestatem calcare super omnem virtutem » inimici[7]. » Et Apostolus: « Quis nos separabit a chari» tate Christi[8]? » Per quæ eis cunctis jam in hoc credentibus sæculo, ut dictum est per impositionem manus Apostolorum divinus dabatur Spiritus in Christum Dominum credentibus Salvatorem. Et sicut duo animalia, duo

[1] Luc. XII, 49. — [2] Id. I, 35. — [3] Hebr. IV, 12. — [4] Isaï. LXI, 1. — [5] Act. II, 17. — [6] Luc. I, 35. — [7] Id. X, 19. — [8] Rom. VIII, 35.

Digitized by Google

hæc Testamenta accipiuntur, legis et Prophetarum, astantia Domino; sicut viderunt in monte Apostoli, attamen rationis erit, quod et duo animalia intelligenda sunt mandatum primum quod datum est, quod et spiritale potest intelligi, ut scriptum est, quod et Salvator non solvit, sed confirmavit potius. Secundum autem animal doctrinam Christi, id est, fidem ejus et gratiam incorporationis et testamenti, passionisque ejus, et resurrectionis mysterium continebat. Unde lex litteræ in medio est posita inter mandatum et gratiam, quæ si intelligitur de Christo, consentanea in multis accipitur; si autem in carnali justificatione quis salvari putaverit, abjicienda decernitur, cum de Patre, et Filio, et sancto Spiritu ante legem, id est, ante tria millia annorum, et septingentos annos, justi priores illi sub mandato viventes, ac beatam Trinitatem colentes, et suis filiis tradentes, cognatisque et sæculi prædicabant, mysteriumque Christi Domini de ipso mandato antiquissimo nuntiábatur. Lex itaque admonitio mandati est, quæ et conjungitur secundum fidem colendæ Trinitatis, et iterum separantur quædam ejus propter judaïcam et carnalem justificationem, cum et Prophetæ illa destruxerint antea, et Salvator abjecerit, et Apostoli vetuerint circumcidi homines. Lex itaque de mandato, causa cogente carnali, descendit ad tempus. Gratia autem Christi, id est, mysterium incorporationis, et passionis, et resurrectionis, fideique ejus et ascensionis in cœlum ante legem a justis omnibus noscebatur, quærentibus, et capientibus non celabatur, ut Enoch, Noë, et Melchisedech, et Jacob, et aliis justis ac beatissimis Patriarchis, et cæteris qui ante legem Mosis vixerant, sub mandato scilicet constituti, atque in omnibus justificati a Domino. Lex autem et fides Christi dicitur, ut ait Apostolus: « Per legem fidei

Digitized by Google

prolabi : antecedere in nobis bonum propositum amorem, fidem, precationem, tanquam bona naturalia, ob quæ Deus nobis suam gratiam largiatur ; nisi locus manu pelagiana sit temeratus. Forsan autem intelligit anteire illa in nobis vitali et naturali potentia liberi arbitrii elicita ; sed tamen ex speciali gratiæauxilio ob quæ ritc disposita anima nostra sequatur fortius et præsentius auxilium divinum ; cui expositioni favet textus, ut attente legenti clarius patebit.

ANNOTATIO (5) pag. 212.

Etsi non omnes Prophetæ cuncta Christi mysteria noverint, at mortem et crucem Christi, baptismum, Eucharistiæ sacramentum, sanctificationem hominum, etc. certum est illos Prophetas, qui suis vaticiniis ista prædixerant, quorum plurima in Scripturis extant, omnia illa præcognovisse, quamvis non eadem luciditate circumstantiæ singulæ ab eis fuerint expositæ, qua Apostolis et Ecclesiæ christianæ Doctoribus postea innotuerunt.

ANNOTATIO (6) pag. 213.

Spiritualiter, id est, non visibili modo et eo quo *editur* alia caro, sed spirituali et invisibili, licet reali.

ANNOTATIO (7) pag. 246.

Auctor in hac Homilia et aliis locis videtur inducere apathiam illam, quando anima vi gratiæ Dei ad eam pervenit impassibilitatem, ut nullo unquam afficiatur sensu fomitis, seu passione aliqua appetitus, quasi in ipsa nullus unquam exurgat motus, nullus conflictus carnis et spiritus, prorsus sopito vel extincto peccati fomite. Quem er-

Digitized by Google

rorem in Evagrio Pontico, Ruffino, Joviniano et aliis Origenistis et Pelagianis sæpissime damnat S. Hieronymus.

ANNOTATIO (8) pag. 249.

Hæc Homilia integra reperitur inter Marci eremitæ opuscula; in eo tantum differt quod longius habeat exordium, quod in legitimis B. Macarii codicibus non legitur.

ANNOTATIO (9) pag. 261.

Unicum accipe pro uniformi et pari.

ANNOTATIO (10) pag. 442.

Impulsare, id est, excitare. Apud Marculfum, *lib.* II. *form.* LII. ex Epistola Henrici V abbatis Fuldensis ad alios abbates Ordinis S. Benedicti : « Abbates quidam Ordinis » nostri nos..... multipliciter impulsarunt, quatenus..... » assumere curaremus, etc. » Vide Cangium in *Glossar.* ad verbum, *impulsare.*

ANNOTATIO (11) pag. 443.

Notatissimo vestimento. Hæc verba eodem sensu accipienda sunt ac inferius in Regula tertia S. Macarii Alexandrini, n. x. Verbum *Nugalissimo;* id est; quod ab omnibus notetur et risum moveat occurrentibus. Ita interpretatur Cangius, qui hunc ultimum locum recitat in *Glossar.* ad verbum *Nugalissimus.*

ANNOTATIO (12) pag. 463.

Missæ, id est, orationes et collectæ quæ in fine versus

Digitized by Google

a sacerdote dicebantur, dictæ *Missæ*, eo quod Deo missæ sint. Aliquando accipiuntur pro horis canonicis et cursibus nocturnis, prout hic. Vide Menardum ad *Concord. Reg.* pagg. 331, 376 et 377, qui alias declarationes affert. Holsten. in *Indic. declar.* ad verbum, *Missæ*.

ANNOTATIO (13) pag. 476.

Psiatho. Psiathum seu *Psiathium*, est teges sive storea, ex junco sive papiro confecta, qua pro lecto et stragulo utebantur monachi. Vide Cangium in *Glossar.* ad verbum *Psiathum.*

ANNOTATIO (14) pag. 537.

Caute lege hoc caput; nam S. Philastrius existimat factam esse primi hominis animam, cum sancti Patres ferme omnes et explanatores Geneseos erudite, pie, orthodoxe, historice et germane spiraculum vitæ, præfato loco, animam rationis participem intelligant. Vide Castrum, *lib.* II, *adversus hæreses*, verbo, *anima*, hæresi II, et Sixtum, *lib.* V, *Bibliothec.*, annot. XXVII.

ANNOTATIO (15) pag. 543.

Caute lege hoc caput; nam S. Philastrius in hæresi ponit existimare ante constructionem turris Babel, unam tantum fuisse linguam in mundo, cum tamen Scriptura et sancti Patres ferme omnes nonnisi unam linguam inter homines fuisse ante ædificationem Babel apertissime doceant. Addito recentiores Geneseos interpretes, Castrum *lib.* IX, *adversus hæreses*. verbo, *lingua:* Sixtum, *lib.* V, *Bibliothec.* annot. LXXXVII.

Digitized by Google

ANNOTATIO (16) pag. 556.

Male vir eruditissimus Latinius suppositum hic mendum corrigere voluit ponendo 380, loco numeri legitimi 430; probat enim solide Gallandius in Prolegomenis ad sanctum Philastrium veteres Patres ita annos numerasse, ut annus 430 incidat in annum 390 aut 396 juxta nostrum numerandi modum. Gallandium videsis.

ANNOTATIO (17) pag. 562.

Caute lege; nam si loquamur de vera sanctificatione a peccato originali, Jeremiam, Joannem Baptistam, et Deiparam solos sanctificatos in utero docent Theologi.

ANNOTATIO (18) pag. 574.

Caute legendum est hoc caput; neque enim hæresis est aut error existimare non omnes Psalmos editos a Davide, cum multi Patres et recentiores hoc sentiant, et adhuc in opinione doctorum ista quæstio ventiletur. Consule Sixtum *lib.* 1. *Biblioth.* et Psalmorum interpretes in præfationibus, de auctore et ordine Psalmorum.

ANNOTATIO (19) pag. 578.

Caute legendum hoc caput; nam non est hæresis putare stellas esse cœlo infixas, cum id philosophi Peripatetici, et astronomi, atque scholastici theologi summo consensu affirment, quamvis nonnulli ex veteribus Patribus dissentiant.

Digitized by Google

Vide sanctum Thomam, *prima parte*, q. LXX, *art.* 1, ad 3. Et Sixtum, *lib.* V. *Biblioth.*, annot. XIV.

ANNOTATIO (20) pag. 597.

Non intelligit sanctus Philastrius de loco 3 Reg. II, 3, quem historice accipiendum non est dubium : sed de loco Cantic. V. 7, quem mystice plerique Patrum interpretantur.

Digitized by Google

INDEX

TOMI QUADRAGESIMI OCTAVI.

S. MACARII ÆGYPTII

PARS I. HOMILIÆ.

Pagin.

Homilia I. Allegorica interpretatio visionis apud Ezechielem descriptæ. 12

Homilia II. De regno tenebrarum, hoc est peccato: et Deum solum posse a nobis peccatum auferre, ac nos liberare e jugo servitutis principis nequissimi. 23

Homilia III. Quod fratres in sinceritate, simplicitate, dilectione ac pace inter se conversari, ac in cogitationibus internis bellum gerere debeant. 27

Homilia IV. Cursum studii hujus mundi attente et accurate absolvere oportet Christianos, ut cœleste præconium a Deo et Angelis consequantur. 31

Homilia V. Magna differentia inter Christianos et homines hujus sæculi. Hi enim spiritu mundi præditi animo tenus ac corde terrestribus vinculis vincti sunt: illi vero dilectione cœlestis Patris detenti, eum solum ob oculos in omni desiderio habent. 48

Homilia VI. Qui Deo placere cupiunt, preces suas in pace, tranquillitate, mansuetudine ac sapientia facere debent, ne clamoribus usi, omnibus scandalum pariant. Continet vero homilia duas quæstiones, utrum throni et coronæ creaturæ sunt? et de duodecim thronis Israël. 57

Homilia VII. De clementia Christi erga hominem. Continet etiam homilia interrogationes et responsiones quasdam. 61

Homilia VIII. De his quæ contingunt Christianis inter orandum, et de gradibus perfectionis, utrum videlicet ad perfectum gradum pervenire possint Christiani. 68

Homilia IX. Promissiones ac prophetias divinas per varias probationes et tentationes impleri; et soli Deo adhærendo liberari nos ab infestationibus dæmonis. 70

Digitized by Google

Homilia X. Humilitate et alacritate retinentur et augentur dona gratiæ divinæ; elatione autem et ignavia perduntur. 77

Homilia XI. Virtutem sancti Spiritus in corde hominis se habere instar ignis. Et quibus rebus indigeamus ad discernendum cogitationes in corde scaturientes: et de serpente mortuo ad sublimitatem ligni a Moyse affixo, qui typus fuit Christi. Continet quoque homilia disputationes duas: Unam quidem, Christi cum nequissimo Satana; alteram vero, peccatorum cum eodem. 80

Homilia XII. De statu Adæ, antequam transgrederetur mandatum Dei; et postquam amisit propriam ac cœlestem imaginem. Continet quoque homilia quasdam quæstiones valde utiles. 89

Homilia XIII. Quem fructum a Christianis Deus requirat? 100

Homilia XIV. Qui cogitationes ac mentem Deo tradunt, hoc sub spe illuminandorum oculorum cordis faciunt: ac Deus hujusmodi in summa sanctimonia ac puritate mysteriis dignos reputat, ac participes facit illos gratiæ suæ. Quidque bona cœlestia consecutori agere debeamus. Tandem Apostoli et Prophetæ assimilantur radiis solaribus, per fenestram ingressis. Docet quoque homilia quæ sit terra Satanæ, et quæ Angelorum, et quod utraque nec contrectari nec videri possit. 101

Homilia XV. Quam sancte et caste anima fidelis se gerere debeat erga Christum sponsum suum. Accedunt quædam quæstiones summa doctrina refertæ. 105

Homilia XVI. Spirituales homines obnoxios esse tentationibus atque afflictionibus, ex proximo peccato scaturientibus. 136

Homilia XVII. De spirituali Christianorum unctione et gloria, et quod absque Christo vitam æternam consequi impossibile sit. 144

Homilia XVIII. De thesauro Christianorum, videlicet Christo et Spiritu sancto, variis modis exercente eos, ut ad perfectionem perveniant. 153

Homilia XIX. Christiani proficere et crescere volentes, debent se vi compellere ad omne id quod bonum est, ut liberentur ab inhabitante peccato et Spiritu sancto repleantur. 159

Homilia XX. Solus Christus, verus medicus interioris hominis, sanare potest animam, eamque vestimento gratiæ suæ exornare. 165

Homilia XXI. Christiano homini duplex incumbit bellum, internum videlicet et externum. Hoc quidem, cum recedit ipse a distractionibus terrenis; illud vero in corde adversus cogitationes spirituum malorum. 170

Homilia XXII. De duplici statu eorum, qui ex hac vita decedunt. 173

Homilia XXIII. Quemadmodum regiam ac pretiosam margaritam gestare solum possunt, qui ex regio semine sunt progenati: eodem modo cœlestem margaritam solum filiis Dei gestare licet. 178

Digitized by Google

Homilia XXIV. Status Christianorum similis est mercaturæ et fermentationi. 175

Homilia XXV. Nullus homo, nisi a Christo corroboratus, scandala nequissimi superare potest. Quid eis, qui divinam gloriam appetunt, agendum. Per inobedientiam ad servitutem carnis nos esse redactos, a qua per mysterium crucis liberamur. Magnam esse lacrymarum et ignis divini efficaciam. 179

Homilia XXVI. De dignitate, facultate et operationibus immortalis animæ: et qua ratione tentetur a diabolo et liberationem e tentationibus consequatur. Accedunt aliquot quæstiones summa doctrina præstantes. 186

Homilia XXVII. Dignitatem et statum christiani hominis copiosa oratione prosequitur hæc homilia, ut et quæ præcedit. Deinde de libero arbitrio multa utilissima docet, permixtis quæstionibus quibusdam divina sapientia plenis. 202

Homilia XXVIII. Describit ac deplorat hæc homilia calamitatem animæ, in qua propter peccatum non habitat Christus. Et de Joanne Baptista, quod inter natos mulierum nullus eo sit major. 217

Homilia XXIX. Duplici ratione dispensationem gratiæ in genus humanum exercet Deus, fructus ejus justo judicio iterum repetiturus. 221

Homilia XXX. Ex Spiritu sancto renasci oportet animam quæ regnum Dei ingressura est, et quo pacto hoc fiat. 225

Homilia XXXI. Fidelem oportet mutari animo, atque in Deum omnes cogitationes colligere, in quibus vere omne obsequium divinum consistit. 231

Homilia XXXII. Gloria Christianorum nunc in illorum animis latet, quæ tempore resurrectionis emerget, et illustrabit corpora pro modo eorum pietatis. 235

Homilia XXXIII. Indesinenter et attente oportet Deo vota facere et precari. 241

Homilia XXXIV. De gloria Christianorum, quam corpora illorum in resurrectione consequentur, et qua cum anima illustrabuntur. 244

Homilia XXXV. De sabbato antiquo et novo. 246

Homilia XXXVI. De duplici resurrectione animarum et corporum, et diversa resurgentium gloria. 248

Homilia XXXVII. De paradiso et lege spirituali. 249

Homilia XXXVIII. Accurato judicio atque intellectu opus est in discernendis veris Christianis, et quinam sint illi. 256

Homilia XXXIX. Ad quid Scriptura divina nobis a Deo donata sit? 259

Homilia XL. Cunctas virtutes, et cuncta vitia inter se colligata esse, et velut catenam unam ab altera dependere. 260

Homilia XLI. Profunda valde sunt penetralia animæ, quæ paulatim incrementa gratiæ aut vitiorum accipit. 264

Digitized by Google

Homilia XLII. Non externa, sed interna promovent aut lædunt hominem, veluti Spiritus gratiæ, aut spiritus nequitiæ. 266
Homilia XLIII. De progressu viri christiani, cujus tota vis ex corde dependet, ut hic varie describitur. 267
Homilia XLIV. Quantum in homine christiano mutationem et renovationem faciat Christus, qui animæ affectiones ac morbos sanavit. 273
Homilia XLV. Nulla ars aut divitiæ hujus mundi, sed solus Christi adventus sanare hominem potest, cujus maximam cum Deo cognationem hæc homilia explicat. 279
Homilia XLVI. De differentia inter verbum Dei et verbum, mundi et inter filios Dei et filios hujus sæculi. 284
Homilia XLVII. Explicatio allegorica quorumdam sub lege factorum. 287
Homilia XLVIII. De perfecta fide in Deum. 296
Homilia XLIX. Non satis est, hujus sæculi delicias reliquisse, nisi quis alterius sæculi beatitudinem consequatur. 299
Homilia L. Deus est, qui per sanctos suos et creaturas edit miracula. 303

PARS II. OPUSCULA.

Opusculum I. De custodia cordis. 306
— II. De perfectione in spiritu. 321
— III. De oratione. 330
— IV. De patientia et discretione. 340
— V. De elevatione mentis. 358
— VI. De charitate. 372
— VII. De libertate mentis. 394
Apophthegmata Macarii Magni. 419

APPENDIX.

I. S. Macarii Alexandrini abbatis Nitriensis Regula ad Monachos. 439
II. Epistola S. Macarii data ad monachos. 443
III. Sermo S. Macarii Alexandrini de Excessu justorum et peccatorum. Quorsum scilicet eorum animæ e corpore demigrent, et quomodo se habeant. 446
IV. SS. Patrum, Serapionis, Macarii, Paphnutii et alterius Macarii Regula ad Monachos I. 451
V. SS. Patrum Regula ad monachos II. 461
VI. SS. Patrum Regula ad monachos III. 467
VII. Regula orientalis ex Patrum orientalium Regulis collecta a Vigilio diacono. 467

Digitized by Google

S. PHILASTRII EPISCOPI BRIXIENSIS

LIBER DE HÆRESIBUS.

PRÆFATIO. 485

CATALOGUS EORUM QUI ANTE ADVENTUM CHRISTI HÆRESEOS ARGUUNTUR.

I. Ophitæ. 486
II. Caïani. ibid
III. Sethiani. 487
IV. Dositheus. ibid
V. Sadducæi. ibid
VI. Pharisæi. 488
VII. Samaritani. ibid
VIII. Nazaræi. 489
IX. Esseni. ibid
X. Heliognosti. ibid
XI. Ranarum cultores. 490
XII. Musoritæ. ibid
XIII. Musca-Accaronitæ. ibid
XIV. Troglodytæ. 941
XV. Hæresis de Fortuna cœli. ibid
XVI. Baalitæ. 492
XVII. Artaritæ. ibid
XVIII. Hæresis de idolo Moloch et Remphan. 493
XIX. Hæresis de ara Tophet. ibid
XX. Puteoritæ. ibid
XXI. Hæresis ob æneum serpentem. 494
XXII. Hæresis subterraneis in locis ad omnem turpitudinem apta. 495
XXIII. Hæresis mulierum cum Thamus simulacro. ibid
XXIV. Belitæ. ibid
XXV. Hæresis cum Baal idolo. 496
XXVI. De Pythonissa muliere, hæresis superstitiosa. 497
XXVII. De Astar et Asturoth simulacris hæresis. 484
XXVIII. Herodiani. 499

CATALOGUS EORUM QUI POST CHRISTI PASSIONEM HÆRESEOS ARGUUNTUR.

I. Simon Magus. 499
II. Menandrus. 500
III. Saturninus. ibid

Digitized by Google

IV. Basilides. 501
V. Nicolaüs Antiochenus. 502
VI. Hæresis de Juda traditore. 503
VII. Carpocras. 504
VIII. Cerinthus. ibid
IX. Ebion. 505
X. Valentinus. ibid
XI. Ptolemæus. 506
XII. Secundus. ibid
XIII. Heracleon. ibid
XIV. Marcus. ibid
XV. Colorbasus. 507
XVI. Cerdon. ibid
XVII. Marcion. 508
XVIII. Lucanus. 509
XIX. Apelles. ibid
XX. Tatianus ibid
XXI. Cataphryges. 510
XXII. Theodotus. ibid
XXIII. Hæresis de Patris et Filii substantia. 511
XXIV. De Melchisedech. ibid
XXV. Noëtiani. ibid
XXVI. Sabellius. 512
XXVII. Seleuci et Hermiæ hæresis de Deo corpore. ibid
XXVIII. Proclianitæ. 513
XXIX. Floriani, sive Carpocratiani. ibid
XXX. De Paschatis festo hæresis. 514
XXXI. Chilionetitæ. ibid
XXXII. Hæresis Evangelium Joannis et Apocalysim ipsius rejiciens. 515
XXXIII. Manichæi. ibid
XXXIV. Patriciani. 516
XXXV. Symmachiani. ibid
XXXVI. Paulus Samosatenus. ibid
XXXVII. Photinus. ibid
XXXVIII. Ariani. 517
XXXIX. Semiariani. ibid
XL. Eunomiani. 518
XLI. Hæresis animam veram Christum non habuisse. ibid
XLII. Tropitæ. 519
XLIII. Hæresis de passione Christi. 520
XLIV. Aërii. ibid
XLV. Borborieni. ibid
XLVI. Artotyritæ. 521

Digitized by Google

XLVII. Ascodrogitæ. 521
XLVIII. Passalorinchitarum hæresis. 522
XLIX. Aquarii. ibid.
L. Hæresis de Prophetis. ibid.
LI. Colluthiani. ibid.
LII. De mundo hæresis. 524
LIII. Excalceati. 525
LIV. Novatiani. ibid.
LV. Montanistæ. 527
LVI. Abstinentes. ibid.
LVII. Circuitores. 528
LVIII. Hæresis de cibo et Spiritu sancto. ibid.
LIX. Hæresis alia de Paschatis celebrandi tempore. 529
LX. Apocryphi. ibid
LXI. Hæresis quorumdam de Epistola Pauli ad Hebræos. 530
LXII. Melitiani. 531
LXIII. Rhetorii. ibid
LXIV. De Divinitate Christi hæresis. 532
LXV. Hæresis triformem Deum faciens. 533
LXVI. De cœlorum diversitate. 535
LXVII. Hæresis terram beatitudinis ignorans et reprobans. 536
LXVIII. Hæresis aquam a Deo factam esse negans. ibid
LXIX. Hæresis de imagine Dei in corpore humano. 537
LXX. Hæresis de anima hominis inspirata. 538
LXXI. Hæresis de anima et intellectu hominis. 539
LXXII. Gnosticorum et Manichæorum hæresis de serpentibus et avibus. 540
LXXIII. De falsis prophetis hæresis, Deo omnia mala ascribens. 541
LXXIV. De terræ motu hæresis. ibid
LXXV. Hæresis Hermis Trismegisti de pecoribus et sideribus. 542
LXXVI. De variis linguis hæresis. 543
LXXVII. Hæresis de nomine linguæ. 544
LXXVIII. Hæresis de annis Christi et tempore dubitans. 545
LXXIX. 546
LXXX. De Gigantibus tempore Noë. 548
LXXXI. Hæresis Deo tribuens paganitatem et omnia facinora. 550
LXXXII. Hæresis de Christianis tempore ultimo verbo Dei credentibus. 552
LXXXIII. De corpore et anima hominis hæresis nocentissima. 554
LXXXIV. De annorum mundi incertitudine hæresis. 555
LXXXV. Hæresis de septem planetis. 557
LXXXVI. ibid
LXXXVII. De mundis infinitis hæresis. 559

Digitized by Google

LXXXVIII. Hæresis de Adæ et Evæ cæcitate. 559
LXXXIX. 560
XC. Hæresis culpam filiorum in parentes transfundens. ibid
XCI. Hæresis de libro Deuteronomii. 561
XCII. De nuptiarum legitimarum contemptoribus. 562
XCIII. De divisione orbis hæresis. 563
XCIV. De diluvio hæresis. 565
XCV. Hæresis de signis Zodiaci et ortu hominum. ibid
XCVI. De animabus sceleratorum hæresis. 566
XCVII. Hæresis de Christi descensu ad inferos. 567
XCVIII. Hæresis de anima hominis. 568
XCIX. De Christi nativitate hæresis. 569
C. Hæresis de induratione Dei. 570
CI. Hæresis negans David Christi Prophetam fuisse. 572
CII. Hæresis de Psalterii inæqualitate. 574
CIII. Hæresis de peccato Caïn. 576
CIV. De Caïn peccato hæresis. Quare Deus ei vitam concesserit. 577
CV. De stellis cœlo infixis hæresis. 578
CVI. Hæresis Veteris Testamenti multa reprobans. 579
CVII. Hæresis de Cantici Canticorum libro. 581
CVIII. De mandato Adæ hæresis. ibid
CIX. De imagine et similitudine Dei in homine hæresis. 582
CX. Hæresis Deum increpans, quod diversis linguis et modis homines allocutus sit. 584
CXI. De animalibus quatuor in Prophetis hæresis nimis crassa. 585
CXII. 586
CXIII. De Levitico Moysis error. 587
CXIV. Hæresis Septuaginta duorum interpretationem respuens. 588
CXV. Hæresis de Septuaginta interpretibus. 590
CXVI. Alia hæresis de eadem re. 591
CXVII. Hæresis de libris Veteris Testamenti in dolio inventis. ibid
CXIX. Hæresis quod diis alienis non sit maledicendum. ibid
CXX. Hæresis de Melchisedech sacerdote. 592
CXXI. Hæresis de Zacharia propheta, de jejunio. 594
CXXII. Hæresis de uxoribus et concubinis Salomonis. 597
CXXIII. 599
CXXIV. De spiramine quod Adam accepit hæresis. 600
CXXV. Hæresis de funiculo mensorio in Zacharia propheta. 601
CXXVI. 602
CXXVII. Hæresis decerpta ex Isaïa propheta de Cherubin et Seraphin. 603
CXXVIII. Hæresis de Isaïæ prophetæ labiis tactis carbone. 607

ANNOTATIONES. 611

EXPLICIT INDEX.

Digitized by Google

acari, 8. Brustb. Anon. älterer Stich! Ein Stück des Randes ausgebessert. (201a) Mit lat. Reim v. Pritius. — 30

1006 **Macarii**, Sct., opusc. nonn. et apophthegmata — homiliae — gr. et lat., ed. G. Pritius. (2 Voll.) Lps. 699, 98. 1 Ldrb. — 15

1007 **Macarii**, Sct., opuscula nonn. et apophthegmata gr. et lat., ed. Pritius. Lps. 699. — 8

1008 —— epistolae, homiliar. loci, preces ad fid. Codd. prim. ed. H. J. Floss. Acc. de Macarior. Aegyptii et Alexandrini vitis quaestt., Acta Macarior. ad Codd. mss. fid. edita, tabula in lap. inc. Col. 850. Hlwd. 1. 6

2653 **S. Macarii** fragmenta duo ed. et lat. redd. a Floss. 4. Bonn 1866.

Makarius des Grossen Schriften übersetzt von N. Casseder. 2 Bde. Bamberg 1819—20. 8. br. ℳ ½

3700 Macarius. **Lindner**, G. B., symbolae ad hist. theolog. mystic. de Macario. Lps. 846. ⅓ thl.

33 **Arnold, Chr.,** Ein Denkmahl des alten Christenthums best. in d. heiligen Macarii u. and. Männer a. d. alt. Kirche Schriften. Gossl. 1702. 8. Pgt. — 27.

1353 — **Gildemeister**, üb. die in Bonn entdeckten neuen Fragmente des Macarius. 2 Hefte. Elberf. 1866—67. — 8.

654 **Macarii** homiliae, opuscula et apophthegmata. Gr. lat. Edid. indicibusque instr. J. G. Pritius. 2 ptes. in 1 vol. 8. Lips. 1714. Prgtb. — 15

83 — auserlesene Schriften. A. d. Griech. v. G. Arnold. 3. Aufl. 2 Thle. in 1 Bd. 8. Goslar 1716. Hlbprgt. 1 fl. 24 kr.

8 S. **Philastrii** De haeresibus liber, cum emendationibus et notis J. A. Fabricii. Hamb., 1721. 8. Prgmt. ℳ 1.

9 **Corpus haereseologicum.** Edid. Fr. Oehler. Tom. I. Scriptores haereseol. minores latini (Philastrius, Augustinus, Pseudo-Tertullianus, Isidorus, Paulus, Honorius etc.) 8. maj. Berol. 1856. Br. 2. —

0 — — Tom. II. Epiphanii Panaria eorumque anacephalaeosis. Gr. lat. Cum Dion. Petavii integris annott. 3 tomi in 4 voll. 8. maj. Berol. 1859—61. Br. 6. —

Digitized by Google

On trouve à la même Librairie :

S. Barnabas, — S. Hermas, — S. Dionysius Areopagita, — S. Clemens, — S. Ignatius, — S. Polycarpus, — S. Justinus. 1 vol. 3 fr.

S. Cyprianus. 1 vol. 3 fr.

Tatianus, — Athenagoras, — S. Theophilus Antiochensis, — Hermias, — S. Irenæus, — Minutius Felix, — Clemens Alexandrinus, — S. Hippolytus. 3 vol. 9 fr.

Tertullianus. 2 vol. 6 fr.

Origenes, — Julius Africanus. 7 vol. 21 fr.

S. Dionysius Alexandrinus, — S. Gregorius Thaumaturgus, — S. Archelaus, — Arnobius, — S. Pamphilus. 1 vol. 3 fr.

S. Methodius, — Lactantius, — Julius Firmicus Maternus. 2 vol. 6 fr.

Eusebius, — S. Alexander Alexandrinus, — Juvencus, — S. Eusthatius, — S. Jacobus Nisibenus, — S. Antonius abbas, — S. Pachomius. 8 vol. 24 fr.

S. Hilarius, — Lucifer de Cagliari. 4 vol. 12 fr.

S. Athanasius, — Victorinus. 4 vol. 12 fr.

S. Ephræm, — Titus Bostrensis, — S. Damas papa. 8 vol. 24 fr.

S. Basilius, — S. Zeno Veronensis. 5 vol. 15 fr.

S. Optatus Milevitanus, — S. Cyrillus Hierosolymitanus. 1 vol. 3 fr.

SS. Macarii, — S. Philastrius. 1 vol. 3 fr.

S. Gregorius Nazianzenus. 4 vol. 12 fr.

S. Cæsarius, — S. Didymus, — S. Phœbadius. 1 vol. 3 fr.

S. Ambrosius, — Aurelius Prudentius Clemens, V. C. 9 vol. 27 fr.

S. Joannes Chrysostomus. 25 vol. 75 fr.

S. Augustinus. 42 vol. 126 fr.

SAINT AUGUSTIN.

42 VOL. PAPIER VÉLIN.

Prix : 168 francs.

SAINT-CLOUD. — IMPRIMERIE DE FELIN-MANDAR.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

The borrower must return this item on or before the last date stamped below. If another user places a recall for this item, the borrower will be notified of the need for an earlier return.

Non-receipt of overdue notices does ***not*** *exempt the borrower from overdue fines.*

Harvard College Widener Library
Cambridge, MA 02138 617-495-2413



Please handle with care.
Thank you for helping to preserve library collections at Harvard.

Digitized by Google